MILTON'S
POEMATA

PARAPHRASIS POETICA

IN TRIA

JOHANNIS MILTONI,

Viri Clarissimi,

POEMATA;

VIZ.

PARADISUM AMISSUM,

PARADISUM RECUPERATUM,

ET

SAMSONEM AGONISTEN.

AUTORE

GULIELMO HOGÆO.

LONDINI,

Typis Johannis Darby, Anno Domini,

MDCXC.

Honoratiſſimo
Doctiſſimoque Viro,
D. DANIELI COX,
Medicinæ Profeſſori clariſſimo,
Utriuſque Regiæ Societatis Socio,
Domino ac Mecænati meo
Benigniſſimo.

QUanta cum lætitia ſimul & confidentia noſtra hæc Miltoniani Paradiſi amiſſi Paraphraſis tuum ſibi poſcit Patrocinium? Tu tuo ſuaſu & rogatu me ad hoc poema ſcribendum impuliſti, & in ſcribendo tuis opibus ſuſtentaſti, & jam tuis ſumptibus prælo

commiſiſti, ſub cujus ergo potius, quam tui illuſtriſſimi nominis patrocinio in manus hominum exire debuit? ſed quoniam ſtupendæ tuæ in me benignitatis meminiſſe, ac de eadem loqui mihi jucundum eſt, quæ prima tuæ in me humanitatis & munificentiæ occaſio fuerit, effari libet. Carmina, quæ in Jobum compoſui, jam a ſeptem aut octo retro annis publici juris facta tibi cui antea in cognitus fueram obtuli, quæ tu uſque adeo probaſti, ut a quibuſdam acceperim qui te præſentes loquentem audiverant, te ea elogio valde honorifico dignatum fuiſſe, idcirco Eccleſiaſten poſtea a me paraphraſtice redditum, & impreſſum tibi attuli quem etiam tibi gratum, fuiſſe benignitate & liberalitate

tua

tua oſtendiſti. Ac propterea quoniam jampridem a te bis humaniter tractatus fueram, tertia vice rurſus te compellavi, & ſuppliciter rogavi, ut, ſi poſſes, mihi ad officium aliquod ſuſcipiendum aditum patefaceres. Hoc meum poſtulatum, tu qui ob admirandam tuam in omne hominum genus humanitatem ipſa humanitas dici merearis, animo benigno conſiderans, in memoriam revocaſti ingenioſum Miltoni inventum de Paradiſo amiſſo, cujus operis fama per totam Angliam eſt longe celeberrima: ſed quia a Miltono Anglice ſcriptum fuit, antehac exteris regionibus latuit incognitum: Igitur quandoquidem, turpe tibi fuiſſe videbatur, quod inventum adeo ingenioſum, quod per omnes terras fa-

ma celebrari dignum est, tam diu inter angustos Britanniæ limites delituerit, tu mihi hanc Paraphrasin scribere suasisti & persuasisti, quod munus ego libenter obivi; & laborem hunc tantopere tibi placuisse mihi applaudo & gratulor. Placuisse tibi indicio certissimo est, quod me, statim ac Paraphrasin hanc conscripseram, ejusdem Miltoni Paradisum recuperatum Paraphrastice reddere jusseris, quem postquam in Latinum carmen Paraphrastice transtuli, adeo tibi placuit, ut quædam etiam in melius mutasse tibi visus fuerim. Atque idcirco duobus prioribus poematis tertium Samsonem Agonistam superaddidi, quem tu etiam proassueto tibi candore magnopere probasti. Ergo tria hæc Poemata paraphrastica

ca tuo ſuaſu & rogatu compoſita, merito ſub tuæ clientelæ umbram confugiunt, merito tuum implorant patrocinium, & magna etiam cum confidentia ſperare ſibi poſſe videntur: quippe cum illa calamo tantum adhuc deſcripta magna cum jucunditate relegeris, jam typis nitidis impreſſa non minus grata fore veriſimile eſt. At ego cum tuo favore ſubnixus ſim, cum tui candidiſſimi judicii prærogativa ſuffulciar, omnem invidiæ livorem, omnes Zoilorum contumelias flocci facio, & inſulſos ſuperciliosæ arrogantiæ criticiſmos contemno. Nam hæc ætas Zoilorum eſt feraciſſima, qui cum magnam ætatis ſuæ partem vacui laboris per ignaviam tranſegerint, tamen aliorum laboribus invident

dent

dent, & eorum præcipuus labor eſt,
Ut deprehendant quod queant reprehendere. Horum ego ſuperbam inſaniam muribus cotem arrodentibus aſſimilo, & eorum maledicta facile hoc argumento refello.

Mecænas meus doctiſſimus juxta atque candidiſſimus, præ quo omnes iſti ſunt meri Moriones, hoc opus ſuo judicio probavit. Nam tu, vir digniſſime, non medicinæ ſolum, quam profiteris, ſcientia inſignis es, verum etiam omni liberali eruditione non leviter tinctus ſed penitus imbutus. Multi alii viri docti hac vel illa ſcientia celebres ſunt, tu vero es omnigenæ eruditionis ſpirans bibliotheca. Et ſane de rebus Poeticis tanta tibi eſt dijudicandi perſpicacia, ut quodcunque poema a me compoſi-

tum

tum tuo judicio probatum eſt, nullius alterius in univerſo terrarum orbe judicium reformidet. Quinimo novi te, vir clariſſime, tantam artis poeticæ acquiſiviſſe peritiam & experientiam naturæ vigori ſuperadditam, ut non ſolum de aliorum carminibus acriter dijudicare, verum etiam ipſe Æneidos majeſtatem & Iliados elegantiam æquare poſſis. Nam mihi contigit ille honor, ut mihi penitius quam multis aliis notus ſis. Quod niſi magna variorum negotiorum multitudine & mole onuſtus fuiſſes, tu ipſe muſarum pater ac patronus ingenioſum hoc Miltoni poema tranſtuliſſes: adeo tibi arriſit vaſta rerum copia, ſententiarum ardor, & verborum elegantia: at hoc ſi contigiſſet, tu

hanc

hanc paraphraſin, quam ego tibi tradidi, tam longe tua elegantia & ſublimitate ſuperevolaſſes, ut ego omnes quibus hanc Paraphraſin deſcripſi, chartas flammarum furori quam prælo Typographico committi maluiſſem. Sed tamen tam admirabilis tibi ineſt candor & humanitas, ut quicquid vitioſum in hoc opere videbas, quaſi non vidiſſe viſus ſis, illudque diligenter apud te conſervaveris, donec in lucem & hominum aſpectum prodiiſſet. Quam libenter hanc gratitudinis ob multa et magna in me collata beneficia teſtandæ occaſionem amplector? Ultra quatuordecim annos in Anglia vixi, et ſæpe peregrinus inter peregrinos obambulavi: et quot interea miſeriis conflictatus fui?

Quot

Quot ludibriis, quot conviciis, quot injuriis me infœlix paupertas expoſuit. Sed toto illo tempore nullum uſquam verum amicum invenire potui, priuſquam benigna miſericordis Dei providentia me in tuum conſpectum manuduxit. Tum primum animus meus, diu antea gravi triſtitiæ mole preſſus, lætari cœpit, animique hilaritas in vultu effulgeſcere. Tum omnes iſti dolores, velut fugitiva nocturni ſomnii ludibria evanuerunt. Amor quorundam, quem pauliſper præ ſe ferebant, ſubito refrixit, ac pœne priuſquam accenderetur, extinctus fuit. Sed tuus amor, tua benignitas, tua benevolentia conſtans fuit, nunquam beneficiis fatigata, nunquam invidis malignorum calumnis alienata, ergo quem-

quemadmodum Catullus ſuum Hendecaſyllaβων libellum Cornelio nepoti obtulit. Ita ego hoc pœma tripartitum tibi, vir clariſſime offero.

Cui dono lepidum novum libellum,
Arida modo pumicæ expolitum,
Mecænas, tibi, noſter, ac Patrone,
Doctor inclite, namque tu ſolebas
Meos eſſe aliquid putare verſus.
Et tu, candide vir, benignitate
Tua frigora mi famemque duram
Pellis, das quoque larga dona, tuque,
Tu me hunc ſcribere juſſeras libellum,
Ergo ſe tibi lætus hic libellus
Offert, in græmiumque nunc tuum ſe
Exultat recipi legique geſtit.

Et quibus olim verbis Ovidius in faſtorum frontiſpicio Germanicum compellavit, iiſdem fere ego te,

vir

vir clariſſime compello in hujus, voluminis propylæo.

Accipe pacato, Doctor digniſſime, vultu
 Hoc opus, & timidæ dirige navis iter.
Officioque levem non averſatus honorem
 Huic tibi devoto candide dexter ades.
Sacra recognoſces annalibus eruta priſcis,
 Et quo gens hominum crimine lapſa ruat.
Utque iterum reparata foret, pro crimine noſtro
 Cum Deus humano in corpore paſſus erat.
His igitur ne fors noceat mala lingua libellis
 Oro patrocinium, vir generoſe, tuum.

Illo tempore quo primum carmina, quæ in Jobum compoſui, in lucem prodierunt, nullum habui patronum, ideoque nullius Patroni nomen illi libello præfixi. Cum vero poſtea Paraphraſin Eccleſiaſtis publici juris facerem, nullum quidem revera Patronum habui, ſed quendam tamen

men mihi Patronum fore ſperavi, quoniam ſemel, quanquam tantum ſemel me humaniter tractavit. Nunc autem te inveni undequaque dignissimum Patronum, de cujus humanitate, comitate, benignitate, liberalitate et benevolentia ſine adulationis ſuſpicione auſim gloriari. Jam tres annos tu me tuis opibus ſuſtentaſti, et nunc quoque multis humanitatis et liberalitatis officiis me proſequi pergis. Tot ac tantæ ſunt tuæ virtutes, tanta tibi eſt morum ſuavitas, ut ubique gratiam concilies, et omne hominum genus te laudent, ament, et admirentur. Nec hic ſilere poſſum tuam laude dignissimam benignitatem in Proteſtantes multos e Gallia religionis ergo profugos, qui in ſinum tuum ſe receperunt,

ceperunt, quos tu magna humanitate & munificentia proſequeris, & re & conſilio juvas. Affabilitas tua pæne fidem excedit, humillimis homuncionum ac viliſſimis aditus ad te patet facillimus, & alloquendi facultas conceditur. Nullum in te furioſæ iracundiæ, aut faſtuoſæ ſuperbiæ apparet veſtigium. Omnis tibi abeſt acerbitas, ſed manſuetudo ineſt admirabilis. Nemini noces, nemini invides, neminem odiſti, ſed omnibus faves, omnibus benignus es, omnes benevolentia complecteris: At erga me præ multis aliis adeo amanter te geſſiſti, ut multorum ſanguinis neceſſitudine junctorum amorem ſuperaveris. Quid ergo tibi optem, Mecænas mi digniſſime? Dominus ac Salvator

meus benedictus, Chriſtus Ieſus te diu ſervat incolumem, & uxorem tuam ac duodecim liberos ex eadem uxore procreatos, qui omnes Dei bonitate vivunt, vigentque, & poſtquam in terris diu ac fœliciter vixiſtis, æternis in regno cœleſti gaudiis frui concedat.

Sic precatur ille,

qui eſt Servus, Cliens,

& Beneficiarius tuus,

GULIELMUS HOGÆUS.

Viro

Viro undiquaque Clariſſimo

Doctori D A N I E L I C O X,

Domino ac Mecænati meo
Beniguiſſimo.

'ΕΓΚΩΜΙΑ'ΣΤΙΚΟΝ.

ECquis in orbe poteſt Paradiſi degere vitam,
Qualiter innocuam tenuit dū à crimine dextrā
Primus homo? quot ubiq; malis,quot ubiq; dolorū
Agminibus loca cūcta gemunt? ubi pura voluptas
Naſcitur in mediis ſurgant quin triſtia lætis?
Hic claris generatur avis, ſed origine clarâ
Degenerans titulos vitiis infamat avitos.
Poſſidet alter opes, ſed cogit dira phreneſis,
Ut locuples moriatur, egentis vivere fato.
Fæcundos habet hic thalamos, tamen ipſa propago
Divexat ſcelerata patrem, aut gravis angit egeſtas.
Ingenio ille valens, & mentis acumine vaſtas
Terrarum, Cœlique plagas, atque æquora luſtrat,
Dextra ſed ære vacat. Quoſdam ad ſublimia vectos
Vulgi odium exagitat, vel adeſt ſi gratia vulgi,
Oderunt proceres. Sterilem gemit altera lectum
Pars hominum, innumeros teneat licet æris acervos;
Menſarumque epulas torus infœcundus amaras
Efficit. Aſt unus tamen in tot millibus unus
Tu Daniel dilecte Deo, ſtupor atque amor orbis,
Carpis in humanis Paradiſi gaudia terris.
Cum pater ille Deûm, magni regnator Olympi,

Omni ex parte tibi concesserit esse beato.
Ille amplas tibi donat opes artemque fruendi.
Quippe artes nutrire bonas, gentemque piorum
Afflictam relevare ſtudes. Tu lampade mentis
Naturæ illuſtras latebras, & acumine miro
Occultum nihil eſſe ſinis. Tu ſanguine claro
Natus avos longè ſuperas, & nominis illos
Præradias fulgore tui. Te vulgus adorat,
Te proceres, nam utroſque trahis dulcedine morum,
Haud ſecus atque ſilex rigidum Magneſia ferrum.
Atque, (quod omne bonum ſuperat terreſtre) beati
Fœdere juncta tori exhilarat tibi pectora conjux
Candida, quæ te jam duodenâ prole parentem,
Bis tria luſtra ſui cum vixdum exceſſerit ævi,
Fecit, & ætherii larga indulgentia Cœli
Hunc conſanguineæ numerum (mirabile) turbæ
Imminui vetuit, Lacheſinque his juſſit avaras
Abſtinuiſſe manus. Germani quinque, ſorores
Tot ſunt, quot Pharius ſe ſcindit in oſtia Nilus.
Eminet amborum ſpecies in utroque parentum
Sexu ortus teſtata ſuos, in utroque refulgent
Majeſtas veneranda Patris, matriſque venuſtas.
Prima Rebecca tibi nomen cognoſcere patris
Dulce dat, eximiæ præſtanti munere formæ
Sylvicolas tranſgreſſa Deas. Sed proxima caſti
Stirps generoſa tori Daniel de nomine dictus,
Nomine reque ſuum ſimul exprimit ille parentem,
Dans vultu manifeſta ſuo, dans pignora tanti
Ingenio manifeſta Patris, qui rurſus in illo
Pubeſcit, teneroſque iterum revireſcit in annos.
Nec diuturna fuit mora, cum tibi maſcula proles
Altera nata tui cumulavit gaudia lecti,
Pulcher Joannes placidi cui gratia vultus
Nomina vera dedit: nec longum tempus, & alter
Frater adeſt Samuel; cui tres exinde ſorores
Ordine ſuccedunt: prima eſt Suſanna, ſecunda

Anna, trium at minimæ Maria eſt venerabile nomen,
Hæque prius genitam formâ facieque Rebeccam
Tres referunt; mores ſimiles, ſimiliſque venuſtas,
Frontis & altus honos, gratique protervia faſtus.
Septem hæc legitimi tum dulcia pignora lecti
Richardus ſequitur; dein Eliſabetha, ſororque
Lydia pæne pares annis & corpore, proles
Indiſcreta ſuis, gratuſque parentibus error.
Undecimo formoſa loco Priſcilla creata eſt
Parva, ſed in parvâ tamen eminet inclyta virtus,
Fæmineuſque decor, tacitæque modeſtia linguæ.
Parvulus inde venit Coldamus, amabilis infans
Nomine avum referens, animo vultuque parentem.
Quam tibi dulce tuam cernenti cingere menſam
Biſſenam hanc ſobolem, tanquam viridantis olivæ
Germina! quanta tuum pertentant gaudia pectus!
Fœlix O pariter natis & conjuge carâ!
Nulla noverca tuos vexat truculenta penates,
Totam hanc namque tibi ſola hæc atq; unica conjux
Progeniem fœcunda dedit; communibus ergo
Pro natis ſocialis amor conſpirat in unum.
O patriæ proavûmque decus, mundique voluptas,
Publicus orbis amor, Medicorum gloria, proles
Hæc duodena, precor, longum fœliciter ævum
Tranſigat ad placidæ tempus capulare ſenectæ,
Teque ſalutet avum ſeries duodena nepotum.
Atque ubi tu Pyliæ pariter cum conjuge vitæ
Sæcula tranſieris, pariter vos ſubvehat ambos
Æthereus ſuper aſtra poli radiantia currus.
Voſque propago, ſuæ metam ut tetigêre ſenectæ,
Tempore quiſque ſuo ſuperorum in regna ſequantur.

In Gratitudinis Teſtimonium
Scripſit *G. H.*

AD
LECTOREM.

Amice & Christiane Lector,

NON amor famæ, sed timor famis, & impulsus alienus, nempe patroni mei, cui opus hoc inscripsi, me ad hæc carmina scribenda incitârunt. Sed si quorundam lividorum in manus hæc scripta inciderint, sciant isti, me non unum solummodo, sed multos fautores in hoc opere publicando habuisse: quorum unum hîc nominare in gratitudinis testimonium libitum est; is est patroni mei intimus amicus, Doctor Samson, medicinæ professor celeberrimus, vir ob eruditionem simul & pietatem omnibus carus & venerabilis. Multi etiam alii viri, eruditione insignes, & magna judicii acrimonia præditi huic labori faverunt, quorum omnium nomina plusquam paginæ ocupandæ sufficiunt: hoc tibi indicare volui, quoniam Zoilos quosdam obvios habui: quorum ego livori multorum virorum favore ipsis multis parasangis præstantium subnixus insultare fas habeo. Quinimo mihi in domino gloriari licitum est, me, cum tantum

opus

opus tantillo temporis spatio composuerim, nam intra biennium totum hoc opus descripsi, divini numinis, (quod sæpe imploravi) auxilio suffultum fuisse. Benevole lector, hic utile dulci admistum est : nam etsi fabulas veritati intertextas invenias, multa tamen hic sunt vera ac suavia de fonte illo suavitatis, Iesu Christo salvatore nostro benedicto, cujus mentio omnibus ejus amatoribus jucunda ac dulcis est. Si quem igitur hic fructum invenias, Deo gratias agas, & pro me apud thronum gratiæ supplicare memor sis.

Ad Lectores.

Miltonus Paradiſum amiſſum invenerat, ergo
Miltoni hîc lana eſt, at mea tela tamen.

PARAPHRASIS POETICA IN *JOANNIS MILTONI* Paradiſum Amiſſum.

POEMA

Decem Libris comprehenſum.

AUTORE
GULIELMO HOGÆO.

Ovid. *de arte amandi*, Lib. 3.

Eſt Deus in nobis, ſunt & commercia Cæli,
Sedibus ætheriis ſpiritus ille venit.

LONDINI,
Anno Domini MDCXC.

ARGUMENTUM
Libri Primi.

PRimus liber primò breviter proponit totum argumentum, hominis contumaciam, & inde secutam Paradisi, ubi locatus fuerat, amissionem. Tum primam causam lapsus ipsius perstringit, serpentem, vel potius Satanam in serpente; qui cum à Deo defecisset, & multas legiones Angelorum ad suas partes attraxisset, jussu Dei è Cœlo cum totâ suâ catervâ in vastam Abyssum depulsus est. Cujus rei mentione factâ, poema in medias res processit; repræsentans Satanam jam cum Angelis suis prolapsum in Gehennam, hic descriptam, non in centro (nam Cœlum & Terra hic supponi possunt non dum esse facta, certè nondum devota) sed in loco tenebrarum exteriorum. Hic Satanas cum Angelis suis in lacu ardenti jacens, fulmine ictus & attonitus, aliquantò post revalescit, tanquam ex confusione, eum qui sibi dignitate proximus accumbebat, excitat: unà de miserabili lapsu suo colloquuntur. Satanas omnes legiones suas expergefacit, quæ sic eodem modo attonitæ ad id tempus jacebant. Surgunt earum numerus: belli apparatus, præcipui earum ductores nominati juxta Idola postea nota in Cananæâ & vicinis regionibus; hos Satanas alloquitur, & spe Cœli adhuc recuperandi solatur; sed postea certiores eos facit de novo mundo, & novâ creaturâ creandâ, juxta veterem prophetiam aut famam Cœlo notam. Nam Angelos diu extitisse ante visibilem hanc creationem multi ex vetustis patribus opinabantur.

tur. Ut veritatem hujus prophetiæ adinveniat, & sciat quid de eâ judicare debeat ad integrum concilium refert. Quid deinde socii ejus aggrediantur. Pandæmonium, palatium Satanæ surgit, ex abysso exstructum: Inferni proceres illic sedent in concilio.

Libri Secundi.

Cœptâ consultatione, Satanas disputat, an aliud prælium sit tentandum Cœli recuperandi gratiâ? quidam suadent, alii dissuadent: tertium propositum præfertur, de quo anteà à Satanâ mentio facta fuit, scrutari veritatem prophetiæ aut traditionis in Cœlo, de alio mundo, & alio creaturæ genere æquali aut non multò inferiori sibi ipsis, circa hoc tempus creando. Eorum dubitatio, quis potissimum ad hoc scrutandum eat, Satanas princeps eorum hoc iter solus proficisci statuit, ab omnibus honoratur & laudatur. Concilio sic dimisso, cæteri varias eunt vias, & varia aggrediuntur officia, ad tempus fallendum, donec Satanas redeat. Pergit iter suum ad partas Gehennæ, eas clasas uinvenit, & qui illic ad eas muniendas sedebant, à quibus tandem aperiuntur, & detegitur vasta vorago inter Gehennam & Cœlum, quantâ cum difficultate pertranseat, directus à Chao, potestate ejus loci, ad aspectum hujus novi mundi, quem quærebat.

Libri Tertii.

DEUS in throno suo sedens, videt Satanam volantem mundum versus, tum nuper creatum, ostendit eum filio, qui sedebat ad dextram. Prædicit Satanæ successum in humano genere pervertendo, suam justitiam & sapientiam vindicat ab omni crimine, cum hominem liberum creâsset, & abundè virium habentem ad resistendum tentatori. Verum tamen propositum gratiæ suæ erga illum declarat, quoniam non ex malitiâ lapsus est, sicut Satanas, sed ab eo seductus. Filius Dei laudem tribuit patri suo ob gratiosam manifestationem ejus propositi erga hominem. Sed rursus Deus declarat gratiam erga hominem non posse exhiberi citra satisfactionem divinæ justitiæ; homo offenderat majestatem Dei, ad deitatem aspirando, atque idcirco cum totâ progenie suâ morti devotus, mori debet, nisi aliquis inveniatur qui sufficiat pro ejus offensa satisfacere, & pœnam illi debitam subire. Filius Dei liberè offert semetipsum redemptionis pretium pro homine: Pater eum acceptat, decernit ejus incarnationem, ejusque exaltationem supra omne nomen in Cœlo & in Terrâ pronunciat; imperat omnibus angelis eum adorare; parent, & modulantes lyris, toto choragio celebrant patrem & filium. Interea Satanas descendit in nudum convexum extremi hujus mundi orbis; ubi oberrans primum invenit locum exinde dictum, lymbum vanitatis; quæ personæ ac res illuc evolent; inde venit ad januam Cœli, quod describitur ascendens per gradus, & aquas super firmamentum illud circum fluentes: transitus ejus illinc in orbem solis; invenit illic Urielem illius orbis rectorem, sed primo transmutat se in formam minoris angeli. Et præ se ferens magnum zelum videndi

novam

novam creationem, & hominem, quem Deus ibi locaverat, illum interrogat de loco domicilii ejus, & dirigitur; primò descendit in montem Niphatem.

Libri Quarti.

Satanas jam in prospectu Edenis, & propè locum, ubi audax facinus aggressurus erat, quod solus suscepit adversus Deum atque hominem, in multas animi dubitationes incidit, & in multas passiones timorem, invidiam & despirationem. Sed tandem in malo se confirmat, pergit in Paradisum proficisci, cujus externus prospectus & situs describuntur. Transilit metas, sedet sub formâ corvi aquatici in arbore vitæ, ut quæ altissima esset in horto unde circumspiceret, hortus describitur. Satanæ primum conspecti Adamus & Eva; miratur eorum formæ excellentiam, & statum fœlicem: sed una statuit eos in lapsum inducere: audit eorum colloquium, inde colligit eis interdictum fuisse comedere de arbore scientiæ sub pœnâ mortis; atque super hoc fundare statuit tentationem suam, pelliciendo eos ad peccandum: tum eos aliquantisper relinquit, ut ulterius de statu eorum aliis rationibus cognoscat. Interea Uriel descendens in radio solis, monet Gabrielem, cui Paradisi portæ custodia fuit credita, aliquem spiritum malignum ex abysso fugisse, & meridie per suam sphæram descendisse sub formâ boni Angeli in Paradisum, quod postea apparuisset ex ejus furiosis gestibus in monte. Gabriel pollicetur se eum inventurum ante Auroram; nocte appetente, Adamus & Eva colloquuntur de eundo cubitum. Habitaculum eorum describitur; nocturna eorum adoratio. Gabriel evocans turmas suas nocturnorum vigilum ut Paradisum circumeant, duos fortes angelos

gelos Adami habitaculo custodes apponit, ne illic spiritus malignus esset, ad aliquid injuriæ faciendum Adamo aut Evæ dormientibus; illic eum inveniunt apud aurem Evæ, & tentantem eam in somnio. Et adducunt eum, quanquam invitum, ad Gabrielem, à quo interrogatus, contumeliosè respondet. Parat resistere, sed impeditus signo cœlitus dato fugit è Paradiso.

Libri Quinti.

AUrora appropinquat, Eva refert Adamo somnium suum turbulentum; displicet ei, tamen illam solatur, prodeunt ad diurnos suos labores. Hymnus eorum matutinus ad ostium habitaculi sui. Deus ut hominem reddat inexcusabilem. Raphaelem ire jubet ad eum admonendum de obedientiâ ipsorum, & libero statu, & inimico propè admoto, quis sit, & cur ei inimicus, & quicquid aliud Adami scire referat. Raphael descendit in Paradisum, apparitio ejus describitur. Adventus ejus è longinquo discernitur ab Adamo, sedente in ostio habitaculi sui. Prodit illi occursurus, perducit eum ad suum domicilium, & præcipuos Paradisi fructus ab Evâ collectos illi præbet epulandos; colloquium eorum apud mensam. Raphael legationem suam peragit. Adamum status sui, & inimici ipsius admonet; Adami rogatu narrat quis sit ille inimicus; & quomodo contigerit ut inimicus esset, incipiens à primâ ejus defectione in Cœlo, & occasione ejus. Quomodo suas legiones post se attraxerit ad partes Boreales; & illic eos ad secum rebellandum incitaverit, persuasis omnibus præter unum Abdielem, qui argumentando ei dissuadet, seseque opponit, tum eum relinquit.

Libri

Libri Sexti.

Raphael pergit porro narrare quomodo Michael & Gabriel prodire jussi sint ad pugnandum adversus Satanam & Angelos ejus. Prima pugna describitur. Satanas & potestates ejus sub nocte secedunt, concilium vocat: excogitat machinas diabolicas, quæ in secundi diei prælio Michaelem & angelos ejus nonnihil turbaverunt: sed tandem illi montes evellendo & vim & machinas Satanæ obruerunt. Tamen tumultu ne sic quidem sedato, Deus filium suam Messiam prodire jussit, cui gloriam illius victoriæ reservaverat. Ille instructus patris sui potentiâ, veniens ad locum, & omnibus suis legionibus utrimque subsistere jussis cum curru & tonitru suo in medios hostes ruit, persequitur eos resistendi impotentes ad murum Cœli; quo aperto, cum horrore & confusione desiliunt in locum supplicii, paratum illis in abysso. Messias redit triumphans ad patrem suum.

Libri Septimi.

Raphael Adami rogatu narrat quomodo, & quapropter hic mundus primo creatus fuerit; Deum, Satanâ & angelis ejus Cœlo expulsis, declarasse suam voluntatem creandi alium mundum, & alias creaturas quæ illic habitent. Filium suum cum gloriâ & comitatu Angelorum legavit ad opus creationis sex dierum spatio peragendum. Hoc

peractum

peractum Angeli hymnis concelebrant, deinde iterum in Cœlum ascendunt. Tum Adamus inquirit de motibus cœlestibus, responsionem accipit ambiguam, & admonetur potius res scitu digniores inquirere. Adamus assentitur, & adhuc cupidus detinendi Raphaelem, narrat ei quid recordatus sit à tempore creationis suæ; ut in Paradiso collocatus sit; colloquium ejus cum Deo de solitudine, & aptâ societate, primus ejus congressus & matrimonium cum Evâ contractum; colloquium ejus cum angelo super hac re, qui, admonitionibus repetitis, discedit.

Libri Octavi.

SAtanas, terrâ circuitâ, cum dolo præmeditato redit, tanquam caligo, sub nocte in Paradisum: in serpentem ingreditur dormientem. Adamus & Eva matutino tempore prodeunt ad labores suos, quos Eva statuit dividere variis in locis, utroque eorum seorsum laborante: Adamus non consentit, causatus periculum, ne inimicus ille de quo fuerant admoniti, illam solam repertam aggrederetur; Eva ægrè ferens se esse suspectam, quasi minus firma aut circumspecta esset, secessionem suam urget, eo cupidior probandi virium suarum; Adamus tandem concedit: serpens eam solam invenit; callidè appropinquat, primò intuetur, deinde loquitur, multis cum blanditiis extollens Evam supra omnes alias creaturas. Eva serpentem audiendo loquentem obstupefacta, rogat quomodo non ante hoc tempus ad humanam loquelam & intelligentiam pervenerit? Serpens respondet, se quandam arborem in horto gustando, & ad loquelam & ad rationem pervenisse, cum antea utriusque vacuus fuisset: Eva rogat eum ut se perducat ad illam arborem, & deprehendit eam esse arborem

ſcientiæ vetitam? Serpens jam audacior factus, multis verſutiis & argumentis eam tandem inducit ad comedendum; illa guſtu oblectata aliquantiſper deliberat, utrum illam Adamo impertiatur, nec ne, tandem affert illi de fructu, narrat ei quid ſe induxerit ad comedendum: Adamus primò attonitus, ſed illam videns eſſe perditam ex amoris vehementiâ, una cum illâ perire ſtatuit, & peccatum extenuans, ipſe etiam de fructu comedit: effecta hujus rei in ambobus. Quærunt operire nuditatem ſuam, tum procedunt ad altercationem, & mutuam ſui accuſationem.

Libri Noni.

HOminis prævaricatione cognitâ, Angeli tutelares Paradiſum relinquunt, & ſurſum ad Cœlum revertuntur ad approbandam ſuam vigilantiam, & approbantur, Deo declarante, Satanæ ingreſſum ab illis præveniri non potuiſſe. Demittit Angelum ſuum ad judicandum prævaricatores, qui deſcendit, & ſententiam de illis pronunciat, tunc ex miſericordia utrumque veſtibus induit, ac rurſum aſcendit. Peccatum & mors ad id tempus ſedentes ad fores gehennæ, mira ſympathia ſentientes ſucceſſum Satanæ in hoc novo mundo, & peccatum illic ab homine commiſſum, ſtatuunt non amplius ſedere in gehennâ reſtricti, ſed Satanam patrem ſuum ſequi ſurſum ad locum hominis: atque ut hanc viam à gehennâ ad hunc mundum ultro citroque reddant faciliorem viam latam ſternunt vel pontem trans chaos, ſequuti tractum qui prius à Satanâ factus eſt: Tunc parantes in terram ingredi, occurrunt ei ſucceſſu tumido in gehennam redeunti. Mutua eorum gratulatio. Satanas pervenit ad Pandæmonium.

um. In amplo ſuorum cœtu narrat magnâ cum gloratione ſucceſſum ſuum adverſus hominem; loco applauſus ab univerſo auditorio communi ſibilatione excipitur, qui omnes ſimul cum ipſo ſtatim in ſerpentes transformantur. Juxta ſententiam de illis dictam in Paradiſo; tunc decepti ſpecie arboris vetitæ exoriente coram ſe, avidè ad fructum guſtandum accedentes, manducant pulverem & amaros cineres. Progreſſus peccati & mortis; Deus prædicit perfectam victoriam filii ſui de illis, & rerum omnium renovationem, ſed in præſentiâ Angelis ſuis imperat varias alterationes facere in Cœlo & elementis. Adamus magis & magis diſcernens lapſus ſui conditionem, graviter lamentatur, Evamque condolentem rejicit; perſtat illa, ac tandem illum manſuefacit: Tunc ut evadat exſecrationem, quæ in ipſorum progeniem caſura videbatur, vias violentas Adamo proponit, quas ille non probat, ſed ſpem meliorem concipiens, illi in memoriam revocat promiſſum ſibi factum, ſemen ejus de ſerpente ultionem ſumpturum, eamque hortatur unà cum illo pacem expoſcere ab offensâ deitate per reſipiſcentiam & ſupplicationem.

Libri Decimi.

Filius Dei coram patre ſuo preces noſtrorum primorum parentum, jam pœnitentium repræſentat, & pro illis intercedit: Deus illos in gratiam recipit, & declarat non amplius ipſis in Paradiſo licitum eſſe permanere; Michaelem ire jubet cum turmâ Cherubinorum ad eos expellendos; ſed primò ad res futuras Adamo revelandas: Michaelis deſcenſus. Adamus Evæ oſtendit ſigna quædam ominoſa, cernit Michaelem appropinquantem, prodit ad illi occurrendum: Angelus eorum diſceſſum denunciat.

Evæ

Evæ lamentatio. Adamus expostulat, sed submittit se: Angelus eum ducit in montem sublimem, coram eo in visione repræsentat quid usque ad diluvium sit eventurum; exinde à fluvio eventura narrat, & gradatim explicat quis ille, semen mulieris, sit futurus; incarnationem ejus, mortem, resurrectionem, & ascensionem, statum ecclesiæ ad secundum ejus adventum. Adamus magnoperè oblectatus & animatus illis relationibus & promissis, monte descendit cum Michaele; Evam expergefacit, quæ toto hoc tempore obdormiverat, sed placidis insomniis composita ad animi tranquillitatem & submissionem. Michael utraque manu eos è Paradiso deducit, flammanti gladio â tergo eorum vibrante, & Cherubinis suas stationes adeuntibus ad locum tutandum.

Para-

Paradisus Amissus.

Liber Primus.

PRimævi cano furta Patris, furtumque secutæ
Tristia fata necis, labes ubi prima notavit
Quotquot Adamæo genitos de sanguine vidit
Phœbus ad Hesperias ab Eoo cardine metas;
Quos procul auricomis Paradisi depulit hortis,
Dira cupido Atavûm, raptique injuria Pomi:
Terrigena donec meliorque & major Adamus
Amissis meliora bonis, majora reduxit.
Quosque dedit morti Lignum inviolabile, mortis
Unicus ille alio rapuit de limine ligno.
Terrenusque licet pereat Paradisus, at ejus
Munere laxa patet Paradisi porta superni.
Hæc œstro stimulata novo mens pandere gestit.
Quis mihi monstret iter? Quis carbasa nostra pro-
Dirigat in dubio? Tu qui fulgentia puro (fundo
Lumine templa habitas, qui magni corpora mundi
Spiritus intus alis, pecudes, volucresque, ferasque,
Et genus omne hominum vitali lumine donans,
Huc ades, inceptumque una decurre laborem,
O decus, O vitæ columen, tutelaque nostræ
Et regimen, pelagóque volans da vela patenti.
Natus adoptivus Phariæ cum forte Puellæ
Pavit in Horebo pecuaria, viderat illic
Ardentem radiare rubum, nec brachia visi
Facta minora rubi, rapidis nec cedere flammis,

Tu quia nempe aderas. Idem tua visa tremebat
Horrida fumiferæ trepidanti in culmine Sinæ.
Te monstrante igitur, densis, te Autore, tenebris,
Abdita prodiderat magni natalia mundi.
Tu quoque Silonis propè flumen amabile genti
Isacidum responsa dabas, & in urbe Sionis
Templa tibi, & solido fundata oracula saxo
Fixisti, steteratque diu munimine dextræ
Urbs antiqua tuæ, multos dominata per annos.
At non ulla tamen sedes ab origine mundi
Plus dilecta tibi est, quam mens sibi conscia recti,
Et vacuum sceleris, purumque à crimine pectus:
Hæc tibi grata domus; procul ergo à pectore nostro
Pelle, precor, maculas scelerum, fraudisque malignæ,
Illustraque animum divino lumine nostrum.
Ignotas quia tento vias, nullique priorum
Prodita lingua parat dulci mea promere cantu,
Atque Sophoclæo cupit altior ire cothurno.
Tu mihi dexter ades, longisque immersa tenebris
Exsere, namque potes, nascentibus utpote rebus
Præstò aderas; tenero ceu turtur fœmina nido
Incubat & refovet, sic tu maris æquora vasti
Amplexus placidis fueras ab origine pennis
Fœcundans; procul ergo tuo splendore tenebras
Oro repelle meas, dejectamque erige mentem,
Ut celebrem digno ore, Deus, tua splendida facta
Gratus, & altiloquis referam sublimia verbis.
Justitiæque hominum genti clarissima prodam
Argumenta tuæ, & meritâ te laude coronem.
Tu, mihi (Regna poli nec enim radiata, nec usquam
Styx oculos latet atra tuos, tenebræque barathri)
Tu mihi causam aperi, nostros quæ prima Parentes,
Quos Deus ingenti jussit complexus amore
Innumeris florere bonis, sua colla beato
Impulit excussisse jugo, seseque suosque
Destruere; (Ah! vetitum tanti est decerpere lignum?)

Quem tanti caput esse mali, fontemque docebo?
Serpens ille fuit Stygii dominator Averni:
Humanæ sobolis genitricem hic fraude maligna,
Invidiâ furiisque tumens seduxit, ubi illum
Protinus ætheriis furibunda superbia regnis
Expulit, innumerâ pariter comitante catervâ,
Quorum ope & auxilio magnum rescindere cœlum
Tentabat, Superisque Jôvam detrudere regnis.
Ætherioque thronum similem conscendere regi
Incassùm meditatus erat: belloque lacessit
Ardua regna poli, variisque assultibus urget
Irritus; hunc Pater omnipotens dejecit in ima
Tartara, præcipitemque immani turbine adegit
Sulphurei in loca senta lacus, barathrique tenebras.
Hic miser ille jacet vinclis constrictus ahenis,
Perpetuis præbens alimenta perennia flammis,
Qui bello ausus erat magnum tentare Tonantem.
Jam nox præteriit novies, nonamque serena
Auroram Phaetontis equi jam luce vehebant,
Dum Phlegetontæo jacet ille in gurgite victus,
Victus & attonitus, fundoque volutus in imo,
Infausto comitante choro. Nec vita dolores
Continuata graves minuit, sed plura supersunt
In miserum cumulanda caput: periisse priora
Gaudia, perpetuum superesse in sæcula luctum
Infælicem animum cruciat: tum lumina circum
Tristitiam testata gravem, testata pavorem,
Duratumque odiis animum, & livore maligno
Lumina volvit, obitque truci procul omnia visu.
At nusquam, nisi quod lachrymas luctumque cieret
Respexit, Stygio fornax in gurgite flammam
Evomit assiduam, sed flammam luce carentem,
Ut miseranda oculis referat simulacra, doloris
Regna gravis, tristesque umbras, ubi nulla quietis
Umbra aut pacis adest, nec spes semel ulla resurgit,
Cætera quæ loca cuncta tenet, sed luridus horror

Anxia corda premit ardenti in gurgite, cujus
Sulphura perpetuas paſcunt redolentia flammas.
Hæc loca qui juſtis orbem moderatur habenis
His habitanda dedit, tenebraſque in carceris imas
Abdiderat, tantum Cœloque Deoque remotas,
Quantus ad ætherium cœli ſuſpectus Olympum.
O quam diſſimilis locus illi ac diſſonus unde
Præcipiti cecidere gradu! videt, ecce, rotatos
Vortice ſulphureo ſocios, tenuitque ſecundum
Pœnarum imperiique locum qui gentibus olim
Impia jura dedit, Balzebus nomine dictus.
Huic igitur ſcelere ante alios immanior omnes
Hoſtis atrox (ideo Satanas rectoris Olympi
Ore vocatus erat) ſic voce ſilentia rumpit:
Tune ille, ah ſubiti fatum miſerabile caſus!
Hei mihi! qualis ades, quantum mutatus ab illo
Qui modo in ætheriis radianti lumine regnis
Millia tranſieras! tune ille, ah! fœdere certo
Quem mihi dulcis amor, quem ſpes atque alea belli
Junxerat? at ſubitæ jungunt nunc fata ruinæ
Triſtia. Proh! quam terribili ſub gurgite merſa
Corpora noſtra jacent! tanto ferus ille ſuperbit
Robore, fulmineæ tanta eſt violentia dextræ.
Sed quis inexpertum tam fortibus eſſe lacertis
Crederet? at certè ut ſceleris factique prioris
Pœniteat, nullis poterit me inducere pœnis.
Propoſitum non muto meum, quanquam ille vetuſtus
Mutato mihi ſplendor abeſt, nec fracta labaſcunt
Pectora, nulla animum vincunt incommoda noſtrum,
Quem furor, ira ferox, meritique injuria ſpreti
Bellum inferre polo, Superumque laceſſere Regem
Impulit, innumeris comitum ſtipantibus armis,
Qui me prætulerant illi, & fera bella gerebant,
Sævaque in ætheriis moverunt prælia campis
Cœleſti trepidante throno. Si gloria belli,
At non cuncta etiam pariter periere, voluntas
Libera

Libera durat adhuc, ſtudiumque immane nocendi,
Immortale odium, & nunquam deſiſtere certum.
Quos aget ille igitur noſtrâ de gente triumphos?
Hanc certè haud ullo rapiet mihi tempore laudem
Vi validâ rigidiſve minis. Submittere flexo
Colla genu, trepidamque illi protendere dextram,
Degenerem argueret mentem timor iſte; priora
Omnia damna forent tanto anteferenda pudori.
Quando igitur nullis eſt noſtra coercita metis
Vita, nec ætheriam vis ulla extinxerit auram,
Armaque jam melius validis vibrare lacertis
Fortia, præteriti docet experientia belli,
Acceptumque monet venienti occurrere damno.
Certè equidem, nobis ſperandum eſt alite fauſto
Vi ſimul atque dolis hoſtem oppugnare ſuperbum,
Qui nunc magnificos agit altâ in ſede triumphos
Lætus, & in ſolio reſidet ſecurus avito.
Talia voce refert curiſque ingentibus æger
Spem vultu ſimulat, premit altum corde dolorem.
Tunc Balzebus atrox ſic ora in verba reſolvit:
Maxime Rex, cui mille alii ſua ſceptra tyranni
Subjiciunt, quem ſpirituum numeroſa potentum
Turba ducem comitata fuit, Regique ſuperno
Intulit arma ferox, validis & viribus illum
Terruerat, regnumque poli titubare coegit.
Opprimit heu! animum dolor inſanabilis ægrum,
Curaque, præteriti fatum miſerabile belli
Dum recolo: te meque ſimul parteſque ſecuta
Agmina mille tuas cœlo dejecit ab alto
Omnipotens in triſte chaos barathrique profundum,
Noſque bonis pariter ſpoliaverat omnibus omnes.
Fortunæ nulla umbra manet, niſi vita, prioris;
Vita manet, non poſſe mori ſi vita vocanda eſt.
Morte quidem mutanda foret, niſi fata reſiſtant,
Particulam ætheriæ prohibent quæ extinguier auræ.
Gloria priſca extincta jacet, vitæque prioris

Gaudia cuncta simul subitâ periêre ruinâ.
Quid tamen hoc prodest, quod qui victricibus armis
Nos domuit, qui cuncta domat, (nam obsistere nostris
Nulla nisi omnipotens potuisset dextera dextris)
Non adimit vires animi, priscumque vigorem,
Ut mala dura pati longum nos cogat in ævum,
Pascat & assiduis odium insatiabile pœnis?
Servitiisve ut colla premat captiva severis,
Sive gravis medio labor est peragendus in orco,
Seu nos Tartarei detrudat in ima barathri?
Quid vitam superesse juvat, si robora talem
Et vires alacrisque vigor servantur in usum,
Ut stet perpetuæ fatum irreparabile pœnæ?
Protinus at Stygii rex talia reddit Averni:
Angele lapse, grave est, equidem, sub jure superbo
Victoris jacuisse gravis, seu pœna ferenda est,
Seu tibi forte labor. Tamen hoc sine fine tenendum est,
Non unquam vacuam tenuisse a crimine dextram,
Nec vitiis posuisse modum: da fræna furori,
Da sceleri, laxisque nefas bacchetur habenis.
Hoc juvet, hoc placeat, nostro quia displicet hosti,
Cui, quantum liceat, sine fine resistere, nostris
Est medicina malis. Quod si scelerata retundat
Consilia, inque suam tentet convertere laudem
Provida cura dei studiis contraria nostris;
Nos quoque divinæ pariter facta omnia dextræ
Proposito fraudare scopo tentemus, inanis
Non erit ille labor penitus, studiumque nocendi,
(Ut spero) eventus habiturum sæpe secundos
Ejus in innumeras diducet pectora curas.
Nunc tamen ille ferox dans intervalla furori
Ultrices revocat rursùm in sua tecta ministros.
Grandinis, ecce, gravis, quæ Cœli à culmine lapsos
Obruit, horrisonæ cessant crepitare procellæ.
Fulmineæ fera tela manus, tonitruque tremendas
Jam posuêre minas. Forte omnia spicula tandem

In noſtrum jaculando caput conſumpſerat hoſtis
Prodigus, & vacua tacitus ſedet ille pharetra.
Hora benigna quidem rapienda eſt, ſive furoris
Hæc ſaturi eſt requies, ſeu nos fortaſſe furore
Indignos putat ille ſuo. Procul ecce ſine ullo
Hoſpite torpentes picea nigredine campos,
Lux ubi nulla micat, Stygiæ niſi lurida flammæ.
Huc rapiamus iter procul igne furentibus undis.
Hic requiem ſperate brevem, ſi fortè quietis
Spes datur ulla brevis: collectiſque omnibus una
Conſulite in medium & feſſis ſuccurrite rebus.
Proſpicite amiſſam qua nunc revocare ſalutem,
Et quibus auxiliis hoſtem oppugnare ſuperbum
Fas ſit, & antiquas iterum reparare ruinas.
Quos renovata animos renovet ſpes, quemve vigorem
Spes poſita in media arma ruens ſecura pericli
Incitet. Hac ſocium Satanas dum voce propinquum
Alloquitur, media dirum caput exſerit unda
Monſtrū horrendū, informe, ingens, flāmantia volvens
Lumina, Tartareas ſed cætera membra per undas
Prona jacent porrecta procul per jugera centum,
Terrigenas vaſta ſuperantia mole gigantes
Trinacrioque diu preſſum ſub monte Typhœum,
Quos veterum pugnaſſe Jovi mendacia narrant;
Et minor hoc fuerat ſpatioſo corpore piſcis,
Piſcis atrox, quo non alius tam grandia volvit
Corpora cœrulei ſuper æquora vaſta profundi;
De quo multa refert ſacri tibi charta libelli.
Illum (ut fama) ratis laceræ perſæpe magiſter
Jam ſomno poſitum aſpiciens in littoris undâ
Norvegii gelidâ, noctis fallentibus umbris,
Inſulam in æquoreo reputaverat eſſe profundo.
Ergo in ſquamigero defixa eſt anchora tergo,
Quæ ſtabilem ſub nocte ratem retinebat ad ortum
Luciferi, piceis undam involventibus umbris.
Haud aliter Stygii rector ſceleratus Averni

Porrectus jacuit, vinclis constrictus ahenis
Sulphurei per opaca vadi, nec tolleret illinc
Unquam immane caput. Nisi quod, Rectore supremo
Permittente, suis frustra sese ille fatiget
Consiliis, vanumque terat sine mente laborem.
Ut scelerata novis cumulentur crimina semper
Criminibus, dirumque caput sub pondere tanto
Depressum Stygii mergatur in ima Barathri.
Dumque nocere aliis animo cupit ille maligno
Terque quaterque suæ duplicet mala dura ruinæ;
Ac videat tabente oculo sua cœpta petitum
Non tetigisse scopum, quoniam favor ætheris alti,
Immensa & bonitas, nullisque coercita metis
Gratia in humanam sobolem manifesta patescit,
Quos Satanas decepit atrox, sed sanguine nati
Omnipotens Deus ipse sui de morte redemit.
Protinus ignivomo levat ille immania stagno
Corpora; sulphureæ spatiosa volumina flammæ
Ocyus hinc atque inde volant, altèque levantur,
In montes tumefacta duos, quos inter hiabat
Vallis ad ima procul Stygii demissa barathri.
Tum vero expansis volitavit in ardua pennis
Et mole insolita piceum premit aera, donec
Tellurem tetigit, tellus si forte vocanda est,
Non aliter solido quæ torrida semper ab igni est,
Quam Phlegetontæa liquidus furit ignis in unda,
Horrificam squalore putri testata ruinam:
Sicut ab Ausonio cum turbine saxa Peloro
Rapta volant, & sparsa jacent super æquora campi:
Ac veluti scopulos avulsaque viscera montis
Ejicit Ætna rapax, liquefactaque saxa sub auras
Ore vomit, latosque furens exundat in agros,
Sulphureoque jacit commistos lumine fumos.
Haud secus ardentes, igni at sine lumine terras
Infausto tetigêre gradu, cum fratre propinquo
Et scelerum socio stygii dominator Averni.

Exul-

Exultantque animis tandem superasse profundi
Horrida regna vadi, & Cœli se numine credunt
Invito veterem revocasse in membra vigorem.
Hæc regio, hæc igitur sedes, Archangelus iste
Perditus inquit, erit Cœlis habitanda relictis?
Mutandum heu! stygiis lumen cœleste tenebris?
Sic eat, omnipotens quoniam sic jussit in omnes
Imperium qui solus habet, libituque gubernat
Quicquid ubique suo, procul ergo à vultibus ejus
Ire juvat; piceas præ Cœlo hac lege tenebras
Eligimus, procul hoste juvat fugisse superbo,
Quem ratio facit esse parem, vis dura locavit
In meliore loco. Fœlicia Regna valete
Æternis cumulata bonis; mœstique pavores,
Ac trepidi salvete metus, salvete profundi
Regna vadi, vastosque sinus aperite, colonum
Acceptura novum, cujus nec longa vetustas,
Nec tenebrosa animum poterunt loca vincere firmum.
Mens locus ipsa sibi est, mens de Styge fingere Cœlum,
Et cœlum in stygias valet immutare tenebras.
Quid refert, ubicunque habitem, si firmus & idem
Perpetuo, qualemque decet, sine fine manebo,
Cætera cuncta domans, nisi quem facit esse supremum
Fulmineæ vis dira manus: hic jure alieno
Omnibus esse datur vacuis, nulloque premuntur
Colla jugo, nullam omnipotens livoris acerbi
Materiam hic videt, hinc ideo nunquam ille repellet
Agmina nostra, licet rabida tumidissimus ira.
Hic licet ergo metu posito regnare; profundi
In medio regnare vadi, me judice, præstat,
Quam super ætherii radiantia sydera cœli
Alterius dare colla jugo. Nunc ergo fideles
Cur patimur damni socios in gurgite nigro
Umbrosis septos tenebris & nocte tremenda
Attonitis recubare animis, nec jura vocamus
In socia, & socii partem sibi sumere Regni

Præcipimus, rursúmve novas in prælia vires
Jam reparare, novis iterumque lacessere bellis
Regna poli, si regna poli, Regemque superbum
Pugna secunda dabit superare, aut perdere quicquid
Restat adhuc stygiis tenebrosa in sede colonis.
Talia voce refert Satanas, Balzebus at illum
Excipit, Infernæ ductor venerande catervæ,
Flammifero ardentis clypeo, & fulgentibus armis,
Quos sola omnipotens domuit manus: hanc ubi vocem
Audierint, medii duro in discrimine belli
Quæ dabat una animos, & mille obstare periclis
Impulit, erectis animis nova prælia rursum
Tentabunt, stygii licet ima in sede Barathri,
Ut modo nos, trepidi jaceant, queis justa timendi
Causa fuit subitus celso de culmine lapsus
Sulphurei in loca senta lacus, orcique tenebras.
Vix ea fatus erat, cum spiritus altior illo
Littora nigra petit, clypei tum protinus orbem
Sydereum, vastum, & gravidum post terga retorquet.
Umbratos tegit ille humeros ut Cynthia, cœli
Nocturni decus, ætheriæ Regina choræ,
Quam Tusci artificis trans optica vitra micantem
Fesolea de rupe oculus dum cernit, in ejus
Immenso nova regna globo, si credere fas est,
Et fluvios montesque novos spectare videtur.
Hasta illum jaculi superans longè aera missi
Sustinuit, gressumque levat: (Norvegia pinus
Carbasa belligeræ gestans sinuosa carinæ,
Cunctarum licet ipsa foret longissima, vepri,
Collata huic, fuerit, minimæve simillima virgæ.)
Hac hasta subnixus iter facit ille molestum,
Ardentis per opaca viæ vestigia firmans
Saucia, vexatosque pedes: (heu! non ita campos
Carpserat ætherios) quem torrida zona sequaci
Desuper igne premit, donec ripam ille profundi
Attigit igniferi, stetit hic, subitóque tremenda

Voce

Voce vocat ſtygii miſerabile vulgus Averni,
Agmina ſpirituum, numero ſuperantia frondes
Arboreas, rapidi ſubitis quas viribus auſtri
Septima ſigna trahunt nativa è ſede revulſis.
Vimina quot diſperſa jacent, cum ſævus Orion
Oceani quatit arva rubri, queis obrutus olim
Buſiris, Phariæque cohors numeroſa catervæ
Occubuêre ſimul, fruſtra Goſſena ſecuti
Agmina freta Deo, qui tuto à littore læti
Arma virûm, fractaſque rotas, & fortia volvi
Corpora purpureas procul aſpexêre per undas;
Tot numero texêre nigram diſperſa paludem
Agmina, præteritæ bona deplorantia vitæ.
Tunc altos dedit ore ſonos, reſonante profundo
Gurgite; magnanimi Reges, validique Tyranni
Bellica gens, olim ætherio decus addita cœlo,
Hinc validâ nunc pulſa manu, ſi morte remotis
Spiritibus tantilla movet jactura dolorem;
Ergóne ſanguinei poſt tot diſcrimina belli
Hic locus eligitur, virtus ubi veſtra quietem
Carpat, ut ætherii per amœna roſaria cœli?
Fœderibuſve novis vincti procumbitis hoſtis
Victoris proni ante pedes, qui in gurgite nigro
Obruta ſeraphicæ volvi paſſim agmina turbæ,
Armaque victa videt, ſparſique inſignia belli.
Jamque repente aderunt cœlorum à limine celſo
Agmina, noſque prement pedibus crudelibus, aut nos
Turbine fulmineo tenebras in gurgitis imas
Detrudent: vigilate alacres, & ſurgite, vel mox
Inſtat in innumeris damnum irreparabile ſæclis.
  Audiit ignivomæ populus diſperſus in undæ
Gurgite, ſeque levat ſubitò, ceu nocte ſopora
Turba vigil, ſi fortè oculis admittere noctem
Incipit, ad vocem domini tremefacta reſurgit.
Haud equidem duri ſenſu caruêre doloris
Attonitis turbati animis, tamen ore tyranni

Agmina

Agmina mille sui, subito glomerata phalanges
Disposuêre suas: Phariam sic virga per oram
Amramidæ commota manu, commoverat Eurum,
Eurus at innumeras flatu vehemente locustas
Intulit, & Pelusiacum denso agmine regnum
Velat, & irriguas Nilo tegit undique terras.
Tot numero geminas librârunt corpus in alas
Agmina Spirituum stygii sub fornice regni,
Igne supervolitante caput, simul igne sub imos
Assiliente pedes, medium simul undique corpus
Igne premente, sui donec mota hasta Tyranni
Monstratum stimulavit iter, tunc agmine juncto
Remigio alarum vecti per inane profundum
Sulphurei super arva soli vestigia figunt;
Tam numerosa cohors, quantam populosa nec Arctos
E gelidi regione poli per frigore strictos
Danubii, Rhenique lacus transmisit in Austrum,
Diluvio Lybicas ubi vasto invasit arenas.
Præcipui tum castra duces liquêre, suisque
Stare loco jussis legionibus, ecce, Tyranni
Conveniunt ante ora sui, pariterque resistunt
Rex ubi forte suus steterat: gravitate venusta
Pinxerat angelicum decor & reverentia vultum
Omnibus, ætherii qui quondam in culmine regni
Ætherios habuêre thronos, sed jure rebelles
Fulmineo Pater omnipotens ex æthere pulsos
Turbine, Tartareas citò præcipitavit ad undas.
Nondum progenies Evæ nigrantibus Orci
Principibus dederat magnum & memorabile nomen:
Donec in humanis agiles sese undique terris
Circumagunt, (nam sic voluit patientia Cœli.)
Apparentque oculis hominum quasi numina, seque
Pluribus insinuant ab Adami stirpe creatis.
Autorisque sui legem docuêre sacratam
Deserere, & stupidi simulachro accumbere bruti,
Aut pecudis, volucrisve, aut piscis in æquore nati.

His hominum pars magna dolis decepta perennem
Deſeruere Deum, & pietatis imagine luſi
Idola innumeris venerantur inania formis.
Seductíque tuâ, Serpens malefide, loquelâ
Templa tibi tribuunt, tribuunt tibi thuris honores.
Nomina tum ſtygii varia aſſumpſêre Tyranni,
Humanaſque trahunt varia ſub imagine gentes.
Mens, age, prome duces, ſtygiæ quibus arbiter aulæ
Excutit implacidos ardenti in gurgite ſomnos:
Nomine quemque vocat, tenuit mora nulla vocatos;
Perque vices nunc hic, alius poſt ordine certo,
In numerumque ſui veniunt ante ora tyranni.
Dum procul aſtiterant famulorum turba remoti.
Præcipui primique Ducum de faucibus Orci
Egreſſi innumeras homini ſtruxêre per orbem
Inſidias, longóque ſuas poſt tempore ſedes
Sedibus appoſuêre tuis, Deus alme, tuiſque
Adjunxêre ſuas perſæpe altaribus aras.
Deluſaſque hominum terrent, quaſi numina gentes.
Nec magnum tremuêre Jôvam, dum e rupe Sionis
Fulminat, Angelicâ medium cingente coronâ.
Quin etiam Solymi ſacrata in limina Templi
Irruerant, variis hic ligna exciſa figuris,
Marmoraque pictique locant ludibria trunci,
(Horreſco referens) cœptiſque immanibus auſi
Permiſcere ſacris domini pia ſacra profanis,
Divinæque ſuas tenebras opponere luci.
Horum primus adeſt,qui ſæpe cruore Molochus
Humano maculatus erat, lachrymiſque parentum,
Qui pueros falſa pietatis imagine luſi
(O ſtupor!) innocuos crudelibus illius aris
Injecêre ſuos, gemitus, lachrymaſque cadentum,
Ardentumque gravi ſonitu ſuperante tubarum.
Hunc olim Ammonidæ, quos impius abſtulit error,
Horrendis coluêre ſacris in principe gentis
Urbe, & in irriguis undanti flumine campis,

Qui circumpositi Rabbam cinxêre decoram,
Atque per Argobi regionem, altumque Basanis
Culmen, & Ammonias, Arnonis flumina, metas
Nec satis hoc fuerat, Solomon quoque fraudibus ejus
Decipitur, rectóque pedem de tramite vertit.
Huic templum Rex ille (nefas!) in monte Sioni
Condidit opposito, templóque in monte Sionis.
Ille etiam Hinnomi sibi lucum in valle paravit,
Vallis & horrificæ nomen dedit inde gehennæ,
Cujus imago fuit, speciesque simillima vero.
Proximus huic Chemos, soboles quem insana Moabi
Obscœnis coluêre sacris, rituque pudendo
Quam latè patuêre Aroer Abarimque, Neboque,
Heshbon, & Heronaim, regioque immensa Seonis,
Sibmaque purpureis latè decorata racemis,
Quæque ad sulphureas Eleale extenditur undas.
Dictus & ille Peor, Nilo cum turba relicto
Isacidarum Arabas, duce numine, carpsit arenas,
Virgineis tum blanditiis gentem ille sacratam
Traxit in insidias, ritusque obscœna profani,
Hæc tamen ad colles puerorum cæde madentes
Orgia fœda viam inveniunt, & lustra Molochi
Impia sanguinei: sic juncta libidine cædes;
Utraque Josias donec pietatis amore
Fervidus ad stygias simul inde fugaverat undas.
His comites venêre Dei, quos palmifer olim
Euphrates usque ad dirimentia flumina terram
A Pharia Syriam communi nomine dixit
Ashtaroth & Baalim, speciem vox nempe virilem
Altera, fæmineum sed vox notat altera vultum.
Spiritibus facile est cuncta in miracula rerum
Transire & varias imitari & ponere formas.
Membrorum quia mole carent & compede carnis,
Alterutrum, vel utrumque valent assumere sexum,
Nunc denso apparent, nunc raro in corpore, nunc se
Involvunt tenebris, iterumque in luce refulgent,

Cum

Cum libet, & quodcunque semel voluêre peractum est,
Seu Veneris facibus rapidóque cupidinis æstu,
Sive odiis iráque velint accendere mentem.
Horum addicta sacris Jacobi insana propago,
Sæpe Deum sprevit Patrium, sacrataque jura
Præteriit, aramque Jovæ sine thure reliquit.
Et brutos sine mente Deos prostrata colebat:
Hinc merito strata est imbellibus illa lacertis,
Contigit & gelidam moribundo vertice terram.
Ashtoreth hinc venit (Astarte Phœnicia dixit)
Noctivagi regina chori cum cornibus altis,
Cujus ad effigiem, Luna radiante, coruscam
Carmina Sidoniæ cecinerunt festa puellæ:
Carmina sed non Sidonias tantum illa per oras
Nota fuêre; Sion cultu polluta profano est,
Templum & sacrificas ubi quondam extruxerat aras
Cornigeræ Rex ille Deæ: Sapientia cessit
Fæmineis heu! tanta dolis. Post ordine Thammuz
Insequitur, cujus manantia cæde recenti
Vulnera, continuos toties repetita per annos,
Frondentem in Libanum Syrias traxêre puellas:
Hujus sanguineum (proh dira insania!) fatum
Videre has olim æstivi venientia Phœbi
Lumina, & Hesperias iterum repetentia metas
Lascivis lachrymare modis: dum pulcher Adonis
Nativa de rupe fluens jam sanguine falso
Manat, & æquoreas incurrens purpurat undas.
Fabula quinetiam Solymas hæc ipsa puellas
Traxerat in laqueos, similique ardore furentes
Hæ quoque vana canunt fictæ ludibria mortis.
Viderat hæc alias inter simulachra figuras
Ezekiel, cum Idola Deus Judæa retexit,
Et gentis scelera atra suæ. Successerat illis
Qui meritas fudit lachrymas, justasque querelas
Ora sinusque madens dederat, cum protinus aram
Concidit ante sacram, divulso vertice truncus,

Truncus utraque manu, jacuitque in limine templi
Cernuus ipse sui, cultorum dedecus ingens,
Quem vano coluêre metu, de nomine Dagon.
Pube figura tenus fuit illi humana, sed atrum
Transiit in piscem species formosa supernè:
(O speciose Deus!) tamen illi templa per orás
Structa Palæstinas Azotus & Ascalon, Ecron,
Gatha & Gaza simul ritu coluêre profano
Monstrū hoc ridiculū;Rimmonq; & pulchra Damascus,
Gloria Rimmonis, dulci quam flumine manans
Abbana, quam placidis Pharphar perlabitur undis.
Quinetiam opprobriis Solymæa sacraria quondam
Ausus erat fœdare suis, cum forte leprosum
Perdidit ille Syrum, sed cassum pectore Regem
Judaicum lucratus erat, qui vicerat ipsum,
Deque suo meritos duxit victore triumphos.
Dictus Achazus erat,spreta qui numinis ara
Ætherii, Syriam fabricari jusserat aram,
Et sibi devictis super hac stolidissimus ara
Obtulerat sua sacra Deis. Hos turba sequuntur
Omnigenûm monstrosa Deûm, queis longa vetustas
Nomina mille dedit numerum referentia, verum
Isis, Orus, nunquamque satis quæstitus Osyris
Præcipuum tenuêre locum. Fanatica Memphis
Linigeræque sibi finxit vesania turbæ
Brutorum varios variorum in corpore Divos,
Non hominum; & merito ratione carentia dignis
Gens ratione carens coluêrunt numina sacris:
Et procul à vero quos devius abstulit error,
Errantes sine mente Deos, sine fine petebant,
Quærendóque suum nunquam invenienda laborem
In vacuos fudêre notos. Nec sancta propago
Isacidûm penitus diræ contagia pestis
Fugit, in Horebo quibus instigantibus Aron
Emendicato vitulum fabricaverat auro.
Dan, vituli, Bethelque, tui testantur idipsum
Numina

Numina vana manu Regis fabricata rebellis,
Frondivoris ausi, stimulante cupidine, divis
Assimilare Jovam, Phariæ qui pignora gentis
Omnia prima simul morti, Phariûmque Deorum
Una nocte suæ dedit uno vulnere dextræ.
Tum demum ecce venit Belial furibundus & atrox
Spirituum nulli dirâ impietate malorum,
Quotquot ab ætherio cecidêre in tartara regno,
Inferior, cui triste nefas, cui crimina cordi
Impia sunt, & amore scelus complectitur arcto:
Non isti templum exstruitur, non ulla calescit
Ara Deo, quis templa tamen, quis crebrius aras
Visus adire fuit? Quoties divina sacerdos
Polluit, Ælæi ut soboles scelerata rapinis
Luxuriaque domum domini fecêre profanam.
Hic etiam Regumque domos Procerumque frequentat,
Magnificasque urbes, ubi turribus altior exstat
Effera vis, furor, ira ferox, plateasque tenebris
Nox ubi nigra tegit, soboles Belialis oberrat
Inflammata mero diraque libidine pectus.
Sic Sodomam, sic & Gibeam peragrare solebant,
Hospes ubi teneras veritus pejora puellas
Prostituit. Primi fuerant illi ordine: cunctos
Longa mora est alios, famâ licet undique notos,
Enumerare Deos: quos dives Ionia, quanquam
De genitore polo, terra genitrice creatos,
Credidit esse Deos. Titan stirps maxima Cœli,
Et genus anguipedum Titanis semine natum
Saturni cecidêre manu: Saturnus at ipse
A Jove stirpe suâ, genitrix quam Rhea creavit,
Pulsus erat solio: Regnum occupat ille paternum.
Hi primum in Cretâ sedem regione locârunt,
Deinde autem nivei conscendunt culmen Olympi,
In medioque plagæ sceptrum soliumque tenebant
Aeriæ: nunquam in Cœlum sublimius illis
Contigit ire Deis. Delphos habitavit Apollo,

Sed Dodona Jovem tenuit ; per Dorica late
Regna superstitio frænis resoluta vagatur,
Innumerosque Deos coluit : Saturnus in ora
Delituit latia, regnoque expulsus avito,
Fugit in Oenotrias, trepido pede concitus, umbras.
Conveniunt, pariterque gregem coguntur in unum :
Omnibus unus erat vultus, color omnibus unus,
Tartareis tenebris, nigróque simillimus Orco :
Se tamen exiguæ latebrosa crepuscula produnt
Lætitiæ, reducem quoniam vidêre tyrannum
Dejectum relevâsse caput, licet ora coloret
Pallidus atra pavor : verbis mox ille superbis
Plurima vana ferens, lenit solando dolores
Servorum, relevátque metus curásque suorum.
Tum verò attolli speciosa insignia belli
Inflatis jubet ille tubis, lituísque sonoris.
Protinus Azazel, alto qui corpore cunctos
Eminet ante alios, & toto vertice supra est,
Signifer Azazel, (hoc ille superbit honore)
Jussa libenter obit, baculóque innexa corusco
Jam signa ante oculos regalia circumfusos
Explicuit : tum crinigeram referentia stellam
Huc illuc agitata tremunt, & in aere flammas
Disjiciunt, latéque micantia lumina mittunt,
Angelicis signa apta choris, nec tum tuba cessat
Alta ciere animos, bellúmque accendere cantu,
Æreaque assensu conspirant cornua rauco.
Hoc ubi cuncta vident stygiæ simul agmina turbæ
Horrificis fremuêre sonis, rumpuntque tremendo
Tartareas clamore domos, sedemque profundam :
Cunctaque signa simul guttas superantia vasti
Oceani rutilas jaculantur in aere flammas
Innumera sublata manu. Mox exstitit ingens
Hastarum seges, & galeæ clypeique coruscant
Tergemini. Tandem densæ procedere turmæ
Incipiunt, gressúmque movet seges ærea cantu

Ionios

Ionios imitante modos, ubi musicus olim
Cantibus exacuit fidicen ad martia bella
Magnanimûm sedata virûm, mortísque fugæque
Inscia corda, vel oppressos formidine tristi
Cum voluit mulcere animos, nebulasque dolorum
Blandiloquis agitare sonis: sic ferrea turbæ
Agmina Tartareæ sedato pectore tendunt
Atque dolorificum loca per torrentia gressum
Mellifluis mulsêre modis: Jámque ecce resistunt,
Atque super medios figunt vestigia campos
Armorum accensi radiis, atque agmine tanto
Quantum acie possent oculi servare sequentum
Expertis hastas manibus clypeósque gerentes
Principis inferni imperio parere parati
Mente alacri, ille oculo cunctos metitur acuto,
Et volucri armiferas speculatur lumine turmas:
Turmas angelico vultu, formáque coruscas
Angelica: dedit hoc animos, & pectora fastu
Intumuêre novo, numeróque & viribus audax
Jactat; ab exorti nam quicquid origine mundi
Armorum videre oculi sonuítve per aures
Fabula prisca avidas, his si collata fuissent,
Quid nisi Pigmæi fierent imitamina belli?
Bella Gigantææ referat licet horrida turbæ,
Et pugnam Iliacam, fraternáque prælia Thebes
Diversis agitata Deis: celebratáque fictis
Utheridæ historiis illustria facta Britannâ
Armoricâque equitum circumstipante catervâ,
Et quicunque fide vacui, Christúmve professi
Bellorum in Trebisond, vel in Aspramonte, Damasco,
Vel Montalbano, Marocco, aliâsve per oras
Gestorum vacuas, implent narratibus aures;
Quósque dies medius Lybicis effudit arenis,
Cum Charlemannus, violentâ morte peremptus,
Concidit, & proceres etiam simul illius omnes
Straverat una dies: tantâ virtute Phalanges

Pollebant ſtygiæ, promptæque audire ſtetêrunt
Jura ſuperba ſui ſubmiſſo corde Tyranni,
Intentiſque animis : forma vultuſque verenda
Majeſtate alios longè hic ſupereminet omnes.
Aeriæ turri ſimilis, nec frons caret omni
Nativo ſplendore, manent manifeſta ruinæ
Signa Archangelicæ, celsoque à culmine lapſus,
Perfuſuſque nitor maculis : ſic Phœbus Eoum
Scandit Horizontem nebulis ubi conditus atris
Subtractos inhibet radios : tectuſve ſororis
Objice cum ſubitis ſimul omnia regna tenebris
Horrificat, Regûmque animos formidine terret.
Haud alio de more micans Archangelus omnes
Præradiat ſplendore alios : ſed fulmina ſulcos
In facie duxêre nigros, mœſtaſque colorat
Pallida cura genas : riguit tamen aſpera ſævis
Frons caperata minis, habitatque ſuperbia vultum,
Tigride lumen erat violentius, hoc tamen ipſum
Signa doloris habet, comitum tot millia ſpectans,
Quos procul ætherii radianti à culmine Cœli,
Secum in Tartareas ſimul ille attraxerat umbras.
Cui tamen in mediis miſeranda hæc agmina perſtant
Fida malis, ut fulmineos cum pertulit ictus
Stat pinus ſpoliata comis, ſtant robora nudo
Nuda ſolo : jam Rex ubi linguam in verba paravit
Solvere, mox ſtygiæ curvant ſua cornua turmæ,
Circumſtantque alacres ; tum facta ſilentia linguis,
Ter fari conatus erat, ter lingua reſiſtit,
Ter lachrymis maduêre ſinus & pectora, quales
Angelicis fas eſt oculis effundere, tandem
Sic hos affari, & curas his demere dictis
Incipit, in medias gemitu veniente loquelas :
Vos O ſpirituum tot millia morte carentum,
Et ſoli inferiora Jovæ, nec laude carebat
Pugna peracta, licet fatis minus uſa ſecundis :
Hoc miſer ille locus, denſis circumdatus umbris,

Hoc strages inopina docet: sed præscia tanti
Quæ poterat mens esse mali, licet omnia, quicquid
Præteritum præsénsve, sciat? Quis crederet unquam
Tot simul Angelicæ ferro radiantia turbæ
Agmina tam subita sterni potuisse ruina?
Ecquis enim nostris (licet heu mala tanta feramus!)
Viribus indubitet, quin tot quin tanta potentum
Agmina spirituum, quorum fuga tristis Olympum
Evacuat, mœstas iterum reparare ruinas
Ætheriámque iterum possint conscendere sedem.
Certè equidem testis Cœlorum exercitus omnis
Est mihi, me nunquam studia in contraria raptum,
Aut animi timidum duro in discrimine belli
Hanc nobis peperisse necem: Sed Rector Olympi
Ante quidem in solio sedit securus avito
Consensu nixus populari & more vetusto:
Omnibus Augusta jam majestate verendum
Exhibuit regale decus, sed robora dextræ
Abdidit ille suæ; præceps audacia nobis
Hinc orta, hæc subitam dedit ignorantia cladem.
Jam patet æternæ manifesta potentia dextræ,
Jam quoque nostra patet: quarũ utraq; si modo nobis
Antehac nota forent, non arma rebellia nostrâ
Sumpta manu superisque metum nobisque ruinam
Attulerant, placidam Cœli turbantia pacem.
Si tamen ille parat nova prælia, fervida nobis
Est vis, est animus lucis contemptor, & istum
Qui vita bene credat emi quo tendit honorem
Quod superest validum tentemus fraudibus hostem,
Quemq; haud vi superare datur, dolus opprimat illum.
Sic mala quæ tulimus minimè patiemur inulti,
Parque pari pensare licet. Qui vicerit hostem
Robore, dimidio potitur tantum ille triumpho.
Fortè dies aderit (quæ nunc, ita credo, propinquat)
Cujus in ætherio fama est celeberrima Cœlo,

Qua mundum Deus ille novum, sobolémque priori
Dissimilem populo, fabricabit origine mirâ.
Nec minus angelicis hanc diliget ille choræis,
Ergo alacres pariter speculatum exibimus illuc;
Illuc, aut alio; nec enim cœlestibus atra
Spiritibus Styx carcer erit, tenebræque Barathri
Perpetuus; verum ad peragenda hæc ardua certè
Consiliis opus est; pacis spes nulla superstes:
Ecquis enim vult colla jugo submittere? bellum,
Bellum vi validâ, tacitâ vel fraude gerendum est.
Dixit, & assensum testantia lumina jactant
Millia multa simul gladiorum, exerta potentum
Spirituum femori: nova lux hæc discutit atri
Immensas Orci tenebras: sonitúmque dederunt
Horrificum flictu clypei, tenebrosáque gaudent
Tartara regna poli, superúmque lacessere Regem.
Non procul hinc aberat Mons, culmine cujus ab alto
Fumea flamma volat; pars cætera lumine fusco
Palluit, unde patet latuisse in ventre metallum,
Sulphureæ fornacis opus. Volitaverat illuc
Confestím numerosa cohors, velut agmina quondam
Densa securigeræ fossas ductura catervæ,
Bellatricem aciem properant prævertere cursu,
Et bellis aperire viam: regit agmina Mammon,
Mammon, quo nullus cecidit demissior alti
Spiritus arce poli: quin ipso in culmine Cœli
Vultu animóque simul tendebat ad infima semper,
Calcatásque magis gemmas, aurique nitorem
Suppositum stupuit, quam quicquid amabile Cœlum
Exhibet ætherium: penetravit ad infima Terræ
Hoc duce gens hominum; materno & viscere rupto,
Effodiebat opes irritamenta malorum.
Jámque securigeræ fecerunt vulnera turbæ
In montis latere, & costas rapuêre metalli
Flammiferas. Ecquis stygio miretur in orco

Cre-

Crescere divitias? Locus iste aptissimus istis
Est laqueis. Quicunque igitur Babylona superbam,
Pyramidesque stupes Pharias, huc dirige, sodes,
Lumina; magnificæ monumenta perennia famæ
Humano commenta animo, multosque per annos
Innumerâ fabricata manu, labor ille malorum
Spirituum exiguæ spatio superaverat horæ.
Non procul in medio steterat turba altera campo,
Uni intenta operi, multis inclusa cavernis,
In quas flammiferi humores Phlegetontide lympha
Venêre; hic fluit æs rivis aurique metallum,
Vulnificúsque chalybs vastâ fornace liquescit.
Quodque suum populatur iter, quod panderat illis
Tertia quæ varias fabricavit turba figuras
In gremio Terræ, quo derivata metalla
Profluerent, variasque queant assumere formas.
Unum inflata velut per mille foramina ventum
Organa disjiciunt: mox ingens fabrica surgit,
Ut vapor exoriens solidæ de viscere Terræ,
Blandiloquis comitata lyris cantuque sonoro,
In templi fabricata modum, non defuit illic
Gloria marmoreæ gemmis radiata columnæ
Flammiferis, crassumque trabes absconderat aurum,
Aureáque in varias simulacra efficta figuras
Hic steterant, rutilo culmen radiaverat auro.
Non Babylon, non ulla ævi monumenta vetusti
Hanc poterant æquare domum, dum Egyptia tellus
Provocat Assyriam, non hæc non cesserat illa,
Dum meliore novas attollunt marmore villas:
Dum vastis certant opibus, dumque illa Serapin,
Altera magnificis Belum decorare columnis
Numina vana parat: minitans jam machina Cœlo
Ardua mole sua steterat. Tum janua vastas
Explicat alta fores: celsis innixa columnis
Apparet domus intus, & atria longa patescunt,

Et suspensa gerunt pulchri laquearia tecti
Undique sulphureas jaculantia lumina flammas,
Cœruleo ceu fixa polo : ruit undique vulgus
Ingrediensque novi stupet ardua culmina tecti.
Nullâque lingua tacet : opus hic mirabile laudat
Ille autorem operis, cujus notissima quondam
Dextera in ætheriis excelsa palatia regnis
Extulit, angelicæ resident ubi mille catervæ
Agmina magnificis sceptrum quatientia dextris.
Quos Pater omnipotens rerum cui tanta potestas,
Ordine quemque suo sublimi in sede locavit.
Nec vero hic opifex Græcis ignotus in oris,
Aut inhonorus erat : Italis quoque nomine dictus
Mulciber ; hunc olim pravi male credulus error
Finxerat irati jactu Jovis æthere lapsum
Cœruleo, cum Sol primo surgebat Eoo,
Donec in Hesperias iterum caput abdidit undas,
Immensa cecidisse via : Phœboque cubile
Jam repetente suum, Lemnon tetigisse, ubi circum
Ægææ furit æstus aquæ : sic vana vetustas
Credidit ; hæc veterum celebrant mendacia vatum :
Verum ille innumeris antehac Cœlo excidit annis,
Denso immorigeræ numero comitante catervæ,
Sulphurei in loca senta vadi : nec profuit illi
Struxisse ingentes magno molimine turres
Syderei super astra poli, nullaque ruinam
Evasit ratione suam, quin lapsus ab alto
Cum pœnæ ac scelerum sociis cogatur in orco
Nonnisi tartareo vastas attollere moles.
Interea aligerum Præconum turba Tyranni
Imperiis excita sui simul astitit, & mox
Convocat ære cavo stygiæ cuncta agmina turbæ
In Pandæmonium, inferni capitolia, sedem
Regificam stygiûm procerum, stygiique Tyranni,
Jamque tacente tuba Præconis voce vocantur

Præ-

Præfecti innumeris equitum peditumque catervis
Pro ratione loci & graduum quos quique tenebant;
Protinus hi simul accelerant, sua quemque sequuntur
Turma comes: glomerata ruunt quot millia circum
Augusti portas tecti, spatiosáque circum
Atria! Præcipuè vastam compleverat aulam
(Quamlibet illa foret campi pugnacis imago
Quo quondam soliti Athletæ descendere in armis
Magnanimi, vitaque suam defendere famam.)
Turba frequens per humum, totumq; per aera pennæ
Dant sonitum flictu streperæ: sic agmine denso
Vere novo tepidas revocat cum signifer auras
Innumeræ glomerantur apes, tectumque relinquunt
Melliferum, sobolísque novæ nova gramina passim
Invadit numerosa cohors, volitatque per herbas
Roriferas, placido demulcens prata susurro,
Aut super oblongum & tinctum bene olentibus herbis
Stramineæ præstructa urbi pomæria lignum
Conveniunt, regnumque suum, civesque procurant;
Haud secus Aerium denso stetit agmine vulgus
Et pede pes premitur, premitur quoq; corpore corpus,
Maxima turba, dato, donec, (mirabile) signo,
Quæ modo terrigenas superabat mole gigantes,
Jam nanis minor est, spatioque includitur arcto.
Pygmæos imitata greges, imitata Napæas
Noctivagas, quas ante nemus, vel fontis ad undam
Nocturnos agitare choros per prata viator
Aut videt aut vidisse putat, dum fratris ab alto
Æmula luna videt claro splendore coruscans
Albentique rotâ propius descendit, at illæ
Lusibus & choreis & cantibus hospitis aures
Oblectant, agitante licet formidine pectus.
Agmina spirituum subito sic morte carentum,
Immensa in minimas redigunt sua corpora formas,
Et posita jam mole sedent, latéve vagantur

Quo-

Quolibet in ſtygiâ, ſpatium quia ſuppetit, aulâ.
Sed longè interiùs, propriæ nec mole figuræ
Depoſita ſtygiæ procul in penetralibus aulæ,
Seraphici ſedêre duces, numeroſa propago
Semideûm in ſoliis nitido radiantibus auro.
Facta ubi parva quies linguis, & nomina lecta,
Conſilium incipiunt magnis de rebus habendum.

Finis Libri Primi.

Para-

Paradisus Amissus.

Liber Secundus.

ECce super solio, cui gloria divitis Indi
Cesserit, & rutilas Hermi volventis arenas,
Immensæq; Orientis opes, ubi semper inundant
Littora barbaricos pluvia radiante tyrannos,
Consedit Satanas aliis sublimior, unus
Nam scelere ille alios longè supereminet omnes:
Cui visa una salus nullam sperare salutem;
Spe majora tamen voti insatiabilis optat;
In Cœlosque parans redivivum accendere bellum,
Vocibus his animi prodit studia irrita vani.
Augusti gravitate throni, seriesque Deorum,
Cum vigor ætherius, barathro si conditur imo,
Protinus emergens iterum caput exserat altum,
Non Cœli spes omnis abît: vis edita Cœlo
Huc detrusa iterum majori laude resurget
Tuta, metu posito, fati secura secundi.
Fas & jura quidem, & fatum inviolabile Cœli
Me vestrum statuêre ducem, dein ipsa voluntas
Libera, quicquid item vi vel stratagemate laudis
Promerui, sed nunc triste hoc ante omnia bellum
Invidiæ diadema meum transcendere metas
Efficit. Ætherii radianti in culmine Cœli
Qui meliore loco residet fortasse minores
Invidia stimulare potest: livoris at ille
Quo jaculo dignandus erit, qui meta Tonantis

Fulmi-

Fulminibus ſit prima manus, & ſæva retundens
Spicula, quæ feriunt ictu leviore remotos,
Pondere perpetuæ premitur majore ruinæ:
Quippe ubi nulla ſubeſt bonitas, ibi nulla ſimultas
Exoritur; piceum populis habitantibus Orcum
Non ea vis animi, nec tanta ſuperbia, ut optet
Aſperiora pati, ſtimulante cupidine laudis.
His ergo auſpiciis fretus jam denuò regni
Vendico jura mei; non ſic ſuper æthera veſtro
Fiſus amore fui. Status hic miſerabilis omnes
Vos faciet magis eſſe meos, veſtramque ligabit
Firmo Adamante fidem: ſolum hoc adverſa ſecundis
Proſperiora facit. Jam quæ ſolamina noſtris
Invenienda malis, dolus, an vis obvia belli?
In commune ſimul ſocias intendite curas.
Libera porta patet veſtrum cuicunque loquendi.
Hæc ubi fatus erat, ſiluit, ſurgitque Molochus
Sceptrum immane gerens: non illo ſævior alter
Intulit arma polo; nunc ſe quoque ſævior ipſo
Æternum æquiparare Deum cupit, hoc petit unum,
Hoc vult, aut nihil, hac agitante cupidine mentem
Fulmineam non ille manum,aut Phlegetonta furentem
Horruit, his igitur violentus vocibus infit:
Arma mihi, ferte arma, dolis non glorior ullis;
Fraus etenim intentata mihi: fraus ſublevet illos,
Queis opus eſt, quotieſq; opus eſt: Ubi robora deſunt,
Robora fraude juvent; non hæc ſunt commoda fraudi
Tempora: vana animis iſti dum plurima volvunt,
Millia multa ſimul nunc in radiantibus armis
Hic ſtabunt, dum incerta manent inſignia belli,
Pulſa polo, & tenebris ſeptũ atque horrentibus umbris
Antrum immane colent, ſævique ergaſtula regis;
Cui regnũ mora noſtra dedit? procul,hoc procul abſit,
Quin potius ſuper alta novum reſerare paramus
Aſtra aditum, celſaſque poli perrumpimus arces.
Jamque adeo tormenta feri tortoris in ipſum
Proſi-

Prosiliant jaculata caput: dabit ipse ruinæ
Arma ministra suæ: streperoque occurrite Cœlo
Fulminibus stygiis, infernaque fulgura cogant
Angelicos trepidare choros: ipsamque Tonantis
Sedem sulphureis radiatam obducite flammis.
Inventis cadat ipse suis; sed in ardua tendens
Insidiosa via est, ubi desuper imminet hostis,
Præcipitesque parat celso detrudere muro.
Hi vero, nisi forte stupor lethæus in illis
Durat adhuc, sensumque animi nisi sustulit omnem,
Ætherios reputent animos ascendere sponte
Ætheriam, sua regna, domum; vis sæva deorsum
Impulit; ecquis enim potuit non cernere, nostram
Hoste premente fugam picei per opaca profundi,
Quantus in has sudor tenebras nos merserit, & nos
Quantus in imâ labor perduxerit. Illico sursum
Tendere perfacile est: Sed inanis turbida vexat
Pectora nostra pavor: rursúmne movere furorem
Illius ausus eris, cujus modo robore duro
Pressus eras? Miseríne satis dudum esse videmur?
Mox inimicus atrox aderit, mox multa reducet
Inflictis graviora malis: Quid durius ultra
Restat? Ab ætheriæ jam limine pellimur Aulæ,
Æternasque pati tenebroso in gurgite pœnas
Cogimur: & sortis sine spe melioris in ævum
Viscera perpetuis nunquam pereuntia flammis
Longa alimenta dabunt, simulac miserabile tempus
Venit, ut horrifico subdamus terga flagello:
Hæc nos pœna manet, cui si superaddere pergat;
Protinus in vacuas tenuati exibimus auras.
Quis metus ergo inhibet? Cur nunc dubitamus inepti
Inflammare trucem magis & magis usque furorem?
Quippe ubi jam tetigit celsum furor ille cacumen,
Primævum in nihilum gravitas immensa dolorum
Vertet, & ad primos iterum revocabimur ortus.
Hoc satius certè est, quam semper fletibus udas

Ferre

Ferre genas, longumque pati per ſæcula luctum.
Aut ſi morte caret veniens ab origine proles
Ætheria, at vacuas nihili non tangere metas,
Proderit. Uſque novo Cœlum vexare tumultu
Fas erit, æternique thronum turbare Tonantis.
Invicti ſedeat licet ille in culmine regni,
Hæc tamen ipſa gravem minuet vindicta dolorem.
Talia fatus erat, vultuque horrendus & atrox
Vindictam ſpirare avidam, ſpirare tumultus
Viſus erat, ſævumque Deis indicere bellum.
Parte alia, facie, geſtuque decentior illo,
Aſſurgit Belial, quo non formoſior alter
Æthere pulſus erat, natuſque ad facta videtur
Præclara, atque aliquid vultu promittere magnum.
Turpis at intus erat. Suavis dulcedine mellis
Voce fluente poteſt ſpecioſum obtendere velum
Flagitiis, vultuque nefas veſtire decoro,
Conſiliique boni nervos reſcindere, ſolers
Ad mala, verum animi timidus, metuenſque pericli
Præclarum nihil ille parat : tamen allicit aures
Suaviter, & placidis effatur talia dictis :
Ipſe quidem, O Proceres, manifeſtũ indicere bellum
Conſulerem, ipſe etiam pugnas hortarer apertas,
Nulli odio inferior, niſi, quæ modo maxima belli
Primaque cauſa data eſt, animo contraria noſtro
Suadeat, eventuſque vetet ſperare ſecundos ;
Ipſe etenim qui ſeſe alios præcellere cunctos
Magnanimâ virtute putat, ſpem præcipit omnem
Abjicere, & vetitæ ſtudium deponere palmæ,
In nihilumque iterum ſperat, quaſi meta malorum
Hæc foret, ulta ubi ſe fuerit gravis ira, reverti.
Primum, ecquæ populis ſperanda eſt ultio noſtris ?
Ætherii circum radiantia mœnia Cœli
Stant vigiles, omnemque aditum cuſtode coronant,
Et Phlegetontææ perſæpe in margine ripæ
Caſtra locant, nulloque volant ſtridore per umbras,

Pallentes umbras Erebi. Furor hosticus illis
Ludibrio est, nostræque jocos molimina turbæ
Suppeditant. Sed regna poli perrumpere detur
Scilicet, & stygiis invadere sydera turmis,
Et Cœli violare diem; tamen ille sedebit
Tutus, & in solio vacuus terroris avito.
Ipsaque sulphurei maculas expelleret ignis
Regia pulchra poli, stygii nec signa vaporis,
Ullave Tartareæ superessent pignora flammæ.
Desperare igitur restat spes una repulsis:
Omnipotensque sui mox omnia tela furoris
Proferet, irarumque omnes effundet habenas,
Et nos in nihilum rediget: sic unica nobis,
Unica nunc medicina manet; sed proh dolor! ipso
Deterior medicina malo. Quis perdere vellet
Hunc animum, atque animi pariter consulta sagacis,
Quamlibet ingenti pressus sub mole dolorum,
Et sensu motuque simul cum luce relictis,
Æternæ insinuare iterum se in viscera noctis?
Esto tamen melius privari lumine vitæ
Quam miseram in luctu & tenebris producere mortem.
Nósne potest? Sin fortè potest, volet ille reductos
In priscum revocare nihil? Dubitanda potestas
Illius, atque etiam contra stat fixa voluntas.
An cui tanta animi sapientia, fræna furori
Cæca dabit, rapietque adeò temerarius illum
Impetus, ut votis hostilibus annuat, & quos
Irarum sine fine scopum fore destinat, illos
Abreptus subita consumptos deleat ira?
Cur igitur cessamus, ais, contendere bello,
Nec nostrum rabidas animum stimulamus in iras,
Supplicium quos nempe manet, crudele per ævum
Exitium; ergo animi furias accendite vestri.
Supplicium nos triste manet, cariturаque metis
Pœna, quis ergo metus plura aut graviora ferendi?
Nullus an hoc pejor status est, dum in sede quietâ

Con-

Consulimus pariter, pariter radiamus in armis?
Quin atram revocate diem, Pater Ætheris alti
Fulminea cum terga manu fugientia pressit,
Atque fugæ in medio latebra est quæsita profundo,
Tartarus ipse fuit plagis jucundior istis:
Aut ubi ferratis unda in Phlegetontide vinclis
Constricti fuimus, quanto tunc illa fuerunt
His graviora malis? Quod si jam Spiritus idem,
Qui Phlegetontæis primum dedit ignibus ortum,
Hos bis tergeminâ cumulans armaverit irâ
Afflatu stimulante novo, nosque illico flammas
Jecerit in medias? quod si ferus ille rubentem
Horribili rediens onerârit fulmine dextram?
Exhaustamque novis iterum replere sagittis
Incipiat pharetram? quod si depromeret omnem
Ira simul divina penum? Convexa Gehennæ
Desuper igniferas si mox vomerent cataractas,
Fluminaque ignivomæ Styx atra effunderet undæ
In nostrum ruitura caput? vel vana superbis
Dum meditati animis studio indulgemus inani,
Speramusque novis rursum astra lacessere bellis,
Mox fœdam glomerans tempestatem imbribus atris
Turbine corripiat, scopulisque infigat acutis?
Flammiferive hujus fundum devolvat in imum
Oceani, vinclisque loco constringat in illo,
Ut sine spe, sine fine, novos sine vindice questus,
Et lachrymas, gemitusque novos fundamus in ævum?
Præteritisne malis longè hæc graviora fuissent?
Bella igitur seu vi, tacitâ seu fraude gerantur
Judiciis sunt vana meis: quis fraudibus ullis
Læserit illum,oculis simul & semel omnia claris
Qui videt? Ætherii celso de culmine Cœli
Nostrorum studia atque dolos deridet inanes,
Ac velut indomitæ superat nos robore dextræ,
Consiliis nostra ille suis truncata recidit.
Et nostras ludit sapientior artibus artes,

Noſne animæ viles ſpretum & miſerabile vulgus
Vivemus? Nos ætherio ſtirps edita Cœlo
Omnibus objicimur pedibus, ceu vile ſcabellum?
Nativoque procul ſolio, ſceptriſque neceſſe eſt
Exilium, tormenta pati, rigidaſque catenas?
Judiçe me, hæc potius quam deteriora ferendum eſt;
Cum cogat dare colla jugo victoris acerbi
Decretum omnipotens & ineluctabile fatum.
Viribus ut vanum eſt Cœlorum obſiſtere Regi,
Sic etiam patienda, pati quæcunque jubebit;
Nec data lex injuſta poteſt aut dura videri:
Proſpicere hæc, niſi mens maleſana & læva fuiſſet,
Debuimus, cum tam validis occurrimus armis,
Ambiguoque ſtetit titubans victoria nutu.
Ridendos ego jure putem, qui fortiter armis
Cum caput obtulerant hoſtilibus, illico victi
Cum trepidæ dant terga fugæ, ventura tremiſcunt
Dedecus, exilium, plagas, & vincla ſuperbi
Victoris. Noſtræ hæc facies, hæc forma ruinæ eſt:
Si patiente animo patimur, fortaſſe ſeverus
Lenior hoſtis erit, rabidamque remiſerit iram;
Ac tanto à nobis ſpatio ſemotus, acerbas
Præterito non ille petet de crimine pœnas,
Supplicio exacto ſatur; & deſæviet ignis
Inferus ætheriæ ſi ceſſat anhelitus iræ.
Tum noſtra æſtiferum poterit ſuperare vaporem
Progenies, ſenſimve malis dureſcere longis.
Aſſuetudo malum minuet, naturaque tandem
In genium mutata loci; ſenſuque doloris
Depoſito rapidæ veniet patientia flammæ.
Blandior horror erit, tenebræ quoque lumina fient,
Longaque venturi fuga temporis, aut melior ſors
Spe potiora dabit, miſeriſque levamina rebus.
Sit fortuna licet præſens improſpera, ſaltem
Deteriore tamen melior; nec peſſima, ſi non
Præteritis nova damna malis accerſimus ultro.

Conſilium hoc Belialis erat, pigramque quietem
Pacificumque probat fucata voce ſtuporem,
Non pacis bona vera bonæ. Tum talia Mammon :
Vel ſolio ſceptriſque Deum depellere, vel nos
Rurſus in aſtra Poli, veteremque reducere ſedem,
Ad bellum ſtimulare queant, ſi bella gerenda.
Illum autem ætherii ſolio detrudere Regni
Sperandum eſt, ubi ſors fatum inviolabile ſternet
Sub pedibus, referetque Chao ſub judice palmam.
Cum ſit vanum igitur primum, ſperare ſecundum
Vanius eſſe patet : quæ nos plaga, quæve teneret
Nos regio ætherii ſuper aurea mœnia cœli,
Noſtra niſi ætherium domuiſſet dextra tyrannum.
Si tamen accenſam placidus deponeret iram,
Confeſſiſque daret veniam, blanduſque quietum
Sumeret in miſeros animum, mentemque benignam :
Qua fronte ante pedes hoſtis recubare ſuperbi
Poſſumus, & domito juga rurſum inducere collo ?
Illius & laudes quali celebrabimus ore ?
Inviſumque novis numen dignabimur hymnis,
Dum celſo ſedet ille throno, dum altaria ſpirant
Illius Ambroſiis latè redolentia ſertis,
Quæ noſtræ poſuere manus ? habitantibus alti
Hic erit aſtra poli labor, hæc erit una voluptas.
Quam miſerum hoc fuerit, longis ſuper æthera ſæclis
Hoſtilem ante oculum vultum ſi in pulvere verras ?
Cur ergo in veteres cupimus remeare penates,
Quo neque vi penetrare datur, neque Rector Olympi
Si reditum in ſua regna daret placabilis, illic
Servitium cordi eſſe poteſt ſubiiſſe vetuſtum ?
Quin potius noſtrum nobis tentemus in ipſis
Nos reperire bonum, & miſeris ſolamina rebus,
Quamlibet obſcuris Barathri lateamus in umbris,
Libera vita jugo rutilis radiante metallis,
Libera, dura licet, potior, me judice longe eſt.
Accreſcitque decus titulorum, & gloria major,

E parvis ubi magna fluunt, ubi prospera duris,
Utilitasque suam vocat ipsa incommoda matrem.
In mediis, quocunque loco, quocunque recessu
Degerimus, florere malis, patiente malorum
Vincere dura animo, prima est & maxima virtus.
Quis densas Orci tenebras noctemque profundam
Horreat? Ipse Pater magni sublimis Olympi
Se circum furvo nebularum obducit amictu,
Divinum haud ulla macula spoliante decorem,
Nocte repentina subito tenebrisque verendis
In mediam lucem venientibus, unde tremendis
Fulminat ille globis, cœlumque in Tartara solvit.
Num minus ergo licet nobis radiantia cœli
Lumina, quam Stygias illi simulare tenebras?
Hæc loca deserta & nullis habitata colonis
Visceribus gemmâque suis auróque coruscant.
Nec manus arte caret magna & præclara struendi
Tecta, & sydereo minitantia vertice cœlo.
Quid majus domus alta poli præstare valebit?
Tempore quinetiam versa in contraria tandem
Ingenium tormenta suum deponere forsan
Incipient, sævæque furor mitescere flammæ,
Paulatimque dolor fugiet: sic omnia pacem
Et requiem quamcunque mali suadere videntur,
Pro ratione status miseri qui detinet omnes,
Pro ratione loci tenebrarum horrore repleti,
Depositis belli studiis: en cernitis omnes
Quid moneam, & quæ sit nostræ sententia mentis.
    Hæc ubi fatus erat, cuncti simul ore fremebant,
Flamina ut altisonis picea sub nocte procellis
Quæ vitreos movere lacus, sed mane recenti
Languidiora sonant, & per cava saxa volutant
Murmura sollicitis somnum suadentia nautis,
Quorum, composito ventique marisque tumultu,
Anchora fixa stetit scopulosæ in margine ripæ.
Haud alios dederant sonitus, Mammone locuto,

Usque adeo placidæ delectat mentio pacis.
Objiciturque oculis belli infelicis imago
Tristior horrifici tenebris nigrantibus Orci.
Fulmineos tremuêre globos, tonitruque sonorum
Atque Archangelicæ ferrum penetrabile dextræ,
Nec minus accendit studium nova condere regna,
Æmulaque ætherio fundare palatia cœlo.
Hæc ubi Balzebus, quo non sublimior alter
Sederat, excepto Satana, conspexit, ab alto
Consurgit solio, vultu aspectuque verendus,
Miranda gravitate decens; in fronte decora
Publica cura animi, & studium regale sedebat,
Augustumque colit decor & reverentia vultum,
Et manifesta manent celsæ documenta ruinæ,
Et primi monumenta gradus: ubi constitit ingens
Hic, velut alter Atlas, vultuque silentia jussit,
Conticuêre omnes, intentique ora tenebant
Qualiter umbra solet noctis, mediove sub æstu
Flamina muta jacent, farique his vocibus orsus.
Ardua sceptra, throni ætherii, prognataque Cœlo
Virtutum generosa cohors, vel ponere priscos
Si jam forte libet titulos, potiusque vocari
Inferni reges Barathri: popularia tendunt
Huc vota, hic remanere petunt, hic figere sedem
Imperii, ah! animos quæ tanta insania cæcos
Occupat. Hic populis hic sæva ergastula nostris,
Suppliciumque parat rigidæ crudele catastæ
Rex Superûm, haud miseris ulla hic solamina rebus
Speranda, effugiumve mali, requiesve laborum
Ulla, nec ætheriam licet hic evadere dextram,
Immensoque licet spatio distemus ab alti
Arce poli, validis vinctos tenet ille catenis:
Solus enim regit alta suis, regit infera solus
Arbitriis, minimam nec nostra rebellio partem
Demetit, & stygias etiam dominatur in umbras,
Nostraque regna premit rigidi moderamine ferri,
Alta

Alta velut rutilo moderatur ſydera ſceptro.
Nos igitur vel pacis amor, vel adorea Martis
Sollicitet? Miſeri damnum irreparabile belli
Pertulimus, neque jam placidæ ſpem lex data pacis
Nec quæſita parit minimam: ſpes pacis ab illo
Expectanda odiis qui nos premit uſque ſeveris,
Qui nos Tartarei tenebras in carceris imas
Depulerat, qui noſtra jugo tenet inſita colla,
Tergaque ſanguineo lacerat ſulcata flagello.
Quiſve manus (fac velle) ad jura hoſtilia victas
Porrigat, atque odii dulcem deponat amorem?
Uſque adeone animis requies ignobilis ægris
Grata ſit? Omne nefas potius furor iraque præceps
Incitet, & veteres agitata reſuſcitet ignes,
Victorique iterumque iterumque reducite curas,
Sollicitoſque agitet noſtra de ſtrage triumphos.
Nec mora propoſiti metas attingere noſtri
Fas erit. At ſtolidis rurſum aſtra laceſſere bellis
Nil opus; in ſuperas haud ulla pericula ſurgunt
Tartarea de ſede domos, terrorve redundat.
Quod ſi forte novis ſors hactenus aſpera cœptis
Faverit, alter enim (toto niſi fabula Cœlo
Vana volat) mox alter erit (mirabile!) mundus,
Hunc nova progenies, hominem quam nomine dicunt,
Incolet, aſſimilis noſtri, ſed robore nobis
Inferior, nec frontis honos tam ſplendidus illis,
Hos tamen anteferet Cœli indulgentia noſtris
Gentibus ardebitque magis: ſic fata Deûm Rex
Sortitur, volvitque vices, is vertitur ordo.
Idque ratum firmo fore per ſua numina voto
Annuit, & totum nutu tremeſecit Olympum.
Huc, huc, vos animos, ſtudiumque intendite veſtrum,
Diſcite quale genus, quæ vis, quæ forma colentum,
Qui mores, quæ materies, quibus artibus illos,
Viribus anne dolo liceat proſternere victos.
Omnes Cœlum aditus prohibet, Cœlique perennis
 Arbi-

Arbiter in solio residet securus avito
Vi propria; tamen iste locus pars ultima regni
Illius insidiis dabitur præda obvia nostris,
Haud aliis nisi præsidiis munita colentum
Forsitan, aut subiti objiciet se occasio belli:
Sive novum stygiis mundum licet urere flammis,
Sive avulsa suis invadere regna colonis,
Ut simili nobis pereant nece: sin Deus istum
Successum dare forte negat, de tramite saltem
Vertere, & in laqueos furtim deducere nostros.
Sic Pater Omnipotens calida stimulatus ab ira
Progeniemque orbemque novum sibi condita nuper
destruet: hæc una ante alias dulcissima cunctas
Ultio, lætificos nostra de clade triumphos
Imminuet, nostrisque feret solamina damnis.
Delicias Deus ille suas cum viderit unâ
Nobiscum pariter lapsas cecidisse ruinâ,
Damnantes malefirma suæ primordia vitæ,
Gaudiaque in vacuos subito fugientia ventos.
Nostrane visa igitur potior sententia vobis,
An frustra imperiis tenebroso in carcere vanis
Lactatos agitare animos? penetralia cordis
Intima Balzebus sic tum reserata recludit,
Quæ prius invenit Satanas, inventaque partim
Prodidit: unde etenim nisi primo a fonte malorum
Proflueret tam immane nefas, quod perdidit omnes
Humana de stirpe satos, terramque gehennæ
Miscuerat, sævasque Deum succendit in iras?
Qui majus tamen inde decus majoraque laudum
Inde trophæa suæ parit, atque insignia famæ.
Has ubi Balzebus voces fuit ore locutus,
Consilium, dirique placet sententia regis
Omnibus in stygia diadema gerentibus aula:
Assensêre alacres, oculis sua guadia lætis
Significant, unoque omnes eadem ore fremebant.
Hæc videt exultans rursumque ita farier infit:

Macte

Macte animi genus Herôum, Divûmque ſenatus,
Jam bene rem gerimus, longa jam lite dirempta
Omnibus idem animus, ſtudioque accendimur uno.
Magnaque cœpta placent, animis digniſſima magnis.
Cœpta placent, quæ nos imo ex Acheronte reductos
In loca celſa vehent, propioraque ſedibus, unde
Corruimus, priſcique iterum confinia regni
Fulgida forte oculis patefient obvia noſtris.
Hic etiam invitis forſan ſe occaſio fatis
Opportuna iterum, ſive auxiliaribus armis,
Sive improviſo ſubiti ſtratagemate belli,
Sydera cœrulei radiata invadere cœli,
Offeret, atque iterum genitivam aſcendere ſedem;
Aut ſaltem in ſuperos aperit ſi nulla viam vis,
In meliore plaga ſpecies nos verna diei
Viſet ab arce poli late ſua lumina fundens,
Et ferrugineum nigrorem abſterget, & illis
Mitis temperies auræ melioris in oris
Afflatu placido rapidos quibus urimur æſtus
Leniet; ergo novum quis jam ſpeculabitur orbem
Par tanto officio? pedibuſque audacibus ultro
Carpere ſuſcipiet picei vada vaſta profundi,
Perque nigros ſine luce locos, noctemque tremendam
Inſuetas aperire vias? vel in ardua ſcandet
Remigio alarum vacui per inane Barathri,
Optatam donec requiem, pretiumque laboris
Inſula fauſta ferat, jucunda pace vireſcens
Innumeriſque bonis? qua vi, quibus artibus auſit
Spirituum innumeras ſuperorum evadere turmas,
Quæ vigili in ſtatione manent, omneſque coronant
Undique circuitus? quantam ille intendere curam
debet? & officium tutò cui credere tantum
Poſſumus? hujus enim ex humeris noſtra ōnia pendent,
Speſque decuſque ſimul venturique omina fati.
    Talibus ora modis ſolvit rurſumque reſedit,
Ambiguos volvens oculos, quis tale periclum

Comprobet, aut contra oppugnet, vel ſponte capeſſat,
Concilium omne metu mutum ſedet, hiſcere nemo
Auſerat, expenſis taciturna mente periclis
Terrificæque horrore viæ : trepidique ſtupeſcunt,
Alter in alterius jactantes lumina vultum.
Præcipui primique ducum, qui immanibus auſis
Nuper in ætheriis moverunt prælia campis,
Attonitis hæſere animis : non ullus in illis
Viribus uſque adeo fuerat confiſus, ut auſit
Horrificam tentare viam : tum voce ſuperba
Effatur Satanas, tumido quem gloria faſtu
Evehit, atque alios ſupra caput extulit omnes.
Progenies generoſa poli, ſubſellia Divûm,
Maxima cauſa fuit quod murmura nulla ſonabant,
Alta quod attonitas tenuêre ſilentia linguas.
Neſcia noſtra licet trepidi ſint corda pavoris,
Longa procul ſpatiis via dividit invia longis,
Quæ Stygis è tenebris jucundi in luminis oras
Educit : rapidæ convexa rapacia flammæ
Undique nos novies hic interfuſa coercent,
Clauſtraque Tartarei facta ex adamante Barathri,
Egreſſum ſperare vetant ; ſed ſi datur ulli
Cuncta per iſta viam ſibi rumpere, protinus illum
Haurit inane Chaos, vaſtaque voragine mergit,
Et priſcum in nihilum ſubito revocare minatur.
Si tamen hinc alium fugiens evadit in orbem,
Ignotaſque plagas, tum plura pericula reſtant,
Ignotæ ſubeunda viæ, dubiuſque regreſſus :
Me tamen hoc ſolium, procerum generoſa propago
Dedecet, Imperiique decus, ſplendorque coruſcus.
Si bona veſtra morer ; ſi commoda publica quicquid
Promoveat, tentare metu retinente tremiſcam,
Cur ego ſceptra gero, & crinem diademate cingor
Nec renuo regale decus ? ſi corda periclis
Obtulero, vitamque velim pro laude paciſci,
Utraque digna thronis pariter laus atque periclum.

Præque aliis majora decent diſcrimina Regem,
Quanto aliis majore micat fulgore coruſcus.
Ergo agedum, Procerum ſeries numeroſa potentum
Bellica gens, Cœlique pavor, licet inde repulſi,
Hic remanete domi, domus hæc dum veſtra futura eſt,
Hic remanete domi, ſtudiiſque inquirite junctis,
Præſenti an medicina malo tolerabile reddens
Inferni regnum Barathri, tenebraſque profundas
Invenienda datur; ſi quo medicamine nobis
Decipere & miſeros animi relevare dolores
Fas ſit in horrifici ſpatiis ingentibus Orci,
Quapropter vigilem nunquam intermittite curam,
(Hoſtis enim vobis vigil imminet) hinc procul ipſe
Dum vaſtum per inane vagos circumfero greſſus,
Sicubi forte iterum nobis ſperare ſalutem
Detur, & afflictis melius confidere rebus:
Hujus ego cœpti laudem mihi vendico ſolus,
Rivalem hujus ego volo nullum admittere facti.
 Hæc ubi dicta dedit, ſolio Rex ſurgit ab alto,
Prævertitque vices ſociis aditumque loquendi,
Ne modo vitatis aliqui ſe offerre periclis
Inciperent, fervore novo pellente timorem,
Ac licet in ſocium non admittantur honorem,
Æquiparare ſuum videantur laude tyrannum,
Quam tanto parat ille ſibi diſcrimine; verum
Nulla pericla magis quam vocem & verba vetantis
Hi trepidant; pariterque illo ſurgente reſurgunt,
Surgendoque dabant ruptæ ſimulamina nubis,
Cum longo procul axe tonat, tum vertice Regem
Curvato coluêre ſuum, & ceu numen adorant,
Sacrilegiſque Deûm genitori hunc laudibus æquant.
Imprimis memorare libet, quod amore ſuorum,
Communiſque boni, nullum tentare periclum
Horruerit; nec enim virtus non ulla malorum eſt
Spirituum, aut reſtincta jacet: ne forte tumeſcant
Pars hominum bonitate ſua, quos gloria famæ,
Ambi-

Ambitioque trahit pietatis imagine tectos.
Jamque adeo dubiis finem impoſuêre petitum
Conſiliis, lætique ſuo Rectore reſultant.
Sicut ab excelſis ſcandunt ubi montibus auſtri
Nubiferi, placidum Borea carpente ſoporem
Mœſta horret Cœli facies, terræque minatur
Aut nivis aut cœleſtis aquæ circumdata nimbo.
Si forte auricomi jam lumen amabile Phœbi
Heſperiam ſubeuntis aquam, de nubibus exit,
Cuſpide jucundæ lucis percuſſa renident
Arva, intermiſſos renovat grex aliger hymnos,
Littoraque halcyonen reſonant, & acanthida dumi.
Gaudia mugitu tauri, balatibus agni
Significant, vociſque jocoſa reſultat Imago.
O pudor humani generis! cum dæmone dæmon
Pacem alit, aſt homines inter diſcordia gliſcit
Impia, luce licet clara rationis abundent,
Et licet æternam his dederit ſperare ſalutem
Omnipotens, placidæque invitet ad ocia pacis,
Illi odiis iraque tument, & litibus iras
Exercent, & bella gerunt atrocia, multos
Mortibus alternis vacuant cultoribus agros,
Tanquam aliunde homini, (quæ cauſa eſt maxima (pacis)
Non ulli immineant hoſtes, nec nocte dieque
Agmina Tartareæ vigilent inimica catervæ.
   Conſilii hic ſtygii fuit exitus, inde potentes
Conſurgunt redeuntque duces, Rex ipſe verendus
Progreditur magnâ medius ſtipante catervâ,
Solus Athleta polo viſus contendere dignus,
Et ferrugineas moliri ſolus habenas,
Majeſtate Deo ſimilis. Denſiſſimus illum
Spirituum cingit globus in radiantibus armis.
Conſeſſuſque ſui ſucceſſum exinde ſecundum
Regifico mandant ſonitu celebrare tubarum
Quattuor in ventos, tum quattuor ecce ſonoras
direxere tubas Cherubini, & gaudia rauco

Teſtantur

Testantur fremitu, quorum modo vocibus altis
Causas Præco dedit ; longè latéque profundi
Antra cavi audierant, totusque exercitus Orci
Surdificis fremuêre sonis, & murmure vasto.
Jamque potestates tenebrarum umbræque superbæ
Anxia sollicitis relevabant pectora curis
Spe vana faciente animos, cœtuque soluto
Diversas petiêre vias, quo quemque ferebat
Impetus, inducias si qua reperire daretur
Exiguas, & parva suæ solamina curæ.
Pars in gramineis exercent membra palæstris,
Altera præpetibus pars dividit aera pennis,
Altera contendit celeris certamine cursus,
Sicut Olympiacæ petitur cui gloria palmæ.
Cornipedum quarta igniferûm pars ora retorquet
Spumea, vel metam prætervolat axe citato,
Aut parili super arva fuga, junctisque feruntur
Frontibus. Ut fatum horrificum gladiosq; Deûm Rex
Cum parat, & meritas cum bello territat urbes,
Arma inter nubes Cœli rutilare videntur,
Aeriæque acies vacuo concurrere Cœlo.
Ac primum Athletas simulacra imitantia contra
Assistunt, falsáque manu crepitantia quassant
Spicula, mox cuncti erumpunt clamore, frementesque
Exhortantur equos, fundunt simul undique tela
Crebra nivis ritu, Cœlumque accenditur armis.
Ast alios furor urget atrox, & more Typhæi
Saxa rotant, montesque ruunt a sedibus imis,
Atque in turbineo volitant super aera nimbo,
Ac vix terrificos patitur styx atra tumultus.
Sicut ab Oechalia cum texit adorea belli
Alcidem reducem, lernææ pestis Echidnæ
Herculeos abiit latè diffusa per artus ;
Ille dolore ferox pinus a stirpe revulsit
Thessalicas, trepidumque Licham sub rupe latentem
Torsit in Euboicas tormento fortius undas.

Pars

Pars moderati animi ſecreta in valle ſilenti
Suaviſonis cecinêre modis, & pollice pulſant
Mille lyras : ſua facta, ſimul ſua fata canendi
Materiam faciunt, ſibi facta heroica vani
Attribuunt, & bella animo dum infauſta revolvunt
Injuſto inſimulant fatalem crimine legem,
Virtutemque nihil contra vim ſævaque ſortis
Tela valere dolent : Philautia devia veri
Secum mellifluos trahit errabunda ſuſurros :
Sed licet adſcribant fictam ſibi carmine laudem,
Intervalla tamen dulci modulamine vocis
Infernis peperêre malis, nec turba dolorem
Senſit averna ſuum denſis ſtipata catervis.
Aſt alii eloquio muſam ſuperante canoram
(Quippe animā, eloquiū, ſensū modo carmina raptant)
Suppeditant jucunda ſuis ſolamina morbis,
Altivolis dum excelſa animis myſteria ſcandunt
Secreti à turbæ ſtrepitu ſuper ardua montis.
Illis immenſum campum exhibuêre loquelis
Provida cura Dei, mens præſcia, fata, voluntas,
Præſcia non dubiè mens, fata immota, voluntas
Libera : ſic vaſto in ſpatio ſine fine vagantur,
Nec tenuere modum ſtimulante ardore ſciendi.
Naturamque boni ſtudiis aperire laborant
Conjunctis, pariterque mali, ſortiſque beatæ,
Infauſtæque vices, decus, opprobriumque pudendum,
Sedatique animi pacem, trepidique tumultum ;
Sed tamen in vacuos abeunt illa omnia ventos,
Et pulchris adoperta tegunt mendacia fucis.
Hæc tamen ipſa abigunt mœſtum ſolatia luctum
Interea, hæc miſeras minuêre levamina curas.
Hinc oritur nova ſpes animis, luctuque remoto
Pectora tergemino cingit patientia ferro.
Parte alia ſtygiæ ſeries numeroſa catervæ
Perluſtrare parans Erebum, ſpatioſaque nigri
Regna vadi, vaſtaſque Orci irremeabilis Umbras,

Sicubi

Sicubi forte datur meliorem attingere sedem,
Tramitibus carpebat iter divisa quaternis,
Bis geminos juxta fluvios, quorum infima cursus
Gutture sulphurei latitant absorpta profundi.
Primus Styx; odiis animorum hæc bullit acerbis;
Proximus est Acheron tenebris densissimus atris.
Tertius ex re nomen habet, quia fletus in illo
Personat, & luctus queruli illætabile murmur,
Cocytus; Phlegetonta vocant de nomine quartum,
Cujus inextinctæ saliunt in gurgite flammæ.
At procul hinc Lethe caligine tristis opacâ
Undantem volvit Labyrinthum, hunc qui semel hausit,
Gaudia, mœrores, vitæ dolor, atque voluptas
Præteritæ fugitiva volant, & nocte teguntur.
Hunc ultra fluvium densis obducta tenebris
Horrida terra jacet, ventorum turbine semper,
Grandinis horrisona semper vexata procella,
Grandinis, haud unquam in latices à sole solutæ,
Et jacet aggeribus niveis informis, & alto
Terra gelu latè, septemque assurgit in ulnas,
Semper hyems, semper spirantes frigora cauri.
Sorboniæ tellus est ista simillima syrti,
Quam mediam Damiata vident, & Casia rupes,
Quæ simul armiferas adaperto gutture turmas
Hauserat innumeras, vastaque voragine mersit.
Ignis adinstar ibi penetrabile frigus adurit.
In sedem hanc vicibusque statis, atque ordine certo
Horrifici miseras referunt cacodæmones umbras:
Hic mutant mala dura malis, alterna dolorum
Hic subeunt, totiesque dolor renovando recurrit
Durior, ardenti redeunt ex igne rigentem
In glaciem, gelidoque jacent hic frigore strictæ,
Alterni donec perfecto temporis orbe,
Rursus in æstiferas remeent à frigore flammas.
Quoque dolor gravius crudeli tabe perurat
Pectora lethæi toties dum fluminis undas
Traji-

Trajiciunt, minimam cupidæ contingere guttam
Ore inhiant avido, momento ut temporis uno
Possint innumeras sepelire oblivia curas
Fata obstant, ripamque vadi truculenta Medusa
Obsidet, horrendisque fremens assibilat hydris,
Ipsaque sponte sua sitientia labra relinquit
Lympha repente, velut Pelopæo a patre refugit,
Sic iter incœptum peragunt immanibus ausis
Agmina dira Stygis, jamque irreparabile primo
Exitium ut vidêre suum, requiemque negatam,
Obstupuêre oculis, vultumque infecerat horror.
Innumeras tamen illa vias infessa pererrant,
Ac tristes sine luce locos, vallesque tremendas
Luctificæque plagæ tenebras transmittere pergunt.
Multaque terrificas jaculantia culmina flammas
Multa gelu concreta legunt, peragrantque cavernas,
Rupes, antra, lacus, syrtes, & stagna, paludes,
Mortis & horrificas simul illachrymabilis umbras,
Cunctaque regna nigræ tenebris horrentia mortis.
Quæ mala, quæ devota malis Regnator Olympi
Condidit; hic (miseri sors O præpostera fati !)
Vivere mors, & vita mori est. Oriuntur in illis
Prodigiosa locis, odiosa, horrendaque visu
Monstra, quibus, quæcunque timor vel fabula finxit,
Si collata simul fuerint, formosa videntur,
Gorgones, Harpyiæque, & forma tricorporis umbræ.
Interea Satanas divini numinis hostis,
Hostis & humani generis, sublimia volvens,
Ingenii consulta sui velocibus alis
Induitur, solusque viam, quæ ducat ad Orci
Limina scrutatur cupidè, nunc dextra capessit,
Nunc abit in lævum, piceam nunc stringit abyssum,
Flammea nunc rapido repetit convexa volatu,
Classis ut æstiferi verrens procul æquora ponti
Nubibus in mediis oculis pendere videtur
Bengalici ut tepidis oram legit æquoris austris

Ternatamve aut Tidoram (maris undique cinctam
Fluctibus, unde domum gravidæ redière carinæ
Mercis odoratæ spoliis) Lybicumque profundum
Nocte secat, liquidumque regunt radiantia cursum
Sydera ; sic levibus volitabat in aere pennis
Spiritus ille ferox : tandem spatiosa gehennæ
Mœnia conspexit fugientia vertice visum ;
Ter triplicesque fores : fulvo tres ære nitebant,
Tres ferro, indomito quoq; tres adamante rigebant,
Quas nulli penetrare datur, quas flammeus ambit
Circulus, haud minimam flamma faciente rapinam.
Ante fores utrimque simul duo monstra sedebant,
Terribiles visu formæ : quarum altera visa est
Fæmina, mirifica percellens lumina forma
Pube tenus, pars ima immani corpore serpens
Squammeus, horrifici metuendus acumine teli.
Undique cincta sonant latrantibus inguina monstris
Cerbereisque fremunt sine fine obsessa molossis.
Hi tamen illius quoties libuisset in alvum
Converso redière gradu, seseque sub illis
Abscondunt latebris : tamen hinc ululare solebant
Assiduo fremitu : non tales virginis alvum
Invasere canes, dum proluit æquore corpus,
Trinacrio Calabram dirimit quod littore terram.
Nec nocturna adeo tetros habet incuba vultus,
Incuba quæ sociis nocte invitata susurris
Alta secat, puerique illecta cruoris odore
Thessalicis sese comitem dedit illa choræis,
Pestifero lunare jubar condente veneno.
Altera forma fuit deformibus horrida membris,
Nec visu facilis, nec dictu effabilis ulli :
Tam specie incerta est : visum est dubitabile verum
Corpus an umbra foret,neutrumq; & utrumq; videtur,
Noctis imago, decem furiis truculentior, Orco
Horridior, telumque vibrans immane minatur
Dextera, quodque vicem capitis supplere videtur

Regali

Regali induitur diademate. Jamque propinquat
Huic monstro Satanas, monstrumque haud segnius illo
Approperat, vastoque pedum gravis intervallo
Pallida regna quatit. Visi novitate stupebat
Impavidus, nec juncta comes formido stupori;
Quippe Deum natumque Dei tantum ille tremebat,
Nulla alia incutiunt Satanæ conspecta timorem,
Retulit ergo prior vultu ferus ille superbo.
Qui genus? Unde domo? Monstrũ exsecrabile? Vultus
Monstrum horrore minax, unde ista audacia menti
Ut mihi Tartareæ properanti ad limina portæ,
Oppositum tete objicias, contraque resistas?
Cede locis, vel pœnam animi patiere procacis:
Tum te, quæ potior soboles, tua damna docebunt,
Nata polo, an stygiis ortum debentia regnis.
Talia tum furiis incensa effatur imago:
Tune rebellis eras Superis, & transfuga Cœli,
Qui primus pacem atque fidem violavit in astris,
Ante tuum servata scelus, quem tertia prolis
Ætheriæ pars lapsa polo comitata cadentem est;
Quæ bello ausa fuit Regem tentare supernum,
Atque ideo omnipotens alto dejecit Olympo
Teque tuosque simul, longum ut sine fine per ævum
Innumeris tua vita malis objecta pateret?
Tene igitur sanctis habitantibus æthera temet
Connumerare choris, stygio damnate Barathro?
His etiam his te voce truci, vultuque superbo
Insultare locis, ubi rex ego fræna guberno?
Quoque magis doleas rabidam stimulatus in iram,
Rex dominusq; tuus? procul, hinc procul effuge, vel mox
Impia sanguineo scindam tibi terga flagello,
Ignotíve prius ferieris acumine teli.
Hæc ubi dicta dedit, stans plena horroris imago,
In magis atrocem faciem se vertit, & ora
Horridiora gerit, & pluribus atra colubris
Pullulat, at contra Satanas furibundus & atrox

Aſtitit, impavidusque animi, ſimiliſque cometæ
Sanguinei lugubre rubet, qui grandior urſa
Arctoas habitante plagas, & crine tremendus
Flammifero bellum horrificum, morboſque minatur,
Alter & alterius telum fatale coruſcat
In caput, atque uno proſternere deſtinat hoſtem
Vulnere, ut haud alium ſit opus geminarier ictum,
Corrugantque ſupercilium, viſuque tremendo
Alter in alterius jaculantur lumina vultum,
Bina velut medio ſuper æquora Caſpia Cœlo
Nubila fœta volant, ventorum impulſa fragore
Jamque gradum ſiſtunt, vacuo nutantia Cœlo
Frontibus adverſis, donec jam ſigna duelli
Turbineis agitata dedit levis aura procellis,
Sic par iſtud atrox vultus terrore minatur
Alterno, ut ſtygii tenebras geminaverit Orci.
Sic ſteterant contra pariter: nam neuter in hoſtem
Incurſurus erat poſthac tam viribus æquum,
Et cito magnum aliquid mirâ virtute patraſſent,
Impleſſentque ſuis Acherontia regna trophæis,
Tiſiphone niſi forte nigris obſeſſa colubris,
Tartareæ clavem ſervans in limine portæ,
Inter utrumque ruat cum terrifico ululatu:
Quid tua dextra parat, Pater, O Pater, inquit in iſtam
Unigenam ſobolem? quæ te væcordia, fili,
Incitat, ut capiti miniteris tela paterno?
Scis etiam facto cui gratificaberis iſto?
Cui? niſi ſyderei reſidens qui in culmine Cœli
Mancipium te jure ſuum deridet, agentem
Quod jubet ira ferox, Nemeſin quam nomine dicunt,
Ira ferox, quæ vos tandem ſimul obruet ambos.
Dixit, avernalis lenita hac voce receſſit
Peſtis, & abſtinuit; Satanas tum talia reddit,
Mira adeo tua vox, adeo tua verba videntur
Mira mihi, ut ſubitæ remorentur vulnere dextræ,
Donec ego, quæ ſis avidè te ſciter ab ipſa

Fronte biforme minax, & qua ratione parentem
Facta per infernas mihi jam primum obvia valles
Me vocites, natumque meum, exſecrabile monſtrum?
Neſcio te, vultumque tuum nil præter & hujus
Æque odioſum oculi meminerunt cernere noſtri.
Ad quem Tartarei cuſtos his vocibus orci
Utitur; ergo mei es penitus jam oblitus; ocellis
Nunc odioſa tuis, quondam ſpecioſa videbar
In Cœlis, quondam, Angelicæ ſpectante catervæ
Ingenti numero, qui tecum immanibus auſis
Ætherium ſtuduêre throno depellere Regem.
Protinus ecce tuos oculos caligo repente
Obruerat, tenebriſque natantia lumina condit:
At caput innumeras denſo vomit agmine flammas,
Donec diva tuo ſoboles ſine matre ſiniſtro
Vertice proſilui circumdata fortibus armis,
Ætherio ſplendore micans, referenſque parentem
Frontis honore meum; tum Cœli exercitus omnis
Obſtupuit, retroque pedem cum voce repreſſit,
Peccatumque novo attoniti me nomine dicunt,
Prodigiique putant aliquid portendere diri.
Paulatim tamen ille timor vaneſcit, & alti
Pars numeroſa poli illecebræ dulcedine noſtræ
Illaqueata fuit, traxitque per oſſa furorem.
Te vero ante alios furor inſanire coegit
Indomitis ictum ſtimulis, quia ſcilicet in me,
In me exacta tui vivenſque effulſit imago,
Concubituque meo nata eſt tibi tanta voluptas,
Diſtendiſti uterum creſcenti pondere noſtrum;
Atrox interea geritur ſuper æthera bellum,
Inque Deum gens nata Deo capit arma rebellis.
At Pater Omnipotens noſtra de gente triumphos
Lætus agit, lauróque caput victrice coronat.
Quidnam aliud ſperare licet, quando hoſtis in hoſtem
Viribus imparibus ruit, incaſſumque laceſſit?
Nos fracti ſtratique manu victrice jacemus;

Protinus Angelicæ pariter densa Agmina turbæ
Præcipitata ruunt Cœlorum è culmine celso
In piceas Orci tenebras, immane profundum,
Meque eadem quoque fata trahunt, similique ruina
Obruor ; ex illo Stygiæ mihi credita portæ
Clavis erat, clausasque fores servare jubemur,
Quas sine clave meâ nemo reserare valebit ;
Has paulum ante fores sola & deserta sedebam,
Viscera cum tumefacta tuo de vulnere nobis
Mole nova cruciata dolent, graviterque laborant :
Ac tandem hæc soboles (uteri mala pignora nostri)
Semine nata tuo perruperat impete vasto,
Angustæ penetrale domus, clausosque recessus,
Vique viam parat, atque aditum per mille dolores
Pandit, ut inferiora mihi deformia miris
Reddiderit distorta modis : innatus at hostis
Egreditur, telumque mihi fatale coruscat
Mortifera ferus ille manu, quo pallida viso
Mox fugio, & mors me sequitur, mors horrida clamo,
Ad vocem Styx atra tremit, Barathrique profundi
Insonuêre cavæ gemitumque dedêre cavernæ,
Et mortem ingeminant : fugio, tamen ille fugacem
Insequitur, jamjamque manu tenet, & premit ulnis,
Vique rapit, generatque meo latrantia monstra
Concubitu modo visa tibi, quæ me undique semper
Circumstant fremitu denso, & sine fine lacessunt,
Gignunturque mihi simul & nascuntur in horas,
Perpetuoque mei, partu redeunte, dolores
Ingeminant : nam cum libuit genitricis in alvum
Illa suæ redeunt, ululantque & viscera rostris
Nostra vorant, fibrasque iterum in sua damna renatas,
Inde iterum vasto redeunt clamore, nec horum
Introitu datur ulla quies, aut ulla regressu.
Ante oculos mors atra meos mihi natus & hostis
Eminet, ultricesque canum ferus ille furores
Exacuit, me me ille suam mox ore parentem

Deglutiret atrox, nostræ nisi forte ruinæ,
Et sua juncta foret, fieremque in ventre venenum
Illius, hoc nobis manet inviolabile fatum.
Tu vero, O genitor, monitus ne rejice nostros,
Mortiferam, memor esto, precor, vitare sagittam
Illius; haudquaquam ignivomis radiatus in armis,
Quamlibet eniteas, huic impenetrabile telo
Pectus habes, natoque tuo, mihi crede, resistit
Nemo nisi ætherii Pater & Dominator Olympi.
His ubi jam dictis, finem dedit ore loquendi:
Spiritus ille sagax jam blandior ore regessit:
Quandoquidem me nata patrem jucunda fateris,
Ostendisque meam sobolem mihi, pignus amoris,
Quo te syderei super aurea culmina templi,
Ante quidem complexus eram cum pectore læto;
Quæ jam animus meminisse horret luctuque refugit,
Nos quia dura malis subitis fortuna prehendit,
Priscaque perpetuo mutavit gaudia luctu;
Non inimicus ego venio, sed claustra revellam
Ut mœstæ tenebrosa domus, & faucibus Orci
Te natumque tuum eripiam, comitumque catervas,
Qui causa periêre mea, qui à culmine celso
Præcipiti cecidêre gradu; quibus ipse relictis
Ignotas ego tento vias, proque omnibus unus
Audeo jam innumeris caput objectare periclis,
Dum stygias lustro tenebras, & inane profundum.
Arva beata mihi, si fas contingere, famæ
Jamdudum celebrata tubis, & condita nuper
Orbis in immensi speciem, nisi devius erro,
Arva beata, novis habitataque regna colonis,
Juncta thronis prope Sydereis, ut ab æthere quantum
Nostra ruina trahit numerum, superaddere tantum
Hi valeant; licet inde loci regione remoti,
Ne nimiis superam populis habitantibus aulam
Ætherii pars fortè chori velut ante rebellis
Surgat in arma, novos iterumque movere tumultus

Inci-

Incipiat : seu fons æternus fata Deûm Rex
Sortitur secreta animisque impervia nostris.
Scitatum accelero, certusque repente redibo :
Sublatosque loci referam melioris in oras ;
Te mortemque simul carpatis ut ocia pacis
Dulcia lætificæ, nulloque vidente per auras
Ambrosias nullos strepitus facientibus alis,
Huc illuc sinuetis iter revolubile passim.
Hic satiare gulas avidas utrique licebit
Ad libitum, nihil hic vestris non præda rapinis
Subdita semper erit : vox hæc ubi contigit aures
Amborum, exhilarant animos nova gaudia mœstos.
Pallida mors dirum quiddam atque inamabile ridet,
Pabula tanta sui mergenda voragine ventris
Spem capiens : nec non genitrix læto ore renidet,
Affaturque suum genitorem, ac talibus infit :
Inferni clavem Barathri mihi Rector Olympi
Tradidit omnipotens adamantina solvere claustra
Me prohibens, & nequa manus se attollere contra
Auderet, meus, ecce, gerit fatalia natus
Tela parata neci, nulli succumbere certus.
Quo tamen ille sedens superis dominator in oris
Obsequium cur tale velim præstare, meretur.
Odit enim, & stygias miseram detrusit ad umbras,
Hic duro mea colla jugo premit, incola Cœli
Quamlibet ipsa forem, Cœlóque oriunda ; dolores
Hic me perpetui exagitant, & luridus horror
Undique succinctam latrantibus inguina monstris
Me genitis, materna famem queis viscera sedant.
Tu mihi primævus genitor, tu sanguinis autor,
Tu mihi me dederas : tibi quem præponere vellem ?
Quem potius quam te sequerer ? tu à sede nigranti
Translatam educis mundi melioris in oras,
Regnaque jucundo radiantia lumine, Regna
Immensis cumulata bonis, habitataque Divis,
Qui vacuum curis peragunt fœliciter ævum ;

Ad dextram hic ego læta tuam regìna ſedebo,
Ut decet inferni ſobolem ſini ſine tyranni.
His dictis clavem latere eximit improba, clavem,
Unde tuæ mortale genus via lata ruinæ
Panditur, æternoſque aperit tibi ſola dolores.
Tum ferrugineæ ſpatioſo ſyrmate pallæ
Verrit humum ſtygiæ properans ad limina portæ,
Et propylæum aperit, quod nec numeroſa gehennæ
Agmina, cuncta licet ſimul agglomerentur in unum,
Moliri de ſede ſua, aut convellere poſſent.
Limina tum reſerans adamantina clauſtra revulſit,
Factaque de rigido perplexa repagula ferro,
Quæ pariter ſtrepitum reſerata dedêre ſonorum,
Protinus, & foribus cardo ſtridebat ahenis,
Atque Erebum ſtridore gravi tremefecerat imum.
Sic mortis genitrix portam reſeravit; at ejus
Plus ſe dexteritas claudendo in limine prodit.
Jam vaſtæ patuêre fores: pilata per illas
Agmina, falciferique axes, equitumque catervæ
Compoſitæ tranſire queant nihil ordine rupto.
Tam laxos habuêre aditus, & more camini
Flammea cum piceo vomuere incendia fumo.
Protinus, ecce, vident cani tenebroſa profundi
Æquora, nec ſpatio nec fine coercita certo,
Immenſos ſine luce lacus, ubi tempora nulla,
Nec loca, nec longum, latumve, altumve tenentur
Limitibus conſtricta ſuis! ubi maxima natu
Nox & inane chaos naturâ ætate priores
Imperium ſine fine tenent, ubi bella geruntur
Perpetua, & rerum eſt confuſa ſine ordine moles.
Quattuor Athletæ validi, friguſque, calorque,
Humor & ariditas, atomis in prælia ductis
In dubio ventoſa ferat cui gloria palmam.
Hic fera bella gerunt: ſua circum inſignia quæque
Compoſitæ numero in turmas levia arma gerentes
Et gravia, atque agiles tardæque examine vaſto
Agglo-

Agglomerant calidis Lybiæ sitientis arenis
Consimiles numero, rapidis in bella citatæ,
Unde suæ levitatis habent moderamina, ventis.
Cui se miscuerant vento, magis ille parumper
Imperat, atque Chaos pugnæ sedet arbiter illic,
Arbitrioque suo sævis alimonia bellis
Suppeditans sua regna tenet. Fors proxima Sceptrum
Lumine cæca gerit. Hoc ipso in gurgite vasto
(Non aqua, non tellus illic, non ignis & aer
Apparere potest, sed eorum haud ordine certo
Semina mixta gerunt simul implacabile bellum,
Haud pugnæ positura modum, nisi conditor ex his
Omnipotens alios cupiat producere mundos)
Hoc ipso steterat ferus ille in gurgite paulum
Spiritus, ad ripam Stygiam sua lumina volvens,
Et longum speculatur iter, plenæque periclis
Tædia lenta viæ: strepitumque exterritus hausit
Haud alium (nam parva licet componere magnis)
Quam si terrisonis Bellona impellat aratris,
Mœnia, cœrulei caderet vel machina Cœli,
Rupissentve elementa fidem, terramque ruissent
Sedibus; ac tandem simulantes carbasa pennas
Pandit, & in piceo librans sua corpora fumo
Tollit humo, & volitat per plurima millia passûm,
Fumifero velut axe sedens: sed perfida sedes
Lapsa repente ruit. Vasto tum occurrit inani,
Et subito pennis non concipientibus auras
Millia ter millena ruit plumbi gravis instar.
Hunc & adusque diem rueret, nisi forsitan illum
Sursum iterum valido nubes nimbosa tumultu
Propulerat, nitroque furens atque ignibus atris.
Hæc ubi tempestas abiit, loca contigit undis
Supposita, & bibulas metuendæ syrtis arenas.
Tum terræ immistam peragrat semiobrutus undam
Et pedibus pennisque simul luctatur in altum.
Quid? quod opus remumque simul velumq; videbat,

Gryps veluti montes pedibusque alisque per altos
Et valles, Arimaspe, tuum premit, improbe, gressum,
Qui sibi servatum subitis populatibus aurum
Abstuleras. Sic & per acuta per aspera dæmon
Per præceps, salebrasque ruens, perq; invia cursum
Aut capite,aut penna,aut manibus,pedibusve tẽendit.
Dum natat aut mediis mersus latet obrutus undis,
Aut laterum tenus incedit, serpitque volatque.
Tandem terrifico piceum per inane tumultu
Murmura sæva sonant: & vox horrenda per aures
Transvolat attonitas: vestigia dirigit illuc
Impavidus, reperire parans, si hic degat Averni
Incola forte aliquis clamoribus undique cinctus
Horrisonis: qui, si rogitet, sibi pandere possit
Qua ratione adeat noctis loca proxima lucis.
Protinus in solio residens apparet avito
Dirum ac triste Chaos, tentoria cujus Abyssum
Exporrecta tegunt mediam, consorsque nigranti
Syrmate tecta sedet nox antiquissima rerum.
Horrificusque etiam juxta stetit Orcus & Hades,
Et metuendum ipso vel nomine Demogorgon.
Proxima sors incerta fuit, rumorque malignus,
Seditioque recens, trepidoque insania vultu
Scissaque in innumeras præceps discordia linguas.
Ad quos sic Satanas converso est ore locutus:
O quæcunque habitas nigri spatiosa potestas
Regna vadi, & piceis nox undique septa tenebris,
Et Chaos, & Phlegeton loca nocte silentia latè;
Non ego jam infernis venio speculator ab antris,
Ut vestrum turbem imperium, sed regna coactus
Hæc tenebrosa vagor si quo me tramite possim
Ducere ad ætheriam spatia hæc per inania lucem.
Solus & incomitatus iter duce nemine carpo,
Proxima sydereo quærens confinia Cœlo:
Sive aliquam regni partem de limite vestri
Rex Superûm eripuit; per vastũ hoc tendo profundum
Hanc

Hanc reperire parans : iter hoc monſtrate roganti ;
Monſtratum hoc veſtris, mihi credite, commoda rebus
Magna feret, ſi fors regionem hanc, hoſte repulſo,
Nativis reddam tenebris, iterumque per illam
(Quæ mihi cauſa viæ eſt) antiquæ inſignia noctis
Extulero : veſtra utilitas erit, at mihi facti
Fama ſat eſt, minuetque meum vindicta dolorem.
Sic fatur Satanas, vultuque hæc reddit Anarchus
Turbato, linguâque trahit titubante loquelam.
Novi ego qui tu ſis, peregrine ; Archangelus ille,
Qui tecum innumeras ducens ſuper aſtra cohortes,
Ætherium auſus eras bello tentare tyrannum ;
Sed fruſtra : ipſe tuam vidi audivique ruinam.
Non etenim nullo ſtrepitu tam exercitus ingens
Fugerat attoniti vaſtum per inane profundi :
Dum clades cladem, ſequiturque ruina ruinam,
Agmina dum horrifico trepidant fugitiva tumultu,
Quorum victrices tremebunda in terga catervas
Explicitæ fudere fores radiantis Olympi.
Conſtanti hic teneo portam ſtatione, ruentis
Relliquias ſiqua valeam defendere regni.
Viſcera cujus edunt bella inteſtina furorque
Mutuus, & ſceptrum antiquæ venerabile noctis
Debilitans alterna viget diſcordia fratrum.
Præterea Styx veſtra meo ſuppoſta profundo eſt
Immenſis ſpatiis, atque ardua regia Cœli,
Pulvereuſque globus terræ paulò ante creatus
Imperium texêre meum ; flavente catena
Nexa à parte poli per quam tua turba rebellis
Præcipitata fuit, remanent : ſi forſitan illuc
Tendis iter, non longa via eſt, propiuſq; periclum eſt.
Vade bonis, precor, auſpiciis atque alite fauſta,
Namque ruina mei ſpoliumque eſt gloria regni :
Conticuit tandem factoque hic fine quievit.
At Satanam mora nulla tenet, ſed ab æquore ſævis
Motibus horribili ſibi tutum inſtare receptum
Geſtit,

Gestit, & emicuit, levibus velut ignea pennis
Pyramis, exultans vacui per inania mundi,
Perque elementa ruens discordia pluribus ille
Mortibus objicitur, rapidum quam Bosphoron Argo
Obsita cum innumeris transmiserat undique saxis.
Aut ubi sollicitam tenui discrimine puppim
Inter utramque viam tenuit versutus Ulysses.
Sic multo sudore inimica per omnia præceps
Ille ruit, magnoque viam luctamine rumpit.
Ast ubi vicit iter durum hoc, peperitque ruinam
Genti hominum (ah volucris dira immutatio sortis!)
Illius atra simul mors & scelerata libido
Terga premunt, sternuntq; viam per opaca nigrantis
Regna vadi, (nam sic voluit Rex magnus Olympi,)
Cujus terrificum resonantia flumina pontem
Passa fuêre Stygis procul ima à sede profundæ
Protensum extremas mundi melioris ad oras :
Et via lata malis fuerat patefacta per illum
Spiritibus facilisque aditus, facilisque regressus,
Ut laqueos pœnamque parent mortalibus ægris,
Præter quos Deus ingenti complexus amore
Usque salutiferi tutas munimine scuti
Servat, & Angelicæ cingit custodia turmæ.
Jam tandem auricomi facies radiata diei
Incipit oppositas radiis violare tenebras,
Et matutinæ quasi prima crepuscula lucis
In mediam demissa fluunt ex æthere noctem.
Hic natura sui primum pomæria regni
Exhibet, hic immane Chaos leviore tumultu
Æstuat, & strepitu, fractis jam luce propinqua
Viribus : Hic Satanas opera leviore per umbras
Progreditur, placidis findens pacata lacertis
Æquora, queis tenuem dant parva crepuscula lucem,
Ut maris & venti rapida resonante procella,
Puppis in optatam se læta receptat arenam,
Vela licet lacerata forent, ruptique rudentes.

Interdum

Interdum levibus volitavit in ardua pennis
In medio pendens vacuo, velut aëris auris
Ut procul aspiciat cœli radiata superni
Mœnia perspicuos spatio superantia visus,
Ut certam illorum nequeat discernere formam
(Seu specie quadrata forent, globulumve referrent.)
Vertice turrigero nitidis radiantia gemmis,
Hauserat unde suæ genitiva exordia vitæ.
Nec procul hinc hominum fulvâ suspensa catenâ
Regna videt, minimam spatio referentia stellam,
Lunari prope juncta globo: tum protinus illuc
Tigridis instar atrox, rabidoque furore tumescens
Ominibus volat ille malis & tempore lævo.

Finis Libri Secundi.

Para-

Paradisus Amissus.

Liber Tertius.

SAcrum lumen ave, Cœli primæva propago,
Atque perenne jubar veniens à fonte perenni
Luminis, ore tuum si fas mihi promere nomen,
Nam lux est Deus, & prima ante exordia mundi
Lucis inaccessæ coluit penetralia solus:
In facie tunc ille tua radiavit ab ævo,
Lux æterna, tui nitidissima patris imago.
Vel si fortè tuas adhibes jam cœlitus aures,
Limpide rive, mihi, cujus quis dicere fontem
Sustinet? Ante jubar nitidi remeabile Phœbi,
Ante polum extiteras, dominique ad jussa perennis,
Tu circumfuso liquidas quasi tegmine lymphas
Vestieras, picei residens super ora profundi,
Quod jam immane Chaos resoluto è ventre remisit,
Nunc minus attonita rediens te invisere penna
Audeo, Tartarei superato gurgite regni.
Obsita me quanquam tenebris via tempore longo
Detinuit, Stygii funestâ in sede Barathri,
Umbras per medias ego dum fugioque per imas,
Orphæos superante modos ego carmine dulci
Concinui Chaos immensum, noctemque perennem:
Afflatu stimulante tuo descendere in Orcum,
Nigrantesque lacus (quod vix mihi contigit uni)
Ausus eram, & superas evadere rursus ad auras.
Nunc ego te supplex iterum, Deus alme, reviso,

Qui

Qui noſtram irradias vitali lumine mentem.
Non tamen hos oculos radianti luce reviſis,
Qui fruſtra aſſidue ſeſe volvendo fatigant,
Dum nitidi quærunt jubar irreparabile Phœbi;
Obduxiſti aciem tanta caligine noſtram.
Sacra fero tamen ingenti perculſus amore
Melliflυûm, & liquidi ſolor me murmure rivi
Muſarum, gelidumque nemus, montemque pererro.
Te vero, una Sion, aliis te præfero cunctis:
Te viſo atque tuos per opaca ſilentia rivos,
Rivos perſpicuos, tua qui veſtigia ſacro
Rore rigant, dulcique ſtrepunt per prata ſuſurro;
Sed tamen antiquum ad Thamyrin perſæpe revertor,
Mæoniumque ſenem, (quos ſors mihi luminis orbos
Fecerat eſſe pares, utinam ſic laude per orbem
His etiam par eſſe queam!) vatemque vetuſtum
Tireſiam, atque oculis ſpectantem plurima nullis
Phinea: Perge igitur, ſtudiis mens dedita ſacris,
Harmonicis tua fata modis lenire laborans,
Qualis populea mœrens Philomela ſub umbra
Flet noctem, ramoque ſedens miſerabile carmen
Integrat, & mœſtis latè loca queſtibus implet.
Tempora perpetuo redeunt ecce annua gyro,
At nunquam roſei mihi lux redit alma diei,
Alternántve aurora ſuum, vel veſperus ortum,
Nec veris juvenile decus, mundique juventam,
Æſtivamve roſam, pecudeſve, armentave cerno,
Nec facies hominum divini emblemata vultus,
Sed nox longa caput triſti circumvolat umbra,
Atque humana animo depellit gaudia noſtro.
Omnibus ille patens oculis non lumine caſſis
Naturæ liber, ecce, mihi ſignatur: in illo
Haud ſecus ac tabula nihil eſt mihi cernere nuda.
Perque oculos aditum ſibi nunc ſapientia nullum
Invenit: hoc igitur magis, O mea pectora, luce
Ætheria, atque animum cæca caligine merſum
Irra-

Irradia, errorum nebulis procul inde fugatis,
Ut videam, atq; oculis hominum procul abdita, narrē.
Jam Pater Omnipotens, nitidi de culmine Cœli,
Rector ubi in ſolio ſuper omnia conſidet alto,
Deſuper, ecce, oculis ſua facta tuetur acutis,
Factorumque videt pariter tum facta ſuorum.
Illum autem Angelicæ latè cinxêre catervæ
Denſius igniferis toto ſimul agmine ſtellis,
Aſpectuſque Dei mira dulcedine captos
Afficit horum animos, æternaque gaudia præbet.
Filius ad dextram nitidiſſima patris imago
Aſſidet; in terris primum aſpicit ille parentes
Humanæ ſobolis geminos, quos ſcilicet unos
Tunc Paradiſus habet, ubi gaudia pura vigebant,
Rivaliſque metu ſocialia fœdera lecti
Libera; nam hæc gemini carpebant gaudia ſoli.
Reſpicit inde lacus ſtygios vaſtumque Barathrum
His interpoſitum, Satanamque aſpexit in illo,
Mœnia ſyderei properantem accedere Cœli,
Qui noctem egreſſus volitabat in aëre fuſco,
Atque ubi laſſatis poſſit jam ſiſtere pennis
Orbis in extremis avidè circumſpicit oris;
Quæ ſpeciem terræ ſolidam præbere videntur,
Nec circumfuſi gremio inſinuantur Olympi,
Nec certum Oceano cingantur an aere conſtat.
Hunc Deus ex alto aſpiciens, ubi cuncta tuetur,
Quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur,
Talibus affatur natum atque ita præſcius infit!
Unice nate, vides quantus furor incitet hoſtem
Qui neque propoſitis metis, clauſtríſve tenetur
Tartareis, ruptaſque terit ferus ille catenas:
Nec cohibent illum vaſti ſpatioſa profundi
Æquora: tanta odiis furibundam inſania mentem
Occupat; in dominū tamen hæc ſcelerata redundant
Cœpta ſuum, duplicatque ſuæ mala dura ruinæ.
Jamque viam obicibus ſibi vi parat undique ruptis,
Pen-

Pennatoque gradu vehitur per inania mundi,
Ætherii prope regna poli, prope luminis oras.
Et violentus iter factum modo tendit ad orbem,
Atq; ibi fixum hominem, quem perdere viribus optat,
Aut, quod pejus erit, dira pervertere fraude.
Pervertetque: etenim falſæ dulcedine linguæ
Tractus homo, legem ſubito violare ſacratam
Auſus, & imperii contemnere fœdera noſtri,
Seque ſuoſque ſimul ſubita trahet ille ruina.
Quis tamen hujus erit ſcelerati criminis autor?
Quis? niſi qui crimen ſcelerata mente malignum
Fecerit, ipſe ipſe eſt miſeræ ſibi cauſa ruinæ.
Munera larga dedi, quæ prodigus atque profanus
Fudit in aerias, animoque improvidus, auras.
Juſtum hominem, rectumq; animi, ſtandiq; capacem
Condideram, ſi forte velit, pariterque cadendi.
Tales Cœlituum choreas mea dextera finxit
Quæ ſteterant, quæq; occiderant, nā ſponte ſteterunt
Quæ ſteterant, & ſponte ſuam peperêre ruinam,
Qui cecidêre gravi celſo de culmine lapſu,
Nam niſi libertas foret his quæ ſigna dediſſent
Flagrantis pietate animi, ſtudiique fidelis,
Si modo parerent, quia ſic parere neceſſe eſt,
Non quia ſic libuit? quæ laus his, quæve voluptas
Hinc mihi proflueret, ſi nuda & vana voluntas
Libertate ſua ac ratio ſpoliata jacerent
(Nam ratio arbitrii ſibi jus quoque vendicat ipſum)
Fatalique jugo cogantur ſubdere collum,
Non mihi? ſic pariter quoque gens humana creata eſt
Libera, nec meritis queat incuſare querelis
Autoremve ſui generis, fative tenorem,
Ceu conſulta dei decreti innixa perennis
Lege, voluntates hominum torrentis adinſtar
Vi traherent, ipſe, ipſe necem generavit Adamus
Sponte ſuam, nec me merito quaſi criminis hujus
Participem damnare poteſt, licet omne futurum

Prævideam; prænoſſe meum ſe purgat ab iſto
Crimine, nec maculæ ſpurcatum eſt labe pudendæ.
Exitium mortale genus ſine crimine noſtro
Sponte ſua peperere ſuum, nulliſque coacti
Viribus in propriam lapſi cecidere ruinam.
Nam quæ ſponte ſua multum admirantur amantque
Hæc faciunt; primis uſque à natalibus illis
Eſt data libertas; eademque infracta manebit
Donec ſervitio ſtygii ſua colla tyranni
Subjiciant; nam ſic fati inviolabilis olim
Fœdere pactus eram; libertatemque daturum
Me ſtatui his, ipſique ſuam ſtatuêre ruinam.
Angelici ſed turba gregis, dum nemo coegit
Conſiliis cecidêre ſuis, cecidêre ſine ullis
Prolapſi ſtimulis aliunde citantibus: atqui
Gens hominum ſeducta vafri ſerpentis ab aſtu
Concidit,ergo hominum genti mea laxa patebunt
Viſcera, Tartarea ſine ſpe pereunte caterva,
Juſtitia & pariter Clementia noſtra per orbem
Aſtrigerum, terræque globum fulgore coruſco
Conſpicuos fundet radios: ſed blanda perennem
Præcipuo ſplendore feret clementia palmam.
Hæc ubi dicta dedit, totus fragrabat Olympus
Ambroſia, turbæ ætheriæ nova gaudia toto
Pectore concipiunt hilares: ſed regis Olympi
Filius, ante alios longè pulcherrimus omnes,
Conſpicuâ totum referebat imagine patrem,
Illius in vultu poſuit clementia ſedem
Alma ſuam, clarumque jubar diffulget amoris.
Alloquiturque ſuum dulci ſic voce parentem.
Alloquii pars illa tui quam grata per aures
Inſonat, Alme, meas, genitor, (mea laxa patebunt
Viſcera genti hominum!) grates tibi reddet Olympus,
Terraque, & innumeris tua concelebrabitur hymnis
Gloria, teſtificanſque tuam per ſæcula laudem
Cantio, te in ſolio reſidentem ornabit avito.
Sic

Sicne homo perpetua caderet miser ergo ruina,
Qui modo tam dilectus erat ? Sic fraude malignâ
Filius ille minor natu rapiente peribit ?
Stultitiæque suæ fructus patietur amaros,
Perpetuam sine fine necem : procul, hoc procul absit,
Alme, tuo, pater, ingenio, qui jura ministras,
Justitiæque tuæ trutina facta omnia libras.
Metam exultet atrox hostis tetigisse petitam ?
Propositoque scopo fraudaberis ipse ? Furorem
Sic ferus ille suum spoliis satiabit opimis ?
Calcabitque tuæ pedibus bonitatis honorem ?
Victricique caput lauro decorante malignum,
Supplicio quanquam pressus graviore, redibit
In stygiam, sua regna, domum ? Vindicta dolorem
Leniet ? atque una pariter trahet ille ruina
Humano totam sobolem de semine natam ?
Tuque opus ipse tuum, quo concelebratur honoris
Fama tui, subita disperdes concitus ira ?
Sic tua majestas, bonitasque immensa patebit
Opprobriis, eheu ! genitor, sine vindice diris.
Ad quem tum Pater omnipotens sic ore profatur :
Nate meo residens gremio, mea prima voluptas ;
Nate, meæ vires, mea magna potentia solus,
Unice nate tui magnum patris incrementum,
Consilium, vox atque decus, splendorque perennis.
Ore refers, quæ corde meo dudum ante latebant,
Consiliisque meis tua sunt conformia dicta.
Non omnis pariter soboles humana peribit,
Salvus erit, quicunque volet, quanquam illa voluntas
Dos mea sit, multos faciam parere volentes
Quippe voluntati vires, & lumina menti
Restituam, licet hæc tenebris, licet illa laboret
Nequitia, fœdique cupidinis uritur æstu.
Lapsus homo antiquas iterum reparare ruinas,
Auspice me, incipiet, faciamque ut protinus hosti
Ante expectatum positis stet in agmine castris.

Auſpice me, nova bella geret, victorque redibit
Auſpice me, ut merita mea numina laude coronet,
Agnoſcatque ſuæ robur quam debile dextræ,
Neve aliena meam rapiant ſibi nomina laudem.
Certus enim (ſic ſic placuit) mihi lectus ab ævo
Humani generis numerus: me voce vocantem,
Et, niſi paruerint multa & metuenda minantem,
Cætera turba hominum ſæpe audiet; huic ego cæcos
Irradiabo oculos manifeſto lumine veri;
Ne ſcelus ipſa ſuum falſo ſub tegmine velet,
Sed ſibi cogatur ſeſe peperiſſe fateri
Interitum, atque ſuis immanibus imputet auſis.
Spirituique meo ſi ſe dent ſponte regendos,
Saxea corda meis cedent mollita loquelis,
Parebuntque mihi, lachrymaſque preceſq; profundent
Parenti, ac miſtis lachrymis mihi voce precanti
Supplice non aurem avertam, non lumina claudam.
Atque ſyneideſim in gremio, quæ me minor uno
Sceptra gerat, ſedeatque throno Regina, locabo.
Hanc ſi forte ducem ſubmiſſa mente ſequantur,
Lux ex luce oriens tenebras procul exiget atras.
Optatamque feret tandem patientia palmam.
Qui vero, patiente animo dum expecto benignus,
Conſiliiſque meis, monitiſque ſalubribus aurem
Occludunt, illis merito mea viſcera claudam.
Hi magis atque magis duri cæcique per horas
Præcipites tandem tenebras adigentur in imas.
Gentis in humanæ numero cuicunque aliorum,
His tantum exceptis, mea janua laxa patebit.
Cuncta peracta tamen non ſunt: homo fœdere rupto
Æternum Cœli dominum ſtimulabit in iras,
Et cupiet par eſſe Deo; mox omnia perdet
Quæ ſibi divinæ dedit indulgentia dextræ.
Jamque nihil ſibi quo ſcelus expiet ille reliquit,
Aut illi aut noſtræ ſubeundum in ſæcula mortem eſt
Juſtitiæ, niſi quis pariter cupienſque potenſque

Mortem

Mortem morte abigat bonus, & mea numina placet.
Ergo potestates radiantia templa colentes
Ætheris, ecquis erit vestrum, qui sub juga mortis,
Ut mortale genus redimat, submittere collum
Audet, & innocuam pro injustis fundere vitam?
Tantus in Ætheriis amor est, mihi dicite, regnis?
Dixit, at Angelicæ tacuerunt agmina turbæ,
Altaque sydereas tenuere silentia linguas.
Nemo patronus adest homini, prece supplice nemo
Sollicitat Cœli dominum pro semine nostro,
Nedum ut sponte velit alieni solvere pœnas
Criminis, horrendumque Dei satiare furorem.
Jamque hominum soboles miseram sine fine ruinam
Passa foret; mortem & stygias post funera pœnas
Jam subitura fuit, nisi filius Omnipotentis
Filius ipse Dei, generoso in pectore cujus
Æternam posuit Cœli indulgentia sedem;
Sic rursum ad Regem superum foret ore locutus:
Jam semel emissum, Pater, irrevocabile verbum
Exiit ore tuo: Sobolem miserabor Adami:
Ergo carere potest mediis tua gratia dignis?
Quæ levibus pennis rapidissima pervolat orbem,
Immensisque bonis cumulat genus omne animantum,
Aera quod pennis, quod dividit æquora pinnis,
Quod pedes incedit, quod squamea volvit in orbem
Corpora: sponte suas, votorum & prævia latè
Fundit opes; quod sponte venit, sibi plaudat Adami
Posteritas: scelerum jacet illa in gurgite, nec te
Implorare potest, nec victima suppetit illi,
Quæ semel accensæ tibi flammam extingueret iræ.
Me, Pater, ergo tui jaculis ego sponte furoris
Offero, fulminea ferias mea pectora dextra:
Pro genere humano patiar quodcunque ferendum est,
Lætus, ut incolumes rapiam de limine mortis
Morte mea: me me ergo hominem, Pater, esse putato
Hujus amore adeo penitus mihi pectora flagrant,

Ut gremium jam ſponte tuum, Pater alme, relinquam
Contiguumque tibi ſolium, mortemque libenter,
Mortem ipſam ſubeam ; mors effera ſanguine noſtro
Sæviat, irarumque omnes effundat habenas,
Sed minimo tantum ſpatio latitabo ſub umbris
Funereis : vitam mihi tu vitæque per ævum
Imperium mihi das, quanquam obvius offero morti
Quicquid ineſt mortale mihi, quia debita ſunt hæc
Perſolvenda quidem : tamen hæc ubi pœna ſoluta eſt,
Non me deſtitues gelidi ſub mole ſepulcri,
Nec patiere animam tenebroſo in carcere noſtram
Paſcere vermiculos, ſenſimve putreſcere ; ſed mox,
Mox redivivus ero, tumulique repagula rumpam,
Victoriſque mei prædam ſpoliumque revellens
Fauce furente iterum dextra victrice reſurgam.
Tunc mors icta cadet lethalis vulnere plagæ,
Pulvere & in medio vultus ingloria verret
Cuſpide trunca ſua, qua ſe jactare ſolebat.
Tunc ego magnificos ſcandens ſuper aſtra triumphos
Lætus agam : incedent ſtygia agmina vincta catenis,
Victriceſque ſecuta rotas captiva ferentur,
Imperiis ſubjecta meis. Tu deſuper alti
Culmine reſpicies vultu placatus Olympi,
Te dextram mihi dante tuam, dum protinus hoſtes
Innumeros ſubita ſtratos involvo ruina :
Nec noſtram ipſa manum mors effugit : ipſa recumbit
Vulnere victa meo ; tumulumque cadavere paſcit.
Tunc ego cum innumeris ſtygia de fauce redemptis,
Rurſus in ætherias veniam, Pater optime, ſedes,
Conſpiciamque tuos vultus, ubi nulla furoris
Signa manent veteris, ſed pax & gratia ſedes
Hic ſtatuêre ſuas : omnis procul ira receſſit.
Tum tua lætitiam pariet præſentia plenam.
Hæc ubi fatus erat, finem dedit ore loquendi :
Vultus at ipſe loqui muta tum voce videtur,
Aſpectuque ſuo blandum ſpirabat amorem

In mortale genus, cui prænitet unica magnum
Submissa in patrem reverentia: libera prostat
Victima, sed magni expectat mandata parentis.
Tum vero ætherium subita admiratio cœlum
Occupat, & quo tendat amor tam fervidus, & quem
Finem habiturus erat trepidi dubiique stupescunt,
Lætitia mistoque metu: sed protinus ora
Tum Pater omnipotens in talia verba resolvit:
O nate horrendos hominum miserate dolores!
O nate in Cœlo ac terris mortalibus ægris,
Quos jam ad supplicium præsens vindicta trahebat,
Una reperta salus, pacisque interpres amicæ!
Vita animæ, mi nate, meæ, tu quanta meorum
Cura operum mihi sit nosti, quibus omnibus unum,
Unum hominem longe antefero, licet ultimus horum
Ille creatus erat; patiar te hoc victus amore
Nostro exire sinu, dextramque relinquere nostram.
Humanam ergo tuo reparare ut sanguine possis
Naturam conjunge tuæ: telluris in oris
Ipse homines inter fias homo, suscipe carnem,
Virgineoque decem lateas in viscere menses
Semine virgineo factus: stupeatque parentem
Nasci orbis potuisse suum: licet ortus Adamo,
Ipse tamen miseri vicibus fungeris Adami,
Dignior humani generis caput atque redemptor:
Utque sua totam sobolem trahit ille ruina,
Sic quoque nata tuo de semine pignora per te,
Per te restitues: sine te via nulla salutis.
Labis ut ille suæ maculas per cuncta nepotum
Sæcla propagavit: populum sic purgat ab omni
Mors tua labe tuum, scelerum quos pœnitet, & quos
Justitiæ non fracta suæ sustentat arundo.
Insertique tuo discunt revirescere trunco.
Sic homo morte hominem, namq; hoc jus fasq; requirit
Incolumem rapiet nigri de faucibus Orci,
Judicium mortemque ferens: iterumque resurgens

Secum una ætherii super aurea mœnia Cœli
Germanos trahet ille suos de morte redemptos.
Sic cœlestis amor odium superaverit Orci,
Dans morti, & subiens mortem ut de morte reducat,
Ut tanto redimat pretio quod perdidit Orci;
Exiguus labor, atque etiamnum perdere perstat,
Oblatam quoties bonitatem ingrata recusant
Pectora: nec tamen inferior tua gloria fiet,
Ut Deus humana lustres sub imagine terras.
Nam licet excelso sedeas in culmine mecum,
Æqualemque mihi laudemque decusque pararis,
Omnibus his tete spoliasti, Acherontis ab atro
Gurgite ut eriperes miseri tot millia mundi.
Nec natum esse Dei tantum natalia produnt
Te tua, sed meriti docet hoc quoque gloria tanti.
Non ita majestas validæque potentia dextræ
Degenerem non esse probant, bonitatis ut ingens
Gloria, & in miseros facilis clementia cunctos.
Totque inter decora & laudum præconia cunctis
Prænitet unus amor: pariet tibi dedecus ergo
Immensum decus, atque hominis caro semine nata
Divino tecum in solio tibi juncta sedebit.
Hic homo tuque Deus soboles hominisque Deique
Æternum sine fine thronum, sceptrumque tenebis,
Non maris aut terræ spatio, non legibus ævi
Subdita: perpetuo meritum dat in omnia regno
Ut potiare tuum: virtutes, regna, Thronosque,
Et quodcunque aliud superis dominatur in oris
Supposui tibi, procumbent tibi poplite flexo
Quicquid terra polusque tenent, terræque poloque
Subdita Styx condit gremio tenebrosa profundo.
Cum tu syderea medius comitante caterva
Nube locatus eris rupto demissus Olympo
Atque Archangelicûm sonitu crepitante tubarum
Undique convenient cunctis simul orbis ab oris
Ante tuum solium quos non libitina prehendit

Pallida,

Pallida, & à gelidis pariter rediviva sepulchris
Corpora prosilient, quæcunque ab origine mundi
In cineres resoluta putres tellure latebant.
Altaque pulvereos vacuabant classica lectos,
Tum tibi Sanctorum tota coeunte caterva,
Humani generis partem Angelicique rebellem,
Terrifico sic ore tonans, horrore replebis :
Vos hinc in Stygias procul hinc simul ite tenebras,
Nec mora, trudentur piceas Acherontis in umbras,
Quos ubi flammivomo rapidus vorat æquore vortex,
Janua Sulphurei subito claudetur Averni,
Diraque perpetuum cohibebit Tartara claustrum.
Terra autem interea, flamma populante, polusque
Protinus in cineres recident resoluta perustas :
Ac novus inde polus rursum & nova terra resurgent.
Post varios casus, post tanta pericula tandem
Hic animæ sanctæ requiem, sedesque beatas
Invenient, hic alma fides, hic blanda voluptas,
Hic regnabit amor longum sine fine per ævum,
Sævaque magnificos referet post bella triumphos.
Tum sceptrum ipse tuo excuties regale lacerto,
Nam tibi causa aberit sceptrum regale tenendi,
Cum Paper Omnipotens in servis omnia fiet
Omnibus ipse suis : Olli procumbite divûm
Turba frequens, qui tanta fuit discrimina passus :
Suppliciterque meo vosmet prosternite nato,
Ut mihi : vix illas voces dedit ; ecce piorum
Spirituum numerosa cohors clamore secundo
Lætitiam testata suam dirumpit Olympi
Mœnia, & altisono prodit sua gaudia cantu.
Atque utrumque thronum venerantur poplite flexo,
Submissoque suas vultuque animoque coronas
Projiciunt factas amarantho auroque, amarantho
Perpetuo ; flos hic Paradisi in dulcibus hortis
Vitali adjunctus quondam succrescere ligno
Cœperat, at scelere humano mox inde remotus

Nativam repetit super aurea sydera sedem,
Et vitæ irriguum foliis tegit undique fontem.
Rivus ubi medium dulcis transcurrit Olympum,
Elysiasque rosas placida perlabitur unda.
Illius Angelicæ foliis cuncta agmina turbæ
Tempora læta ligant, radios jaculantia claros.
Projiciuntque suas iterum persæpe corollas.
Inde pavimentum, quod Iaspida lumine vincit,
Undique sanguineo sparsum violatur ab ostro.
Mox iterum positis caput ornavêre corollis,
Auratasque lyras capiunt, quæ more pharetræ
Suspensæ ex humeris radiantia fulgura jactant,
Tum docto querulas prætentant pollice chordas,
Harmonicoque animos acuunt ad carmina lusu.
Vox ibi nulla tacet, vox inscia nulla canendi.
Quisque suas (O mira poli concordia!) partes
Sustinet, ac primo celebrârunt carmine Patrem.
O Rex omnipotens, nullis mutabilis annis,
Principio medioque carens, & finibus ævi
Atque loci; rerum genitor tutorque perennis,
Luminis & vitæ fons, atque invisilis ipse
Lucis inaccessæ solio considis avito.
Sed simul atque tuum piceâ jubar obruis umbrâ,
Et circumfusis latitas ubi nubibus atris,
Lux tua translucet medias radiata tenebras.
Atque ita sydereas perstringis lumine turmas,
Ut nequeant propius nisi tecto accedere vultu.
Teque deinde canunt magni, nate unice, Patris,
Unice nate, tui nitidissima patris imago,
Cujus in ætherio vultu pater ipse refulget,
Et sine nube oculis sese dat cernere nostris.
Te sine nemo tui faciem spectare parentis
Sustinet, uno in te facies divina refulget,
Æternique Dei infusus tibi spiritus ingens
Te facit esse sibi sedem, requiemque perennem,
Ætherii per te radiantia mœnia Cœli

Fecit,

Fecit, & ætherios habitantia flamina Cœlos.
Spirituumque choros per te procul ille malorum
Depulit arce poli; tum fulmina denſius imbre
Grandinis attonitos fueras jaculatus in hoſtes.
Ac dum flammiferis calcas fugitiva quadrigis
Agmina, dum ſævas fugientibus ingeris haſtas,
Horrificus fragor æternum tremefecit Olympum;
Et labefacta pavet radiati machina Cœli
Aurea, dum trepidas ſequeriſque premiſque catervas.
Tum te victrici redimitum tempora lauro
Excipiunt reducem læto clamore cohortes
Angelicæ, natumque canunt tanto Patre dignum,
Qui patrios hoſtes proſternas vindice dextrâ.
At genus humanum placido tamen ore tueris,
Fraudibus abductum Stygiis à tramite recto,
Alme Pater, frænaſque iras inhibeſque furorem.
Jam ſimul ac ſenſit dilectus & unicus ille
Filius eſſe hominum cupidum te ignoſcere genti,
Rurſus amicitiæ renovato fœdere priſcæ,
Protinus ille tuæ flammam ut reſtingueret iræ,
Præliaque ut dirimat geminarum ſæva ſororum,
(Juſtitia inde movet, atque hinc Clementia bellum
In facie manifeſta tua) deſcendit Olympo,
Proximus ille licet ſolio tibi ſederit alto,
Humanam ut redimat divino ſanguine vitam.
O ſtupor orbis amor, ingens bonitatis abyſſus!
Viſceribus quæ ſola Dei comprenſa tenetur.
Euge æterna Dei ſoboles hominumque redemptor!
Materiam citharis tribuet tua gloria noſtris,
Teque Patremque tuum pariter ſine fine canemus.
Sic ſuper ætherii radiantia ſydera Cœli
Gaudia lætificis gens aurea prodidit hymnis.
Devolat interea Satanas ſuper orbis opaci
Extima, quæ Chaos immenſum tenebraſque vetuſtæ
Noctis ab ætheriis ſecernunt luminis oris.
Hæc loca calcavit globuli referentia formam

Dum

Dum procul abſuerant, propiuſque admota videntur
Horrentis vaſta arva ſoli, & nudata colonis
Jugera, nec ſpatio nec fine coercita certo
Horrificis clauſa in tenebris & nocte profunda,
Nulla ubi vel minimæ tremuêrunt lumina ſtellæ,
Sed ſævam glomerans tempeſtatem imbribus atris
Horrida nubiferi furit inclementia Cœli.
Tantum à parte poli ſuperis propiore tenebras
Cœpêre exiguæ violare crepuſcula lucis.
Ambulat hic, laxoque movet veſtigia greſſu,
Et pede teſqua terit vacui male pinguia Regni.
Qualiter Imao generatum in culmine vultur,
Culmine, Tartareos aliis dirimente colonos,
A vacuis præda regionibus avolat, ut ſe
Paſcat carne ovium tenerarum hœdique petulci
Culmina tondentum cupido viridantia roſtro;
Jamq; petens fluvios Gangem aut Orientis Hydaſpem
Incidit in vacuos Sericanæ ignobilis agros,
Chinenſes ubi magna ſuæ miracula ducunt
Gentis arundineas vento veloque quadrigas.
Haud aliter ſolidi ventoſa per æquora ponti
Itque reditque inhians comitanti nemine dæmon,
Nemine, nam vivum his vel caſſum lumine in oris
Nondū eſt viſum aliquid, nondū, ſed poſtmodo rerum
Maxima vanarum & pereuntum copia, terris
Orta vaporiferæ fluxit de more procellæ.
Cum ſobolem late Genitor diffūdit in omnem
Primævi maculas ſceleris, labemque ſequacem,
Quicquid inane tenent magni Pomæria mundi
In gremio ſpatioſa ſuo; quæcunque caducas
Curvatæ in terras animæ & cœleſtium inanes
Nomina perpetuæ petiêre perennia famæ
Ut celebres vivant, clarumque à funeris umbris
Nomen habere queant, quique in mortalibus ævis
Digna ſuperſtitione ſua zeloque furenti
Præmia vana ferunt ſtupidi præconia vulgi;

Merce-

Mercedem hæc vacuam similem sibi cuncta reportant,
Et quodcunque operis quondam natura reliquit
Infectum, aut mediâ periit genitricis in alvo,
Monstrosique hominum partus numeroque modoque
Membrorum, matremque suam qui terruit infans
Discordesque uteri fœtus ubi vita reliquit
Has pariter congesta fluunt volitantque per oras:
Non lunæ in gremio, ut finxit male credulus error,
Vanida dum vacuam penitus solvantur in auram.
Illa sed alba patent melioribus arva colonis,
Sive illic habitent resoluti à corpore manes,
Vel medium si forte locum nos obtinet inter
Angelicosque Choros, aliquod genus æthere natum,
Huc primum antiquo gens sæva atque aspera sæclo,
Atque elata animis, gens immansueta gigantum
Venere imparibus generis nuribusque creati.
Proxima turba venit, quæ condidit alta Babelis
Mœnia turrigeræ celso minitantia Cœlo,
Fundata auricomæ formosa in valle Shinaris.
Nec minus illa novas iterum vana arte Babeles
Condere vellet adhuc, nisi res, nisi robora desint,
Ast aliqui nullis veniunt comitantibus illuc,
Quos inter qui dum Deus immortalis haberi
Nititur Empedocles, ardentem frigidus Ætnam
Insiluit: post hunc venit, ecce Cleombrotus, olim
Qui sponte æquoream se præcipitavit in undam,
Philosophi Elysios spondente volumine campos.
Quosque referre mora est, enecta in semine proles,
Morio, Eremitæ miseri, fratrumque catervæ
Papicolûm, quos nigra tegit, vel candida vestis,
Mixtave, turgentes pietatis imagine vana.
Hic errore vago sese peregrinus in orbem
Circumagit, dum regna poli radiantia vivus
Qui colit, in mediis tentat reperire sepultis.
Et qui Dominico Franciscanove latentes
Tegmine, dum gelidi steterant prope limina busti,

Sperabant placidam Paradiſi in ſede quietem.
Hi ſeptena vago volitantia ſydera curſu
Aſcenſu ſuperant, quæque orbibus indita certis,
Nocte per ætherios volvunt ſua lumina campos,
Mille oculis, mille igniculis hilarantia noctem,
Cœruleumque polum, nitidique cacumina mundi.
Jamjam clavigerum ſibi pandere limina Petrum
Aurea ſperabant miſeri ; ſed utroque repente
Ventus ab axe volans, millena hos millia paſſum
Præcipitat, vacuas rapienſque retorſit in auras.
Tum vero inſanos habitus, mitraſque cucullosque
In ſcruta & laceras verſa hic fluitare videres
Particulas, & relliquias globulûmque catenas,
Et ſcelerum venias, & inania fulmina bullas
Hic volitare ſimul vacuo ludibria Cœlo.
Cuncta hæc aerii violentia flamina venti
Corripiunt, rapidoque rotantia turbine portant
Ultra orbem terrarum, atque extima mœnia mundi
Ætherii, in limbum longè latéque patentem,
Limbum, ſtultorum paradiſum nomine dictum,
Qui celebratus erat longo poſt tempore, ſed nunc
Nulla hominum hic tritum monſtrant veſtigia callem,
Hic redit itque diu dæmon, paſſimque vagatur
Non expectatus donec ſua lumina ſplendor
Attigit : ergo illuc longis erroribus actos
Dirigit ille pedes ; procul hinc apparuit ingens
Erecta ad Superos, tangenſque cacumine Cœlum,
Machina, quam radiis limen ſupereminet aureis
Regificum, & portis bipatentibus ardua fulget
Janua clara auro flammaſque imitante pyropo,
Et maris Eoi ſpoliis ornata coruſcat.
Non illi ſimilem fama celebratus Apelles
Pingere doctus erat calamo, nec fingere fuſo
Ære Myron. Gradibus ſurgebat, qualibus olim
Scandere, & angelicas vidit deſcendere turmas,
Præſidium igniferum, fugiens ubi fratris ab ore
In

In Syriam Iſacides mediam rumpente tenebris
Nocte viam, viridis ſub dio in ceſpite campi
Procubuit, ſeramque dedit per membra quietem.
Atque ubi ſomnus abit, hæc ipſa eſt, inquit, Olympi
Janua; magna gradus illi myſteria ſignant:
Nec tamen hic ſemper remanent: aliquando trahuntur
In Cœlum, atque oculis nuſquam ſpectantur ab ullis.
Hanc ſubter ſeſe volvebat Iaſpidis unda
Igniferæ, aut liquidæ marmor revolubile gemmæ.
Quod quicunque polum terra petiere relicta,
Agmine ſydereæ tranarunt remige turbæ,
Flammiferiſve ſupervecti aſcendêre quadrigis.
Sed tamen ætheriæ demiſſæ hoc tempore ſcalæ,
Sive ut dæmonicos ſtimularent invia nixus
Mœnia ſyderei, ſcala ut foret obvia, Cœli,
Seu dolor amiſſi regni ut renovetur acerbus.
Hinc ex adverſo ſuper auricomum Paradiſum
Lata via in terras patefit, via latior illa,
Quæ poſthac longo trans ardua ſaxa Sionis
Tempore pandit iter, Solymæque in mœnia duxit,
Arvaque capta novis Jacobi è ſtirpe colonis.
Queis ſoliti aligeri ſæpe ire redire miniſtri,
Quos Superûm miro genitor complexus amore eſt,
Quotquot ab irrigui Jordanis origine terram
Incoluêre ſacram, Berſabæ ad mœnia, qua ſe
Nilo atque Arabicis diſterminat illa colonis.
Tam vaſto latè ſpatio confinia mundi,
Quæ tenebris ſtatuêre modum, diffuſa videntur.
Qualiter æquoreos cohibet ſua meta furores,
Æſtiferique premit violenta volumina ponti.
Hic Satanas ſcalæ parte inferiore reſiſtens,
Quæ rutilis gradibus Cœlorum ad limina ſcandit,
Cuncta per arva novi latè ſua lumina mundi
Volvit, & aſpectu ſubito ſtupefactus inhæſit,
Ut ſpeculator iter plenum ſi quando periclis
Per tenebras, tacitæ per opaca ſilentia ſylvæ
Nocte

Nocte ingressus erat : sed prima crepuscula lucis
Cum redière petit montis sublime cacumen.
Prospicit hinc subito peregrinæ mœnia terræ
Ardua, vel plenam generosis civibus urbem,
Culminibus domuum rutilo radiantibus auro,
Quæ jubar exoriens accendit amabile Phœbi.
Talis spiritui sese stupor inde maligno
Ingerit, ante licet radiantia mœnia Cœli
Viderit : at magis invidia stimulatur acerba
Arva beata novi contemplans lumine mundi.
Undique cuncta videt, siquidem stetit arduus altæ
In regione plagæ claro fulgore micantis,
Quo nunquam penetrat piceis nox lurida pennis.
Prospicit Eoa libræ radiantis ab ora
Usque ad lanigerum, qui pulchram vellere portat
Andromedam, transitque oculis Atlantis arenas,
Transit Horizontem, & geminum simul aspicit axem.
Nec mora mox primas mundi melioris in oras
Corripit ille fugam, celerique volumine purum
Obliquas per inane vias secat, undique stellis
Obsitus innumeris, stellis, quæ dum procul absunt,
Conspicuo fulgore micant, propiusque videntur
Assimulare alios ingenti corpore mundos,
Mundos, aut mediis dispersas Cycladas undis,
Hesperiisque pares, quos fabula prædicat, hortos.
Et fortunatos campos, viridesque recessus
Sylvarum, vallesque cavas & florea Tempe,
Arva beata ; sed his quæ gens habitârit in oris
Quærere præcipitis prohibet violentia cursus.
Hæc super aurati radiantia lumina Phœbi
Illius alliciunt oculos : huc protinus altam
Dirigit ille fugam liquidi per inania mundi.
Sed tamen an sursum properaverit, anne deorsum
Per centrum, an medio longè hæc fuga dissita centro,
An fortè in longum fuerit, qua Phœbus ab alto
Stellarum ingenti semotus ab agmine longè,

Quæ

Quæ domini propius metuunt accedere vultum,
Flammiferos jactat radios, res ardua dictu est,
Hæ tamen immensi per vasta palatia mundi
Dum varias ducunt choreas, queis cuncta notantur
Temporis intervalla, dies, & mensis, & annus,
Sæculaque, & positæ spatiis æqualibus horæ
Intendunt varios Phœbæam ad lampada motus,
Aut forsan sibi Phœbus eas magnetis ad instar
Attrahit occulta jubaris virtute, calorem
Quod per cuncta suum insinuat, latéque per orbem
Didit, & æquorei penetrat quoque regna profundi.
Gloria tanta fuit solio radiante sedentis.
Appulit huc dæmon, cernitque hic jugera, quæ non
Optica vitra dabant solari in corpore doctis
Spectanda Astronomis : locus hic splendore pyropos
Flammiferos, nivei radios, rutilique metalli,
Et quodcunque parit gremio terra alma benigno,
Exuperat, famæque super præconia scandit
Undique non similis, simili tamen undique fulget
Lumine, ut ardenti coquitur dum massa camino.
Hæc loca si forsan libeat conferre metallis,
Argento radiata nitent auroque coruscant
Undique ; si nitidis libeat conferre lapillis,
Illic Chrysolithus, nec non Carbunculus illic,
Illic sanguineus lapis, Æthiopumque Topazus,
Quæque olim igniferæ decorarunt pectora gemmæ,
Pontifici Isacidûm media in regione locatæ,
Et multo pretio, multoque labore petitus
Philosophûm, sed adhuc nulla ratione repertus
Nobilis ille lapis, qui deteriora metalla
Tangendo rutilum subito convertit in aurum,
Multiplicant lucem & radiantia fulgura jactant.
Philosophûm cunctos lapis ille huc usque labores
Elusit, quanquam hi refugum constringere claustris
Mercurium didicêre suis, & ab æquore promunt
Ambiguum variis indutum Protea formis,

Donec

Donec in antiquam redeat stillando figuram.
Miramurne igitur, Terra in regionibus illis
Nectareas si fundit aquas, & flumina fulvis
Fluctibus insultant liquido radiata metallo;
Cum Chymicæ Princeps artis procul orbe remotus
Inferiore, suas jaculans ex æthere flammas,
Terrarum abstruso in gremio, splendore coruscos
Conspicuo generet lapides, virtute stupendos.
Jam spectacla oculis dæmon nova cernit acutis,
Prospectumque petit longè latéque patentem,
Nulla quod intentos inhibent spectacula visus:
Clara nec oppositis lux interdicitur umbris:
Omnia sole micant rutilo, ceu culmine Cœli
Cum medio spatiis terram undique despicit æquis.
Haud aliter sursum recto sua lumina volvit
Tramite, nec minima violatur solis ab umbra
Gloria, quod claris colluceat undique flammis.
Purus & à tenebris nebularum, & nubibus aer
Satanici visus adeo firmavit acumen,
Ut penetrare queat spatiis distantia longis
Lumine perspicuo: Tunc Angelus ore corusco
Illius ante oculos sese dedit, ecce, videndum,
Quem Sole in medio conspexit Apostolus olim.
Tergo obversus erat; splendor tamen eminet ingens:
Phœbæis radiis rutila fulgente Tyara
Vertice tectus erat; similique ardore refulgens
Ex humeris medios coma dependebat in armos
Munus obire aliquod magnum, vel mente profundâ
Magnum agitare aliquid taciturno in corde videtur.
Jam sceleratus ovans animo nova gaudia sentit
Spiritus, exspectans dubium qui in tramite certo
Ducat ad auricomos Paradisi nobilis hortos,
Grande viæ pretium longæ, nostrique doloris
Principium, primoque suam novat ille figuram,
Ne mora, neve suos metuenda pericula cursus
Tardarent: igitur Cherubini forma minoris

Suſcipitur; ſed vultus ineſt cœleſtis in illo,
Ætheriuſque vigor radiat, miruſque venuſtat
Singula membra decor. Tanta catus arte fefellit.
Per geminas coma torta genas, ſuppoſta corollæ
Exercet choreas, & multicoloribus alis
Corpora cincta nitent rutilo radiantibus auro;
Curribus aptus erat circumdatus inguina limbo,
Albentique ſuos prætentat arundine greſſus.
Non tamen improviſus adeſt, venientis acuta
Angelus aure trahens ſonitum ſua lumina torquet,
Inceſſuque ſuo patet eſſe Archangelus unus
E ſeptem eximiis, Uriel qui nomine dictus,
E ſeptem eximiis ſolii qui ad ſcamna verendi
Stant propius: quocunque vocat Deus, ire parati,
Lataque ſyderei ſpeculantur mœnia regni.
Deſcenduntque polo ætherio, terraſque per omnes
Juſſa Dei peragunt, perque humida cœrula vaſti
Nereos; hunc Satanas verbis compellat amicis.
O Uriel, nam ſpirituum, qui numinis alto
Aſſiſtunt ſolio, rutilo fulgore micantes,
Tu primus divina ſoles mandata per orbem
Ætherium portare, ubi cætera turba reſiſtit
Cœlicolûm, ore tuo exceptura cadentia verba,
Hic quoque forte parem nunc es ſortitus honorem,
Æternique Dei vicibus mandatus ab illo
Fungeris, atque novum circum ſpecularier orbem
Præciperis, latéque oculos diffundere claros.
Me deſiderium & ſitis inſatiabilis urget
Noſcere facta, oculis divina & cernere noſtris;
Imprimis hominem, quem prætulit omnibus unum,
Omnibus unum aliis miro dignatus honore:
Proque illo quæcunque facit, feciſſe videtur,
Hujus amor curæ, Cœlo Superiſque relictis
Fecit ut incerto hic in tramite ſolus oberrem.
Dic, Cherubine, precor, claro ſplendore coruſcans,
Quem ſibi legit homo claris tot in orbibus orbem,

Ut coleret, ſtatuatque ſuam per ſæcula ſedem ?
Vel ſi nulla homini ſedes, liberque vagatur
Qualibet, ætherios abiens redienſque per orbes,
Dic ubinam inveniam ? latitanti ut lumine cernam,
Aut etiam illum oculis coram aſpiciam manifeſtis.
Cui Patris ætherii mira indulgentia mundos
Tradidit, ecce, novos, cunctiſque excellere rebus
Juſſit, ut intentis oculis animoque videntes
Hunc, & quicquid habet vaſtus mirabile mundus,
Laudibus artificis magni celebremus honorem,
Qui merito partem ætheria de gente rebellem
Præcipitem tenebras Orci detruſit in imas.
Neve ea ſydereos minuat jactura colonos,
Humanam, vacuas ſedes quæ ſuppleat horum,
Effinxit ſobolem : Mira O ſapientia Cœli !
Talia fatus erat ſalſi ſimulator honeſti,
Diſſimulatque dolos : fraudem nam corde latentem
Nullum hominis, nullum Angelici diſcernit acumen
Agminis : uſque adeo, patienti numine, paſſim
Terrarum Cœlique plagas impune pererrat,
Et nulli niſi viſa Deo ſecura vagatur,
Sæpeque ſuſpicio, ut vigilet ſapientia, dormit
Illius ante fores ; & ſimplicitas alienum
Candida munus obit : bonitas vix credidit uſquam
Eſſe ſcelus, ſceleris niſi nuda apparet imago.
Jamque Urielem etiam fallacia decipit ipſum
Quamlibet auricomi radiantia lumina Phœbi
Ille regat ; cunctoſque excellat acumine viſus,
Quotquot in arce poli ſuper aurea ſydera regnant.
Spirituique, nihil ſuſpecta fraude, maligno
Ille animi innocua ſic ſimplicitate regeſſit.
Angele conſpicuo radians fulgore, ſciendi
Inclyta facta Dei non illaudata cupido eſt,
Ut meritos magni artificis celebremus honores :
Quin magis illa animi ſitis inſatiabilis alti
Laudibus eximiis merito dignanda videtur,

Quæ

Quæ te compulerat, superorum sede relicta,
Testem adhibere oculum divini illustribus actis
Roboris: horum etenim fama resonante per aures
Maxima sydereæ pars est contenta catervæ.
Digna stuporis enim divinæ gloria dextræ
Materia est; illam studio lustrare sagaci
Et meminisse animo certe est jucunda voluptas.
Sed quæ acies animi numero comprendere certo
Facta Dei, aut valeat scrutari mentis abyssum
Illorum Artificem, quorum abdidit ille profundis,
Hunc & ad usque diem causas latitare tenebris
Jusserat: ipse oculis vidi cum voce potenti
Nudum & inane Chaos cumulum collegit in unum.
Illius imperium rudis indigestaque moles
Audiit, & trepidos posuit sedata tumultus,
Vastaque propositis constrinxit inania metis;
Voxque secunda Dei simul est emissa, tenebræ
Protinus aufugiunt, & lux caput exserit altum,
Deque incompositis ordo generatur acervis.
Tunc elementa suas, quondam discordia, sedes
Pacificata petunt, tellus atque ignis, & aer
Undaque: tunc primum variis animata figuris
Ignea convexi vis & sine pondere Cœli
Emicuit, celsaque locum sibi legit in arce.
Et sese assidue varios convolvit in orbes:
Tunc primum incipiunt toto fulgescere Cœlo
Sparsa per astriferos latè miracula campos,
Quæ tibi clara patent, oculisque exposta videntur;
At visum fugit atque oculis non cernitur ullis
Maximus ille alios qui circuit ambitus orbes,
Et comprensa tenet gremio simul omnia vasto.
En globus inferiùs luce hinc veniente refulget,
Terra vocatus, & est homini data numine sedes;
(Lux ea dicta dies) quam nox atque altera terræ
Quæ modo regna latent tenebris absconderet atris,
Ni foret auxilio tenuemque in tempore lucem

Candida luna daret (ſic ſydus amabile dictum eſt.)
Lunaremque abiens, redienſque redintegret annum.
Hinc triplicem ponitque, & ſumit nocte figuram,
Illuſtrans tacitum jucundo lumine mundum,
Pallentique domat tenebroſa ſilentia ſceptro.
Hæc plaga quo tendo digitum, Paradiſus Adami
Hoſpitium eſt, ramoſque in longum exporrigit altos,
Suaviter arboreis ubi membra refrigerat umbris.
Nos via noſtra vocat: tua nunc manifeſta tenetur.
Tantum effatus, & in verbo veſtigia torſit.
At Satanas ſupplex, vultumque in pulvere verrens,
Qualiter in Cœlo mos eſt, ubi nulla negatur
Debita majori reverentia, cum minor adſtat,
Dicit ave, terramque petens quæ ſubjacet illi
Per loca Phœbæos radios tenebrantia lætus
Devolat innumeros ſinuans per inania gyros:
Donec nubiferi culmen ſublime Niphatis
Attigit, hic celeres paulum requieverat alas.

Finis Libri Tertii.

Para-

Paradisus Amissus.

Liber Quartus.

O Si hominũ trepidas nunc vox tonuisset in aures,
Cujus Joannem toto grave murmur Olympo
Terruit obstrepitans, Cœlo superante, draco-
Cum petiêre fugam trepidantia terga secundam, (nis
Atque hominum generi stimulante ardore nocendi,
Insidiatus erat; væ Terræ habitantibus Orbem.
His etenim inferni monitis evadere regni
Insidias poterant, stygiamque retundere fraudem.
Nunc etenim Satanas furiis accensus & ira
Horridus ima petit Cœlo dejectus ab alto,
Tentatorque sagax, accusatorque malignus,
Bello victus, & in tenebras detrusus Avernas,
Humanæ ut soboli subitam paret ille ruinam,
Solamen miserum, geminique levamina damni.
Nec tamen immensos animi levat ille dolores,
Dum procul impavidus, vacuusque timoris & audax
(Quippe immane nefas vana est medicina dolorum)
Præcipiti volat ille fuga, fœtumque laborat
Parturiens ferus ille novum, trepidantiaque haurit
Corda pavor pulsans, scelerumque arrecta cupido
Interitum petitura suum: simul anxius horror
Hunc circumvolitat, trepidoque insania vultu
Tartaron intus habet, fundo qui exæstuat imo:
Tartarus intus adest, circumque lacessit, ab illo
Non magis ac sibi si cupiat se avellere, posset

Mutatis exire locis : ſtupidumque ſoporem
Triſtis imago abigit miſeri ſine vindice fati.
Quid ſit, quid fuerit ſubit, & quid deinde ſequetur,
Pejus adhuc : pejora etenim premit ultio pejor
Crimina, neç meritis caret ulla injuria pœnis.
Rurſus in auricomum ſua lumina tendit Edenem
Nubibus atra nigris ſtygioque horrentia luctu,
Æthereique iterum ſpatioſa palatia Cœli
Spectat, & in medio Phœbi radiantia Cœlo
Lumina, dum rapidis medius volat ille quadrigis,
Multaque dura ſuo triſti cum corde putabat ;
Ac primum ut fari potuit, ſic incipit ore
Cum gemitu permiſta loqui : Tu luce coruſcus
Flammifera, qui de ſolio radiante Smaragdis
Cuncta per arva novi latè tua lumina mundi
Volvis, & huc illuc agitas, velut alter ab illo
Qui mundo dedit eſſe novo ; quo ſydera viſo
Cuncta minora fugam rapiunt, repetuntque latebras :
Te voco, nullus amor tamen eſt mihi cauſa vocandi,
Nomen & addo tuum, ſol, ut tibi clara pateſcat
Debita cauſa odii quo teque tuumque nitorem
Proſequor : hinc ſubit illius mihi triſtis imago
Temporis, aſtrigeri ſuper aurea mœnia regni
Cum radiis mea forma tuis, jubarique coruſco
Prænituit, traxitque oculos fulgore tuentum.
Ambitione animum donec ſtimulante ſuperbum
Cœleſti auſus eram in Cœlo contendere regi.
Hei mihi quale nefas fuit hoc ? non talia de me
Promeritus fuerat, cui ſic ſpendore coruſco
Effulgere dedit, radiiſque ardeſcere claris,
Nec dextræ benefacta ſuæ exprobraverat ulli,
Nec duro dare colla jugo ſubjecta coegit.
An fungi poteram leviore, minúſve moleſto
Munere, pro meritis grates quam reddere tantis ?
Factaque munificæ celebrare inſignia dextræ ?
Quam juſtum hoc fuerat? bonitas tamen ipſa malignū,
Ipſa

Ipsa furore animum stimulisque agitabat amaris.
Quique elatus eram super alta cacumina rerum,
Qui pedibus tot pressa meis & tanta videbam ;
Me tamen unum aliquod majus superesse dolebam.
Si mihi scandatur saltem gradus unicus ultra,
(Talia jactabam stolidus) super omnia solus
Evehar ; & qui perpetuum solvisse tributum
Debueram, usque iterum debens iterumq; rependens,
Mox brevis hora meo excutiet juga tristia collo.
Nempe oblitus eram penitus, me semper ab illo
Accipere, atque animum debendo solvere gratum,
Obstrictum simul & resolutum, hac mole gravatus
Ingemui ? quæ tanta fuit mihi causa querendi ?
O si me Superûm Genitor splendore minori
Angelicos inter cœtus decorasset ? in illo
Stare gradu poteram, nec me sublimibus alis
Ambitio eveheret superare impervia certans.
Cur tamen ista queror ? quippe altera forte potestas
Attentasse eadem poterat, scelerisque necisque
Me quoque cum reliquis comitem junxisse, sed eheu !
Nulli præcipites parili cecidêre ruina,
Quos divina pares mihi dextera finxerat, uno
Me tantum excepto, sed adhuc in sede vetusta
Perdurant stabiles ; assultibus undique nullis
Intus & exterius victi sua terga dederunt,
Nec statione suâ fugiunt, sedesve relinqunt.
Arbitriumne tibi fuerat, standique potestas
Haud secus atque aliis ? fateor : Quæ causa ruinæ
Ergo vocanda meæ ? mihi jure hanc imputo soli.
Nam cœlestis amor pariter se effudit in omnes.
Illius ergo necem mihi qui dispensat acerbam
Devoveatur amor merito, dirisque petatur
Ominibus, nam nil odio mihi mitior ipso est.
Quin te devoveas potius, tua prava voluntas
Quando voluntati ætheriæ diversa petivit,
Et lugenda tibi longum sine fine per ævum.

Me miſerum! quo me rapiet fuga? terror & horror;
Undique me premit, exagitat furor undique Cœli.
Quicquid agam? quoquo fugiam, Styx atra ſequetur.
Styx ego nempe mihi, & Stygiam circumfero pœnam.
Semper & inferior procul imo in gurgite gurges
Exoritur, vaſtoque mihi minitatur hiatu.
Styx Cœlum ipſa mihi eſt iſti collata timori.
O nunc pœniteat ſaltem! precibúſne relictus
Supplicibus locus? aut ſceleris venia ulla peracti?
Nulla niſi ætherio ſubmittam colla tyranno.
Hoc vetat altivolis evecta ſuperbia pennis,
Et pudor opprobrii, Stygiis ne fabula fiam
Spiritibus, quos noſtra ſimul veſania traxit,
Involvitque una pariter ſine fine ruina,
Omnipotentem etiam mea ſub juga mittere jactans.
Hi tamen ignorant, quibus imo in pectore pœnis
Torquear, atque luam rabidæ deliria linguæ,
Dum gemitus horrenda movent tormenta latentes:
Interea in ſolio poſitum venerantur Averno,
Sceptra manu, clarumque comis diadema gerentem.
Inferius tamen uſque cado: dedit unica ſummum
Pœna tenere locum, & ſocios præcellere cunctos
Ærumnæ gravitas: hæc jure ſuperbia vecors
Præmia digna refert, tumidæque inſania mentis.
Quod ſi jam ſceleris me pœnituiſſe peracti
Cœperit, & veterem Cœli indulgentia ſortem
Reſtituat, priſcoſque mihi concedat honores?
Quam citò præcipitem ſublimi à ſorte renaſcens
Ambitio raperet, poſitamque reſumeret iram
Rurſus in arma ruens? requieſque oblita malorum
Vota extorta novis iterum violaverit auſis?
Paxne coire poteſt, ubi vulnera ſæva ſimultas
Tam truculenta dedit? pax me iſta levaret in altum,
Rurſus ut inde recens caderem, parvamque quietem
Induciaſque breves luerem graviore ruinâ.
Noverat hoſtis atrox animi penetralia noſtri,
Utque

Utque mihi veniam pudor eſt expoſcere ab illo,
Sic odium ille ſuum neſcit lenire precando.
En exſpes noſtrum genus eſt, quos ætheris alti
Sedibus extorres pepulit, longéque relegat:
Deliciumque novum luteo de pulvere finxit
Humanam ſobolem, noſtraque in ſorte locavit,
Atque tenenda novi dedit ampla hæc mœnia mundi.
Speſque metuſque igitur, mœſtæque faceſſite curæ,
Nam bonitas mihi cuncta perit, traxitque ruinam.
Pro bonitate malum mihi ſis, nam, te auſpice, ſaltem
Diviſum imperium Superûm cum rege tenebo,
Aut juſta plus parte regam, novus, ut puto, mundus
Hoc ſciet, atque novi gens hoc ſciet incola mundi.
Hæc ubi dicta refert, varios dedit ore colores:
Pallor, & ira ferox ter, livor, & anxius horror,
Larvatam ſubeunt faciem, fugiuntque viciſſim,
Falſaque prodiderant fictæ ludibria formæ.
Namque animi trepido nunquam vexata tumultu
Cœlituum gens alta ſedet, gens incola regni
Ætherii placidam peragit ſine turbine vitam.
Hoc animadvertens fraudis Pater ille malignæ
Quam pote ſollicitas animi mulcere procellas
Nititur. Ille fuit falſa qui primus iniquos
Texuit arte dolos, ſimulans imitamine rectum,
Velavitque animum pulchra ſub imagine fœdum.
Non tamen ille oculos Urielis fallere rurſus
Deceptos ſemel ante poteſt, qui lumine greſſum
Illius inſequitur longè, & proſpectat euntem.
Donec in Aſſyrii ſublimi vertice montis
Horrida monſtra ſubit, monſtra horrida, qualia nunquā
Ætherii ſe turba chori veſtire ſolebat.
Nam geſtu truculentus erat, vultuque ferino
Lumina volvit, obitque truci procul omnia viſu.
Solus, ut ipſe putat, nullique objectus ocello.
Propoſitum jam pergit iter, jam Edenis ad oras
Venerat: Auricomus Paradiſi hîc nobilis hortus

Undique cingebat viridi diademate sylvam,
Sylvam præcipitem cujus latera hirta rigebant
Sentibus, accessumque negant, caput æquat Olympo
Cedrus odora, abies, & quæ sub mole triumphat,
Quæque cavata terit liquidi trabs marmora ponti.
Scena decora stetit, sensimque ascendit in altum,
Perque suos petit astra gradus, sylvestre theatrum.
Altior interea Paradisi his omnibus extat
Murus, & ætherio minitatur vertice Cœlo.
Hinc vetus ille Pater longè latéque per orbem
Prospectum petit, atque oculos circumtulit altos,
Amplaque suppositi speculatur mœnia regni.
Altior hoc etiam Paradisi in culmine muro
Extitit arboreæ species miranda coronæ
Pœne inserta polo; fœtuque & flore nitenti
Mille trahit varios adverso sole colores.
Qualis in ætherio decor admirabilis arcu
Fulget, ubi arva natant pluvia perfusa recenti.
Qualis & occidui radiata a lumine Phœbi
Vespere sese oculis nubes dat cernere nostris.
Sic locus iste nitet: purumque hic purior aer
Insequitur, vernaque afflavit suaviter aura
Inferni Regem Barathri, cunctosque dolores
Corde fugare potest, nisi spes modo sola deesset,
Spes mœsti medicina animi, curæque levamen,
Hinc & odoriferas quatientes leniter alas
Nativæ veniunt auræ, dulcique rapinæ
Murmure signa suæ clara & manifesta susurrant.
Velivolis veluti Capo de spe navita rostris,
Et vada cum superat Mozambica, suaviter halat
Terra beata Arabum, & longè diffundit odores
Ambrosios, lentasque procul torpere carinas
Oceano ridente facit dulcedine captas;
Haud secus hæc Stygium fragrantia mira Tyrannum
Allicit, huic licet ille ferat lethalia secum
Toxica, longè alio nares tangebat odore,

Asmodæe,

Asmodæe, tuas piscis jecur: unde repente
Territa terga fugæ dederas, sponsamque relinquens
Tobiadæ, Medisque procul depulsus ab oris
Niliaca arva petis, vincloque hic stringeris arcto.
Jam Satanas hujus pervenit ad infima montis
Sollicitus, lentoque legens vestigia passu.
Hic demum stetit, ulterius via nulla ferebat.
Sic dumi alterno amplexu sua brachia jungunt,
Atque arbusta suos confundunt mutua ramos.
Præcluduntque aditus omnes hominique feræque,
Quicquid ubique vago tulit huc vestigia gressu.
Hic tamen una aditum patefecit janua certum,
Janua, quæ radiis juga subdita matutinis
E regione videt: quæ cum obvia facta latronum
Signiferi est oculis, non hanc tamen ille subivit,
Legitimum indignatus iter; mox alite saltu
Ardua turrigeri superat fastigia muri,
In medioque pedem Paradisi protinus horto
Fixerat ille suum: veluti lupus acer & atrox
Cum stimulante fame nota atque ignota vagatur
Per loca, prædæ inhians, vigilique observat ocello
Sicubi forte gregem per prata virentia pastor
Vespere in opposito soleat concludere septo.
Transilit hoc votique potens, manditque trahitque
Molle pecus, mutumque metu, fremit ore cruento.
Ac velut ingentes perrumpere divitis ædes
Momento ut rapiat longo congesta labore
Cum latro parat: huic aditum dat janua nullum,
Claustraque firma manent, solidoque repagula ferro.
Per præceps tamen aut tecto delabitur alto,
Occultásve fenestra vias laxata ministrat.
Sic furum iste pater divinum invadit ovile:
Sic quoque templa Dei post invasêre latrones.
Tunc se tollit humo, & levibus ferit aera pennis;
Atque salutiferi super ardua brachia ligni,
Ligni, quod medium est, & cuncta cacumine vincit,
Considet:

Conſidet: hîc nullam tamen invenit ille ſalutem,
Nec vitam reparare poteſt: ſed cogitat illic
Unde nocere queat vivis, pariatque ruïnam.
Arboris innumeras ſacræ, vitæque datricis
Virtutes nihili facit: hinc ſua lumina volvens
Proſpectum petit, atque alium non reſpicit ulum
Illius, illa licet ſe ritè ſcientibus uti
Æternam tribuiſſe queat per ſæcula vitam,
Uſque adeo nemo oblati niſi tu, Deus unus,
Commoda magna boni ex merito perpendere novit.
Sed bona vera animi privatus lumine vero
Negligit, inque malos, vileſque emancipat uſus.
Deſuper attonitis avidè ſpeculatur ocellis
Divitias natura tuas: quæcunque tenebris
Abdideras alibi, vel clara in luce locâſti,
Hic pariter congeſta locum glomerantur in unum.
Quin totum in media Cœlum eſt hîc cernere Terra.
Hic Paradiſus enim divinæ conſitus olim
Arte manus fuit in regione Edenis Eoä.
Pulcher ab Auran Eden roſeos excurrit in ortus
Uſque ad magnificas turres & tecta Seleucûm
Ardua, Grajorum monimenta perennia regum,
Atque Telaſſaram, quam nata Edene propago
Prima ætate habuit nullis præventa colonis.
Hac pulchra in regione Deus plantaverat hortum
Auricomum, quo nil hominum formoſius uſquam
Conſpexêre oculi: terra hac exſurgere juſſit
Arboris omne genus, oculos, cum nare palatum
Forma, & odore trahens, guſtuque: his unica cunctis
Altior eſt poſita in medio dulciſſima ligni
Umbra ſalutiferi rutilo fœcunda metallo,
Ambroſiiſque comis. Vitali at proxima ligno
Aſtitit exitii lignum exſecrabile noſtri
Fons & origo. Boni diſcrimina certa malique,
Quæ magno empta dedit noſtræ dignoſcere genti.
Lympha per auſtralem regionem exivit Edenis,

Nec

Nec cœptum variavit iter : ſed prona cucurrit
Per montem oppoſitum ſubmerſa voragine vaſta.
Nam Pater omnipotens montem auricomi Paradiſi
In rapida fundavit aqua, quæ per cava terræ
Spiramenta ſuis eluctabatur in altum
Vorticibus, tunc mille viis ſe effudit in hortum
Floricomum, atque vagas hic rurſum colligit undas,
Quæ rapido per prona gradu, præcepſque, feruntur
Flumen in inferius ſua quod violentia raptans,
Cœperat è piceis iterum revocare cavernis,
Quod jam in bis geminas latè diffunditur undas;
Multaque regna vago peragrat celeberrima curſu,
Quæ mora longa foret numerare : at ſi licet arti
Hoc memorare libet magis, hac ut origine nati
Rivi perſpicui gemmas, rutilumque metallum,
Quo liber vocat error, aqua cum divite volvant,
Arboreis latè ſuperimpendentibus umbris,
Et paſſim innumeras jucundo nectare plantas,
Halanteſque rigent per amœna roſaria flores,
Flores non proprio diſtinctos agmine, flores
Nuſquam diſpoſitos certa in ſtatione, ſed illos
Munifica natura manu, gremioque ſoluto
Fudit in aerios montes, campoſque jacentes,
Rura aprica replens orienti obnoxia Phœbo,
Mane novo radiis ubi terram inflammat Eois,
Umbroſumque nemus, medio quod membra ſub æſtu
Feſſa levat, Phœbumque comis depellit opacis.
Hæc loca ruris erant vario diſtincta colore.
Hîc myrrhæ paſſim lachrymæ, cum glutine paſſim
Balſama odoriferi ſudant è cortice ligni.
Aurea mala alios onerabant undique ramos.
Heſperiæque vetant famam telluris inanem
Credere ; tantus ineſt formæ decor atque venuſtas,
Mellifluique trahunt animum dulcedine ſucci.
His interpoſiti paſſim jacuêre tumentes
Colliculi, valleſque cavæ, queis graminis herbam
Lani-

Lanigerique greges tondent, hirtæque capellæ:
Hic ubicunque aberant animalia, fuderat umbras
Undique palma ſuas; & floribus undique valles
Arrident, roſeumque gerunt ſine cuſpide germen.
Parte alia gelidos præbebant antra receſſus
Concava, purpureas ſuper hæc intexuit uvas
Vinea torta comam, & teneris perplexa racemis
Creſcit in immenſum, ſubitaque propagine ſerpit.
Interea placidi jucundo murmure rivi
Præcipites pronique ruunt de montibus altis
Per virides campos, pariterve feruntur in unum
Omni à parte lacum: hic ripis, quas margine in imo
Myrtea ſylva tegit bicoloribus undique baccis,
Oſtendit ſpeculum Chryſtallo purius ipſo.
Dulce queruntur aves, vernæque ſonoribus auræ,
Auræ camporum & nemorum redolentis amictum,
Dulcia floricomi modulantur ſibila rami.
Almus at interea ſol, qui fovet omnia, blandus
Grex Charitum, & poſitæ ſpatiis æqualibus Horæ,
Perpetua ver lætificum ſine fine choræa
Circumagunt. Non ſic viridi fulgebat amictu
Enna ferax, ubi dum pulchros Proſerpina flores
Colligit, à piceo flos pulchrior ipſa Tyranno
Lecta fuit: quam diva parens tum ſolis ab ortu
Solis ad occaſus totum veſana per orbem
Quæſierat. Nemus haud Daphnes prope flūen Orontis,
Caſtaliuſvè latex Paradiſi gaudia dulcis
Æquiparare valent, non quæ Tritonide lympha
Nyſa ſonat, cunæ Semele prognati, ubi Chamus,
Ammonem, lybicumque Jovem quem nomine dicunt,
Cum genitrice ſua tenerum condebat Iacchum,
Cum fugerent ſævæ furias fraudemque novercæ.
Nec tu Abaſſino geniti tutela Tyranno
Mons Amara Æthiopum prope regnum in limine Nili,
Fulgenti incluſus ſcopulo, quem à lumine Eoo
Lumen ad Heſperium multo ſudore viator
Vincit;

Vincit; at Assyrio longè hoc semotus ab horto.
Omne voluptatum genus hic Rex dirus averni
Ipse voluptatis vacuus speculatur, & omne
Quodcunque usquam animal visus perstringere possit
Vel novitate suæ, mira vel imagine formæ.
Cum tamen aspicerent animalia cætera terram
Pulveream, erectos ad sydera tollere vultus
Viderat ille duos divinæ imitamina formæ;
Nativoque aliis tenebras offundere cunctis
Splendore; ætherium referebant ore parentem,
Testanturque suo dominari in cætera vultu,
Vultu quem decorat pietas, sapientia, verum,
Mensque severa, tenax recti, ac moderamine dulci.
Huic quoque mixta sedet magni reverentia Patris,
Obsequiis intenta piis & læta laborum:
Manat in humanam decus inde & gloria frontem,
Quamlibet in gemino dispar sit gloria sexu:
Et merito; nam disparitas in utroque relucet.
Viribus ille animi & forti quoque corpore præstat:
Mollior hæc, placidis Charitum comitata choræis.
Ille Deum solum, illa Deum spectabat in illo:
Ille elato oculo & spatiosa fronte decorus
Imperii dat signa sui, coma fronte pependit,
Crispatique humeris insultavêre capilli;
Non tamen hos infra veniunt muliebria passi,
Mentitique suum dominum; se nempe virili
A capite exortos memores; sed, quod decet, Evam
Ad medium demissa latus velamina cingunt
Auratæ spatiosa comæ, varioque plicatu
Neglectis decorata modis per terga resultant.
Haud secus atque suos vitis generosa racemos
Implicat; inde sui sese dare colla mariti
Imperio docet, & blandi moderamina sceptri
Sponte pati; lætumque animum delectat Adami
Illa sui, quam fœmineæ luctamina pugnæ
Dulcia condecorant, humilisque modestia fastus.

Non

Non tamen ulla suis inducunt tegmina membris,
Omnia nuda patent, atque omnia nuda decebant,
Nam pudor omnis abest, nec adest causa ulla pudoris.
Ah scelerum soboles, ignominiosa latendi
Gloria, velatæque decus miserabile formæ!
Vos mala multa homini peperistis; imagine ficta
Humanam ah, ficta pietatis imagine, gentem
Luditis! humanis ah! nunc procul exulat oris
Simplicitas, & pura fides sibi conscia recti.
Sic, ubicunque libet, junctis sine veste vagantur
Nobile par dextris & amabile, quale nec unquam,
Quotquot ubique tori socialia fœdera jungunt,
Visum est ante, aliis nec post orietur in annis.
Sic, ubicunque libet, nudi sine veste vagantur,
Non oculum, quia mens maculata à crimine nullo est,
Divinum Angelicúmve timent accedere testem.
Omnes stirpe sua genitos superavit Adamus
Frontis honore sui; & nivei dulcedine vultus,
Omnes stirpe sua genitas superaverat Eva
In viridi campo sub opacæ tegmine sylvæ,
Quam levis aura facit dulci strepitare susurro,
Propter aquæ rivum liquidæ sua corpora ponunt,
Cumque laboratum satis est ab utroque per hortos
Omniferos, quantum Zephyri redeuntis amorem
Incitet, ac tepidi placidas captare favonî
Delitias, requiemque magis gaudere reversam,
Exacuatque famem dapibus, cœnæque futuræ,
Atque sitim; mox incipiunt decerpere fructum,
Fructum nectareum, quem ligna virentia fundunt
In medias demissa manus, dum in valle recumbunt
Sanguineis florente rosis, & mollibus herbis,
Grataque jam cupidis mandunt pulmenta palatis.
Ac redeunte siti Cyatho de cortice facto
Dulcia contiguæ populantur flumina lymphæ.
Non ibi dulcis amor, non risus & oscula desunt
Blanda, nec alterni socialia signa favoris,
Qualia

Qualia nempe decent ſociali fœdere junctos,
Queis rivalis abeſt, caſti mala peſtis amoris.
Hos circum pecudes choreas duxêre feræque,
Quaſcunque orbis habet, virides quæcunque receſſus
Sylvarum, & gelidas nemorum coluêre cavernas.
Illorum ante oculos placidus leo neſcius iræ
Ludit, & impavidam medio tenet ungue capellam.
Tigris & urſa, lupus, maculoſaque corpora lyncum
Illorum ante oculos viridanti in gramine paſſim
Compoſitos glomerare gradus, & flectere gyros
Exultant, ſinuantque alterna volumina crurum.
Ipſe Elephas vaſta mole admirandus, ut illos
Oblectet, vario verſat ſua membra rotatu:
At rapit immenſos orbes per humum, ſpatioque
Squameus in ſpiram vaſto ſua corpora ſerpens
Colligit: & media, ſed inobſervatus, in herba
Triſtia ſigna dedit funeſtæ prævia fraudis.
Cætera per viridem recubant animalia campum,
Circumaguntque oculos epulis ſatiata, vel herbam
Depaſtam ante, iterum revocant, iterumq; remittunt.
Nam prono Heſperias curru jam Phœbus in undas
Præcipitabat iter: jam rurſum in lance ſuperna
Ætheris orta micant referentia ſydera noctem;
Dum ſpeculabundo Satanas ſua lumina vultu
Volvit adhuc; tandemque in verba hæc ora reſolvit,
Suſpirans, gravidoque trahens à pectore vocem.
O Stygiæ nox atra domus, quam triſtia cerno
Nunc objecta oculis, eheu! ſpectacula mœſtis!
Gens aliena bonis fruitur, miſerabile, noſtris,
Gens noſtris aliena thronis ſedêre locati,
(Quis ferat hæc?) ipſo geniti de pulvere forſan,
Non è ſpirituum numero, ſed in æthere natis
Spiritibus tamen illuſtri ſplendore propinquant,
Quos mente attonita, ſtupefacto & lumine cerno;
Quos, niſi non ulli pateat mihi pectus amori,
Ipſe adamare queam; tanto fulgore micantes

Divinam vivo referunt imitamine formam.
Tantus in ore vigor, tantus decor atque venuſtas
Artificis magni manibus fabricata niteſcit.
Ah! par dulce, necis tempus miſerabile veſtræ
Quā properat? gravis hora tibi,gravis hora propinquat,
Perpetuumque tibi pariet brevis illa voluptas
Interitum, horrifico fallacia gaudia luctu
Mox redimenda rotis rapidis fugitiva ferentur;
Quoque magis gaudere datur, majore dolorum
Pectora veſtra ſimul tandem ſub mole prementur.
Fœlices; tamen hæc minimè fœlicia durant
Fata diu, ſtatiſque ſuper titubantia fulti.
Hic Paradiſus enim, veſtrum quem dicere Cœlum
Jure queam, veſtro nimium patet obvius hoſti,
Qui jam ingreſſus adeſt: hoſtis tamen ille alieno
Cogitur eſſe odio, ſævumque laceſſere bellum.
Quos ego certè equidem magno miſerarer amore
Percitus, ipſe licet nulli miſerabilis eſſem.
Jam ſtat perpetui vobiſcum fœdus amoris
Pangere, voſque mihi firmis conjungere vinclis:
Veſtrum ego voſve meum longo retinebitis ævo
Hoſpitium; non ut Paradiſi gloria veſtri
Sic mea regna virent verno florentia cultu.
Qui tamen autor erat generis, mihi credite, veſtri,
Hoc fabricavit opus; operis jure autor amorem
Conciliet. Vobis, mihi quæ dedit ille, libenter
Ipſe dabo: Stygii vos ingens aula Barathri
Excipiet portis bipatentibus: omnia Regum
Emittet Stygiûm geminis occurrere vobis
Agmina, latè equidem ſpatiis extenditur amplis,
Non velut exiguis loca veſtra coërcita metis:
Omnia veſtræ igitur numerum ſuperantia ſtirpis
Millia ſufficiet ſæclis oritura futuris
Accipere, atque ſimul gremio comprendere vaſto.
Si loca ſenta ſitu & piceis offuſa tenebris
Undique forte animis pariant faſtidia veſtris;

Impolit

Impulit hanc me ſyderei Regnator Olympi,
Cui nocuiſſe aliquâ mihi cordi eſt, ſumere pœnam,
Inſontemque alieno exſcindere vulnere gentem.
Si tamen innocuæ nunc me reverentia vitæ
Afficiat, pectuſque mihi molleſcere cogat;
Publica cauſa tamen ſimul & reſpectus honoris,
Imperiique decus, ſtudiumque immane nocendi,
Et ſatiandi avidam damnis hoſtilibus iram,
Hæc ſuadent mihi cuncta nefas admittere dirum,
Quod tamen ipſe, licet longum damnatus in ævum,
Hei mihi! perpetuæ jaceam cruciatibus iræ,
Ipſe alias odiſſe velim, longéque recuſem.
Talia fatus erat genius malus, atque furorem
Excuſans fovet ille ſuum, fatique ſeveris
Imputat imperiis; falſoque obducit honeſto.
Tum ſeſe aerio celſi de vertice ligni
Quadrupedum in medias jactu dedit ille catervas;
Nunc hanc, nunc illam, veluti rationibus aptum
Credidit eſſe ſuis, vacua ſimulaverat umbra,
Ut propius ſpeculetur inobſervabilis, ecquid
Præda petita aliud de ſe cognoſcere dignum
Ore manuve daret: ſpeciem nunc ille leonis
Induitur, geſtitque oculis flammantibus ardens
Inſultare ſolo & greſſus glomerare ſuperbos.
Et nunc ore refert furibundam tigrida, cæcis
Quæ latitans ſpecubus nunc hic nunc ſternitur illic,
Obſervans geminos oculis vigilantibus agnos,
Ut, ſimul optati dederit ſe occaſio furti,
Irruat, atque avidam laniatos mergat in alvum.
Haud ſecus iſte latet, qui dum primævus Adamus
Primævam alloquitur blandis ſermonibus Evam,
Ecce novis cupidas intendit vocibus aures.
O mihi ſola comes, vitæ ſolatia mecum
Participans, aliis mihi tu tamen unica cunctis,
Unica tu potior, majoraque gaudia præbes,
O vitæ vita una meæ: Pater ille perennis

Qui nos qui nostris vastum hunc fabricaverat orbem
Usibus, ille bonus dici quam jure meretur,
Cujus habet nullas larga indulgentia metas.
Qui nos de luteo telluris pulvere fictos
Intulit auricomis Paradisi nobilis hortis,
Tranquillamque dedit procul omni à turbine vitam.
Cum tamen hunc nullo officio, nec munere simus
Demeriti, cum sit nostri nihil indigus unquam
Auxilii, fœlix in se, & sine fine beatus.
Hoc unum à nobis tamen, hoc leve postulat unum.
Omnia poma manu, nitidum quæcunque per hortum
Crescere conspicimus, patitur decerpere: tantum
Unius cohibere manus à germine ligni
Imperat: hæc arbor vitali est proxima ligno.
Mors adeo vitæ, quodcunque est ipsa, propinquat,
Mors dirū atque īmane aliquid, meritoq; timendum est,
Mors dabit atra necem, nam qui regit omnia, mortem
Rex minitatus erat ligno vescentibus illo.
Signa tot inter enim clarè elucentia nostri
Imperii, quo nos vastum dominamur in orbem,
Sub pedibusque jacent volucres, pecudesque, feræque,
Monstraque cœruleo passim insultantia ponto,
Hoc signo ille Parens mundi sanctissimus uno,
Explorare animi voluit penetralia nostri.
Hæc una ergo animo non jussa capessere prompto
Sit pudor: Omnipotens larga cum plurima dextra
Munera contulerit nobis, dederitque benignus
Innumeris florêre bonis: parere libenter
Nos juvet, & meritas illi persolvere grates,
Munificamque manum dignis attollere verbis;
Dum dulci intentos operi trahit ipsa voluptas;
Dum flores varios lata hæc viridaria circum
Curamus, violas, hyacinthum, & candida rubris
Lilia mista rosis; passimque excreta putamus
Brachia plantarum, qui si labor arduus esset,
Tu comes esse levem faceres, mea vita, laborem.

Talibus

Talibus orsa modis tum candida rettulit Eva.
Unde fui, pro quoque fui, caro carne creata,
Dulcis Adame, tua, sine quo nihil utilis essem,
Duxque, gubernatorque meus, vitæque magister,
Haudquaquam à recta tua vox ratione recedit.
Huic etenim meritas grates persolvere justum est,
Dignaque munificæ celebrare encomia dextræ
Quotidiè. Sed quis poterit me justius ipsa
Hoc facere, ante alios mihi sors fœlicior omnes
Obtigit. Ecce, ego te fruor, O dulcissime conjux,
Te multis meliore modis, cui non datur usquam
Consortem reperire tori tibi laudibus æquum.
Cum primum evigilans, somnique excussa veterno
Ipsa sub arborea mediis me in floribus umbra
Deprendi positam tunc mirabunda resedi.
Meque locumque stupens, unde & quibus artibus illuc
Ducta forem ; tunc multa meo cum corde putabam.
Nec procul inde cavæ luteo de viscere terræ
Egrediuntur aquæ jucundo murmure, seque
In liquidum sparsêre lacum qui immobilis hæsit,
Templaque cœrulei visum exhilarantia Cœli
Perspicuo fulgore micans æquaverat. Illuc
Mentis inexpertæ studiis accensa repente
Prosilio, spectansque lacum, qui me alter Olympus
Judice visus erat, leviter prostrata reclino
Corpus in irriguæ viridanti margine ripæ.
Hic me, perspicui lustrem ut penetralia stagni,
Quod mea visa trahit Cœlo radiantius ipso,
Colloco ; dumque meum laxa cervice reclino
Prona caput, liquidi speculans secreta profundi,
Candida forma suos curvato vertice vultus
Dirigit in nostram faciem studiosa videndi.
Torta caput retrò fugio, simul illa refugit,
Mox alacris redeo, pariter mox illa redivit,
Aspectuque suum blando manifestat amorem.
Quin usque huc fixis hæsissem vultibus illic,

Tabueramque animi furioſa cupidine vani.
Hæc niſi forte meas tunc vox ſonuiſſet in aures
Talia dicta ferens, quod lumine reſpicis illic
Candida Nympha tuo, quod lumine reſpicis illic
Ipſa es, te veniente venit, redeunte redibit
Indivulſa comes: tu me poſt terga ſequaris.
Me tibi ſume ducem, duce me, mihi crede, fereris
Illò, ubi nulla tuos aditus vetat umbra, nec ulla
Amplexus ſimulacra tuos fugitiva morantur.
Hic illum invenies, quem viva imitaris imago:
Hic illo potiere, nec avelleris ab illo.
Illi multa tuam paries referentia formam
Millia, & inde tibi veniet venerabile nomen,
Humani Mater generis! jam errore remoto,
Quid facerem, niſi mox ſequerer comitemque ducemq;
Noſtro haud viſam oculo, cupida tamen aure receptā.
Tandem te platani poſitum ſub tegmine denſo
Corpore procerum video, vultuque venuſtum:
Non tamen æquabas formæ decus illius undâ
Conſpectæ in liquidâ, non vultus amabilis æquè,
Non æquè facilis fuerat: tum tergo retorſi.
Tu vero ſequeriſque ſequenſque revertere, clamas
Protinus, Eva mihi; neſcis, temeraria, neſcis
Quem fugias, ideoque fugis. Caro carne creata es
Oſque ex oſſe meo: te in luminis edidit auras
Grata rapina mei lateris, qua proxima cordi
Coſta fuit, noſtrô ut lateri comes addita ſemper
Magna individuæ pareres ſolatia vitæ:
Pars animæ te quæro meæ, te vendico noſtri
Dimidium, cum voce manus me veſtra prehendit.
Imperiis tum cedo tuis: exinde patebat
Quantum fæmineam ſuperârit maſcula formam
Gratia, & alma ſoror ſapientia, vera venuſtas.
Hæc ubi dicta dedit genitrix primæva, loquaci
Annuit illa oculo, vultuque fatetur amorem,
Conjugiale jugum ſubiens, colloque mariti

Circum-

Circumfuſa ſui, noſtri genitoris, inhæret.
Ubera nuda quidem parte inferiore recumbunt
Uberibus commiſſa viri: ſed ſumma niteſcunt
Ubera tecta comis rutilo radiantibus auro.
Victus at ille ſuæ vultu verbiſque maritæ,
Suaviter arridet: cum majeſtate virili
Mixtus abundat amor, & eadem in fronte relucet:
Haud alio terram vultu videt humidus aer,
Conjugis ut lætæ gremio ſe infudit, & omnes
Magnus alit magno commiſtus corpore fœtus,
Nubilaque in liquidas ſolvens prægnantia guttas
Gramine prata novat revirentia, floribus hortos.
Avertit vultum Satanas agitatus amaris
Invidiæ ſtimulis, verum hæc tamen ipſa malignos
Rurſum oculos revocat, ſecumque ita corde volutat:
Heu animi tortura mei! ſpectacula noſtris
Heu ingrata oculis! mira dulcedine juncti
Atque alterna ſuis amplexi colla lacertis,
(Hic potior Paradiſus enim eſt, hic vincit Edenem)
Hi duo jucundam ſine ſollicitudine vitam
En peragunt, lætique bonis impune fruuntur
Innumeris: Stygias at ego detrudor ad umbras,
Infernaſque domos, ubi gaudia nulla videntur,
Nullus amor; ſed luctus atrox, ſed dira cupido,
Tormentum, quo non mille in cruciatibus ullum
Eſt gravius: vexat ſeſe inſatiabilis ardor,
Suppliciumque ſuum eſt, lentoque peruritur igni,
Dum vana ſimulacra manu fugientia captat,
Spes tamen interea non funditus excidit omnis,
Quantum audita etenim mihi divinare dederunt,
Non ſua cuncta vocant. Paradiſi creſcit in horto
Ominis irriguo mirandi & nominis arbor,
Quæ magno empta boni diſcrimina certa malique
Scire dabit: guſtata necem guſtantibus affert.
Sic vult Omnipotens: ergóne ſcientia quædam
Interdicta homini: cur hanc ſuus invidet illis?

Cur prohibet dominus discrimina noscere rerum?
An scelus esse potest aliquod, mortémve mereri?
Nil rationis habet, sed suspicione redundat
Lex ista; an stabilem daret ignorantia sedem
Gentibus humanis, longamque in sæcula vitam?
An signum hoc foret obsequii, studiique fidelis?
O bene jacta hominum jam fundamenta ruinæ!
His tentabo novam laqueis ego perdere gentem,
Accendamque animos insano ardore sciendi.
Invida jussa Dei livore inventa maligno
Rejicient; quæ nempe humili consistere cogunt
Observata gradu, solium violata Deorum,
Sceptraque digna Deis tribuent. Gustabitur arbor,
Et pariet gustata necem, quænam aptior istis
Fraus queat esse dolis, meliorque inferre ruinam?
Hunc vero incipiam imprimis specularier hortum
Undique, nulla oculos fugient penetralia nostros.
Ætherio fortuna dabit mî occurrere forsan
Spiritui gelidam recubanti fontis ad undam,
Aut sub fronde levi nemoris, qui scire docebit
Quod superest. At vos fœlicem ducite vitam,
Dum licet ambo simul; mentes fugitiva voluptas
Exhilaret, quam fine carens dolor excipit ingens.
Hæc ubi dicta, gradu vertit sua terga superbo,
Limis respiciens oculis; nemorisque per umbras,
Perque cavas valles, perque ardua culmina montium
Errat, & incerto variat vestigia gressu.
Interea Hesperiæ Phœbus jam in margine metæ,
Quæ Cœlum atq; solũ, & liquidũ mare jungit in unum,
Tardigradum declivus iter molitur, Eoam
Hesperia feriens Paradisi cuspide portam.
Hic ingens rupes alabastri ad nubila scandens
Eminet, & gradibus sinuosis ducit in altum
A tellure polum; rupesque hîc altera præceps
Impendens stetit, atque aditum dedit undique nullum.
Hic inter geminas rigida de rupe columnas
Consedit

Consedit Gabriel, cui rex, genitorque Deorum
Regnum in flammiferos dedit imperiumque ministros,
Venturæ expectans latebrosa crepuscula noctis.
Exercent liquidas nudati membra palæstras
Ætherii juvenes, ludisque virilibus instant.
Hos juxta galeæ, clypeique, & spicula pendent
Clara micante auro, flammasque imitante pyropo.
Huc Uriel subito flamma in Phaetontide lapsu
Accelerat, velut autumni sub tempore quondam
Stella facem ducens multa cum luce cucurrit,
Cum vapor accensus liquido volat aere, nautæ
Significans qua parte suæ venientia chartæ
Prælia ventorum effugiat. Tum protinus infit:
Ad portas tibi Rex Gabriel custodia sorti
Accidit, & vigili speculari lumine circum;
Hæc loca ne forsan violet sacrata profano
Introitu, propiúsve ferat vestigia quicquam
Pollutum sceleris maculis, Stygioque veneno.
Ipsa hac luce poli mediam jam sole per arcem
Transiliente, meum venit peregrinus in orbem
Spiritus, ætherio simulans fervescere zelo,
Atque ardore Deum, divinaque facta sciendi,
Præcipuéq; hominem; propriam quem Rector Olympi
Nuper in effigiem luteo de pulvere finxit.
Huic ego monstro viam, tum fulminis ocyor alis
Avolat, ipse fugam speculabar lumine fixo
Aeriam, sed cum sublimi in culmine montis,
Montis ab Arctoo qui sydere spectat Edenem
Desiluit, tenuitque gradum, discernere cœpi
Signa aliena polo, & mentem testata rebellem;
Nam vultum ira ferox, & luridus occupat horror.
Jamque fugam renovat, fugientem hunc lumine fixo
Prosequor: ille cava tandem contectus in umbra
Delitet: expulsæ pars hæc (ita sentio) turbæ
Ausa, immane nefas, Stygio torrente relicto,
Bella parat, veteresque iterum renovare tumultus
Cogitat;

Cogitat; ergo tuum eſt latebris educere prenſam.
Ad quem tum voces has reddidit aliger Heros:
Quid mirum ſi perſpicuo latè omnia viſu,
Phœbæi in medio jubaris tua lumina volvens,
Proſpicis, atque tuos nihil undique vitat ocellos?
Nemo per hac vigiles portæ in ſtatione locatos
Ingreditur, niſi qui Cœlo venêre remiſſi,
Signaque certa ferunt animum teſtantia purum.
Nullus at inde gradum tulit ex quo Phœbus Olympum
Tranſierat medium: Stygii tamen incola regni
Huc ſi corporeo penetraverat obice ſpreto;
Durum ac difficile eſt, nôſti, quod ab æthere natū eſt
Spirituale aliquid terreno excludere clauſtro:
Si verò is de quo tibi facta eſt mentio, forſan
Hac regione latet quavis ſub imagine tectus,
E latebris extractus erit, me me duce primum
Auroræ ad reditum, dubiæque crepuſcula lucis.
Talia ſpondebat Gabriel, Urielque revertens
In jubare ignifero reſidens equitavit ab alto
Æthere ad auricomum declivi tramite Phœbum,
Cujus Horizontem rapidæ ſubiêre quadrigæ,
Quo tranſgreſſa fidem volucris fuga pertulit illum
Unius in lucis ſpatio, parvumque diei
Intra curriculum. Minus anne volubile terræ
Corpus ad Eöum curſu breviore recurrens
Æthera, in Heſperiis Cœleſtem lampada lymphis
Sanguineo pingentem oſtro, rutiloque metallo,
Nubila pulchra ſuos obitus comitantia liquit.
Vertitur interea cœlum & ruit oceano nox,
Et terram furvo tenebrarum obducit amictu,
Et taciturna quies furvas comitata tenebras
Inſequitur: pecudum ſopor & genus omne volantum
Occupat; hæ lectos virides petiêre, ſed illæ
Languida, quæque ſuis, poſuerunt corpora nidis.
Sola vigil Philomela negat ſuccumbere ſomno,
Jucundoque ſuum cantu ſolatur amorem,

Oblectans tacitæ tenebrosa silentia noctis
Dulcibus alloquiis! jam protinus undique cœpit
Regia vasta poli vivis ardere smaragdis:
Hesperus interea multo radiantior ipse
Agmina sydereæ ducit radiantia turbæ
Antevolans leviore fuga: luna aurea donec
Nubifero surgit faciem circumdata velo,
Ac tandem nitidi develat lumina vultus,
Involvens niveo nigrantem tegmine noctem.
Tum pater his lecti sociam compellat Adamus
Vocibus; O vitæ consors pulcherrima, noctis
Hora venit, suadentque cadentia sydera somnos,
Cunctaque per terras placida composta quiete
Consimilem suadent requiem: cum Rector Olympi
Jusserit alternum requie relevare laborem,
Ut lux alma sequi tenebras lucemque tenebræ
In numerum sine fine solent sub fœdere certo.
Jamque soporifero languentia rore rigantur
Corpora, comprenditque natantia lumina somnus.
Cætera, sole diem radiis lustrante coruscis,
Fessa ministeriis errant animalia nullis
Qualibet: hinc requies opus his minus esse videtur,
At qui perpetuis orbem moderatur habenis,
Munera certa homini cerebro validisque lacertis
Quotidiana dedit peragenda: hoc hoc decus illi,
Hoc humana docet mundi curare parentem,
Cætera dum officiis animalia nuda vagantur,
Nec facta illorum trutina Deus æstimat ulla,
Cunctaque bruta Deo nullo discrimine habentur.
Mane prius radiis quam Eöa cacumina primis
Cras feriat lampas Titania corpora molli
Nostra levanda toro pariter: solitoque labori
Indulgere decet, dulcemque revisere curam,
Frondiferum curare nemus, vallesque virenteis.
Nos ubi ferre pedes medio jam solis in æstu
Assueti arboreis super impendentibus umbris,

Quæ

Quæ longè exuperant noſtræ molimina curæ;
Innumeraſque manus, quæ luxuriantia latè
Brachia compeſcant nemorum, ſibi deeſſe queruntur.
Aſpice deciduos per amœna roſaria flores,
Quæque è corticibus manant electra per hortum;
Aſpice, nonne jacent projecta ſine ordine paſſim?
Hæc removenda manu ſunt utraque; mollia noſter
Pes ut inoffenſo calcet viridaria greſſu.
Natura interea, tenebræque quieſcere ſuadent.
Cui ſic Eva refert roſeo nitidiſſima vultu,
Autor tu meus es, dominuſque; obtempero juſſis
Sponte libenſq; tuis; nempe hoc Deus imperat ipſum,
Utque Deus tibi, ſic mihi tu lex unica vitæ es:
Fœmineum certè decus, hoc agnoſcere, primum eſt.
Te comitante, animum parili dulcedine noſtrum
Tempora cuncta beant blando volitantia lapſu.
Jucundos facit eſſe dies præſentia vultûs,
Dulcis Adame, tui, noctem quoque reddit amœnam.
Pulchra aurora iterum rediens me ſuaviter afflat,
Cujus ad exortum aligeræ picta agmina turbæ
Undique demulcent vacuum reſonantia Cœlum,
Dulcis, & exoritur rutilans ubi Phœbus Eoa
Cuſpide prata ferit viridantia gramine læto,
Arboreaſque comas, varioque roſaria cultu,
Cum ros in tenera pecori gratiſſimus herba eſt.
Herbaque dulce mihi pluvia perfuſa recenti
Halat, & ambroſium latè diffundit odorem:
Et mihi gratus adeſt noctis prænuncius ignis,
Noxque deinde ſequens nigris obſeſſa tenebris,
Et quæ blandiloquo tenebroſa ſilentia noctis
Murmure rumpit avis citharam dulcedine vincens.
Grataque Luna mihi noctu micat aurea, nec non
Agmina ſydereæ Lunam comitantia turbæ.
Non tamen auroræ jucundus anhelitus almæ
Cum pictis avium reſonantibus undique turmis,
Non Sol mane redux, non gemma argentea, gramen,
Arbo-

Arboreasque comas, & amœna rosaria pingens,
Non terra ambrosium à pluvia dum spirat odorem,
Non vesper placidus, noctis non umbra silentis,
Blandaque noctis avis tenebrosa silentia rumpens
Murmure blandiloquo, non molli incedere gressù
Nocte sub auricomæ radianti lumine Lunæ,
Sydereique gregis sine te mihi grata videntur,
Afficiúntve animum sine te dulcedine nostrum.
Cur tamen hæ flammæ noctem,quam longa,refulgent?
Cur, ubi blanda quies cunctos oppressit ocellos,
Nocte per ætherios volvunt sua lumina campos?
Ad quam tunc hominum genitor primævus Adamus
Talia dicta dedit: soboles hominisque Deique,
Eva beata, suum peragrant hæc omnia cursum,
Circumeuntque globum terræ omni ex parte rotundæ
Vespere ab hoc usque ad redituri vesperis ortum,
Inque vices loca cuncta vident, loca cuncta revisunt
Nunc habitata, novis aut post habitanda colonis,
Donec ab Eoi venientia margine Cœli
Nocte sub Hesperias condunt sua lumina lymphas,
Ne vetus imperium tenebræ sine lumine primæ
Invadant iterum, & cunctis tellure creatis
Occludunt animam, & vitali lumine privent
Quicquid ubique viget, quicquid radice tenetur,
Quicquid & huc illuc anima vegetante cietur.
Queis hæ non tantum placidæ sua lumina flammæ
Suppeditant, verum & reparant, vegetantq; foventq;,
Effunduntque suas latè super omnia vires,
Unde suum insinuat fructu majore calorem
Omnia luce sua penetrans fax aurea Phœbi.
Ergo per obscuram radiantia sydera noctem
Non frustra radiant: hominum si nulla propago
Nata foret, tamen ætherii vaga lumina Cœli
Spectantum haud caritura oculis, Cœlive creator
Laude sua cariturus erat: tot millia terram
Spirituum nullis oculis conspecta pererrant,

Seu nos nocte sopor teneat, seu luce labores,
Claraque divinæ, quæ nocte dieque tuentur,
Concelebrant lætis animis miracula dextræ.
O quoties tacitæ per amica silentia lunæ,
Per montes passim aërios nemorumque recessus,
Vocibus ætheriis solis aut ordine junctis
Ætherium Patrem resonantibus assonat Echo,
Et sæpe in statione manent, sæpe agmine juncto
Orbem circumeunt vastum sub nocte silenti,
Angelicæque sono citharæ cum carmine vocis
Angelicæ noctem exhilarant, & ad æthera tollunt
Pectora nostra suæ plausu fremituque chorææ.
Talia dicebant hilares, & amabile junctis
Hospitium repetunt, comitanti nemine, dextris,
Hospitium Pater Omnipotens quam legerat illis
Esse domum, humanos quando omnia finxit ad usus
Ardua tecta domus laurus Myrtusque coronant;
Atque comis nunquam positis laquearia rident.
Hinc & acanthus & hinc & amœno quicquid odore
Naribus insinuat viridantia mœnia pingunt.
Mixtaque serta nitent vario assimilata colore
Irida, sanguineoque nives violantur ab ostro.
At subter violæ cum purpureis hyacynthis
Pulvereoque croco terram pinxere virentem,
Et Lybicis longè melius nituere lapillis,
Nulla alia huc veniunt animalia: nulla volucris,
Nec fera, nec pecudes, nec pulveris incola vermis,
Nec Serpens per humum sinuosa volumina versans,
Ausa inferre pedem est hominisque intrare tabernam:
Sic decus humanæ movet & reverentia formæ,
Quicquid ubique trahit vitalem luminis auram.
Haud unquam tales nemorum coluêre recessus
Pan pecorum, sylvæque Deus Sylvanus, & hirti
(Fabula ficta licet) Fauni, viridesque Napææ.
Hic umbras inter patulas nova nupta corollis
De flore innumero factis genialia strata,

Et casia, atque aliis intexit suavibus herbis,
Angelicique chori faustos cecinêre hymenæos;
Illa nempe die, qua pronubus Angelus illam
Duxit in amplexus cupidi gremiumque mariti.
Quam sua nativo facies fulgore decorat,
Et magis exornant Charites, quam quæ fuit olim
Nobilitata tuis, vates Ascræe, camœnis;
Cui pariter dotes cunctorum turba Deorum
Contribuêre suas: similis quoque contigit illi
Casus, ut Iapeti, duce Mercurio Jove nato,
Venit ad incautam sobolem, vultuque venusto
Traxerat humanam in laqueos & retia gentem.
Furtivæ ut luerent scelerata piacula flammæ.
Jamque domus ventum est umbrosæ ad limina, sistunt
Ambo simul, versique simul sic voce precantur:
Sub dio Dominumque bonum, facilemque parentem,
Qui mare, qui terras, qui fecerat æthera vastum,
Lucentemque globum lunæ, Titaniaque astra,
Quæ sæpe attonitis animis & lumine fixo
Conspexêre: Parens rerum optime, tu quoq; noctem
Induis obscuram tenebris, lucemque diei
Tu roseam radiare facis, quam in munere nobis
Mandato ad noctis reditum transegimus una
Alternis læti officiis & amore benigno
Inter cuncta tenet primam qui gaudia palmam,
Maxima suppeditans nostræ solatia vitæ,
Dum nos innumeris vasta in regione locati
Delitiis fruimur, quarum pars magna, colonos
Cum locus hic tantum geminos tot millibus aptus
Contineat, sine fruge perit, patiturque ruinam.
Tu tamen à nobis sobolem volventibus annis
Venturam geminis, totum quæ repleat orbem,
Pollicitus, qui te nobiscum sive quietem
Nox dederit, seu lux referat rediviva laborem,
Concelebrent, nomenque tuum super æthera tollant,
Cujus habet nullas larga indulgentia metas.

Unanimes hæc verba dabant, nullisque peractis
Ritibus ulterius, nisi puro interna videntis
Numinis obsequio pariter viridantia tecti
Intravêre sui junctis penetralia dextris.
Mox cubitum petiêre simul, nec tegminis ullæ
Detinuêre moræ, quo corpora nostra teguntur.
Conjunguntque latus lateri, nec Adamus ab Eva
Vertitur, aut cupidi se flectit ab ore mariti
Eva, nec amplexus refugit, nec connubialis
Facta arcana tori divinis congrua jussis.
Ite ergo, & verbis hypocritica turba severis
Fœdera legitimi veneranda incessite lecti,
Fœdera, quæ nostri quondam pepigêre parentes,
Cum vitam sine labe suam duxêre beati;
Fœdera, quæ Deus ipse probat, Deus ipse quibusdam
Imperat, atque aliis permittit libera cunctis.
Crescere nos jussit mundi Pater optimus: at quis
Abstinuisse jubet, nostræ nisi causa ruinæ,
Atque Dei, atque hominum pariter sævissimus hostis?
Salve pactus amor, sacra lex, & gentis origo
Humanæ, atque inter communia multa, duobus
Propria in auricomo Paradisi nobilis horto.
Auspice te fugiens alieni succuba lecti
Dira libido hominum tota de gente repulsa est.
Ac tantum gregibus pecudum ratione carentum
Imperat, & sine lege tori furibunda vagatur.
Auspice te quam jura probant, rectumque piumque,
Filius atque pater, fraterque innotuit; & quot
Vincula vicini sociarunt sanguinis à te
Nominibus didicêre suam distinguere gentem.
Absit, ut ipse tuas laudes ego dente maligno
Detererem, aut falsa sceleris te labe notarem,
Ceu sanctis minus apta locis tua jura fuissent.
Perpetuas fons delitias, & gaudia fundens,
Fœdera legitimi servans genialia lecti.
Sancta es lex, & eris, velut ante prioribus annis,
Nam

Nam te exempla probant veterum sanctissima Patrum,
Hic sua promit amor tela aurea, concitat ignes
Hic ferus ille suos, hic & velociter alas
Purpureas quatit, atque suum sibi vendicat unus
Imperium, & vacuâ regnans dominatur in aulâ.
At procul insanos meritricum ablegat amores
Ille, facesque suas à crimine vindicat isto,
Nullus ubi sincerus amor, nec pura voluptas:
Nec mixtas Choreas sexus utriusque frequentat,
Lascivosque greges juvenum lasciva sequentum
Agmina fæmineæ mediâ sub nocte catervæ.
Nec sedet ad rigidum fastosæ limen amicæ,
Quam sprevisse magis juvet, & fugisse relictam.
Hi duo compositi Philomelæ voce canoros
Eliciente modos, placido dant corpora somno,
Desuper alta rosas rigui laquearia tecti
Sanguineas largo imbre pluunt in nuda jacentum
Membra, sed alma novas rediens aurora reducit.
Par fœlix dormite, precor, dulcemque quietem
Carpite, fœlices, equidem, nisi sortis adeptæ
Vos pigeat, nisi mens nimium melioribus instet.
Vertitur interea Cœlum, & ruit Oceano nox
Ad medium scandens nigrantibus aera pennis.
At chorus Angelicus porta se emittit eburna,
Assuetaque armis stetit in radiantibus hora,
Noctis ut excubias agerent ad bella parati;
Cum Gabriel socium alloquitur sibi forte propinquum
Talibus: En tepidos vigilum pars tendit ad austros
Altera, & ad gelidum proficiscitur altera ventum:
Nostra autem Zephyros, roseique cubilia Phœbi
Turba petit. Varias tum fulminis ocyus alis
Mox rapuêre vias, clypeumque, hastamque gerentes.
Ex his ille duos validos, animique sagaces
Sevocat astantes propius sibi, talia mandans:
Ithuriel, volucrisque Zephon mox præpete penna
Hunc hortum lustrate, nec angulus ullus in illo

Prorſus inobſervatus erit: tamen hæc loca veſtris
Imprimis ſpeculanda oculis; cum conjuge caro
Uxor ubi ſomno poſita eſt ſecura pericli.
Venerat huc, Phœbo Heſperias properante ſub undas,
Angelus, infernæ furiam qui dixerat aulæ,
Huc celerare gradum, (quis talia credidit?) aſtris
Damna inferre parans, inferno carcere rupto.
Hanc ubicunque loci dederit ſeſe obvia prenſam
Attrahite huc, validaque manu perducite vinctam:
Hæc ubi dicta dedit nitidam ſuperantia Lunam
Agmina ducit ovans: aſt hi duo tendere greſſum,
Si reperire queant Paradiſi in mœnibus hoſtem,
Nec mora projectum inveniunt bufonis adinſtar
Admotum propius primævæ matris ad aurem,
Fæmineæ ſi qua ratione invadere poſſit
Organa phantaſiæ, veſanaque gignat in illis
Somnia, & in varias ſimulacra efficta figuras.
Inſpiretque nocens virus, piceumque per oſſa
Diſſipet, & medio ſpargat pulmone venenum,
Spiritibuſque ortis puro de ſanguine, lymphis
Ceu liquidis blanda aura fluit, contagia morbi
Ingerat: hinc trepidique metus, mœſtique timores,
Speſque leves oriantur & immoderata cupido,
Vectaque ſublimi furibunda ſuperbia penna.
Talibus intentum Ithuriel perſtrinxerat haſtæ
Cuſpide: nulla etenim fallax perdurat imago,
Corpore cœleſti ſimulatque attingitur uſquam,
Quin veram in ſpeciem redeat: tum protinus ille
Exilit attonitus propria redeunte figura.
Sic ubi ſulphureum ſcintilla attingit acervum
Parvula, ſepoſitum ſævi ad diſcrimina belli,
Flamma repente oritur ſubito fremebunda tumultu,
Sydera celſa petens ſtragemque dat undique vaſtam,
Haud aliter propriam recipit ferus ille figuram.
Obſtupuit retroque pedem cum voce repreſſit
Nobile par Cœlo genitum, Stygiique Tyranni

Agnoscunt faciem invisam atque immania membra.
Mox tamen impavidis animis ea verba dederunt.
Quisnam è spiritibus, magni quos Rector Olympi
Ob scelus atque nefas Stygio damnavit Averno,
Venisti huc falsa sub imagine, carcere rupto?
Cur his dum placidi potiuntur munere somni
Pervigil intendis laqueos sub nocte silenti?
Mene igitur, Satanas men', sævus & horridus ira,
Nostis? ait, meministis enim & memorare potestis,
Cum vestro longè grege celsior alta tenebam
Sublimi in solio residens, quo scandere vobis
Inferiore loco positis via nulla dabatur.
Queis si ignotus eram, certè hoc vos arguit ipsos
Ignotos, totamque infra subsidere turbam
Agminis ætherii: sin me mea prodit imago,
Quid manifesta opus est vanis inquirere verbis?
Ad quem sic verbis jactantem vana superbis
Talia voce Zephon, merita calefactus ab ira,
Rettulit: haud eadem perstat tibi forma, rebellis
Spiritus, ætherii qua quondam in culmine regni
Fulgebas, latéque jubar tua gloria sparsit
Conspicuum, atque oculos perstrinxit lumine cunctos.
Te tuus ille decor pulsa pietate reliquit,
Spendorisque tui jam gloria prisca perivit,
Et tua forma refert piceum caligine regnum.
Huc accede igitur, manicisque exporrige nostris
Brachia, mox etenim, nullo prohibente, traheris
Illius ante oculos nobis qui mœnia mundi
Crediderat tutanda novi, mundique colonos.
Flammeus hæc ales loquitur, fulgetque severus
In vultu juvenile decor; miranda venustas
Cum gravitate sedens in eadem fronte relucet:
Attonitus dæmon stetit agnovitque verendum
In bonitate decus: virtutis imagine pulchra
Astupet ille videns, intabescitque dolendo:
Haud tamen æquè aliud doluit, quam gloria formæ

Quod periit primæva suæ : tamen ore superbo
Sic ait : ergo mihi si jam certare necesse est
Cum meliore velim melior, cum principe princeps
Aut servis dominoque simul : sic gloria major
Vincenti adveniet, leviorve infamia victo.
Dixit, at intrepido voces tum reddidit illas
Ore Zephon, pavor ipse tuis nunc obstat, & horror
Viribus ; haud aliis opus est te astringere vinclis.
Nec tibi quid nostrum minimus te, perfide major,
Jam præstare manu valeat sentire necesse est.
Nil contra Satanas ; tumida sed fervidus ira
Instar equi sua fræna ferox spumantia mandens
Progreditur, Chalybemq; terens : pugnæque, fugæq;
Immemor ; æterni quoniam Regnator Olympi
Pectora nullum aliunde metum trepidantia frangit,
Jam Tartessiacæ propius vestigia metæ
Contulerant, ubi sancta cohors glomeratur in orbem,
Quæ modo dimidiæ referebat cornua Lunæ,
Imperiis intenta piis : tum maximus horum
A fronte altisono sermone silentia rumpens,
Talia dicta dedit Gabriel : Nunc, inquit, amici
Plantarum, ecce, meas volucrum sonus attigit aures,
Huc subito cursu properantum, apparet in umbra
Ithuriel, volucrisque Zephon, quibus additur unus
Regali incessu gradiens, sed splendor in illo
Languit. Ille truci vultu, incessuque videtur
Regifico princeps Stygii truculentus Averni ;
Hinc vix ille pedem referet, nisi prælia tentet :
State alacres, nam frons tetricis riget aspera rugis.
  Vix ea fatus erat, gemini mox, ecce, propinquant
Aligeri, narrantque duci, quem in vincla dedissent,
Et quibus invenere locis, nec non quibus illic
Intentum officiis, & qua sub imagine tectum.
Ad quem tum Gabriel torvâ sic voce profatur :
  Cur tibi præscriptas, Satana, transcendere metas
Ausus eras, nostræque irrumpere limina curæ
Credita ;

Credita; queis odio tua crimina, nec tua cordi est
Flagitiosa animis imitari facta malignis?
In te legitimum nobis jus, atque potestas
Traditur, atque tui causas inquirere cœpti,
Cur isthuc venias placidum violare soporem,
Fœlicesque novi dominos invadere mundi,
Quos Pater ille Deûm Paradisi in mœnia duxit.
Tum vero effatur Satanas ita fronte superba,
Ætherii Gabriel sapiens in culmine regni
Tu reputatus eras, & me quoque judice quondam,
Sed vox hæc tua me de te dubitare coegit,
An sapiens verè fueris: quem vivere cernis,
Cui sua pœna placet? quis non perrumperet Orcum
Si via regressus pateat, licet ætheris alti
Imperio Stygias fuerit damnatus ad umbras?
Ipse quidem haud dubiè faceres, sedemque doloris
A sensu vacuam multo sudore parares,
Sicubi fortè tibi liceat reperire quietem,
Proque dolore tuæ solatia dulcia vitæ.
Hoc ego quærebam hæc regio si fortè ministret.
Hæc ratio certè, fateor, tibi nulla videtur,
Cui bona nosse datur, verum intentata malorum est
Asperitas, tristisque animi tortura dolentis.
Illius an nobis est objicienda voluntas,
Qui nos Tartareo duris in carcere vinclis
Presserat, & Stygiis tenebrosâ in sede catenis?
Fortius infernæ premat ille repagula portæ,
Nigrantes habitare domos si cogere vellet.
Sic tibi responsum dedimus tam vana petenti.
Cætera vera quidem: qua me dixêre repertum
In regione, fui, fateor manifesta, repertus.
Vis tamen omnis abest, studiumque immane nocendi.
Ad quem subridens mista sic Angelus ira
Bellicus: Ergo tui merito jactura dolori est,
Scilicet ætheriis, judex O callide, regnis.
Stultitia qui lapsus eras à culmine Cœli:

Jamque tenebrosis rediens à carceris umbris
Hæres, an merito sapientum nomine dignos
Esse putes, qui te rogitant, insania mentem
Cur trahat ista tuam positas transcendere metas,
Et sine jure novi penetrare in mœnia mundi.
Tanta est visa tibi justam sapientia pœnam
Effugere, & meritos scelerum vitare dolores.
Quin fuge, pœna tibi fugienti atrocior instat
Præteritâ, multoque lues cum fœnore vanæ
Irrita cœpta fugæ, Stygias iterum actus ad undas,
Tum quoque cognosces tua quam sapientia longè
A vero errarit, divino æquando furori
Supplicium quodcunque pati cogaris acerbum.
Cur tamen hic solus? cur non etiam omnia tecum
Agmina Tartareæ pariter venêre catervæ?
An dolor his levior, minus aut fugiendus habetur?
Aut minus his tu ferre potes? fortissime ductor,
Ten' vitasse tuos primum fugiendo dolores?
Hæc tua causa fugæ sociis si nota fuisset,
Solus in ignotum haud fugeres nunc transfuga mundũ.
Ad quem tum Satanas vultuque & voce furoris
Indice verba refert; non, quod minus ipse dolorum
Ferre queam, tutasve petam fugiendo latebras;
Nunc mihi causa fuit Stygium perrumpere claustrum,
Nam tibi compertum est, insultans Angele, quantus
Surrexi in clypeum, quo turbine torserit hastam
Nostra manus, quantaque tuum virtute furorem
Reppulerim, in medio graviter resonantia bello
Auxilium venêre tuis ubi fulmina telis.
Irrita sed verba in vacuos volitantia ventos,
Quam sit inexpertum tibi cor, monstrare videntur,
Quid deceat post sæva ducem discrimina belli,
Post infœlicis remanentia vulnera pugnæ;
Non temere ignotis aciem deducere totam
Tramitibus, perque insidiis obsessa viarum.
Unicus ipse igitur nixus pernicibus alis,

Ipſe oram Stygii lego littoris, ipſe per orbem
Unicus erro novum, ſpeculorque & lumine luſtro,
Cujus ad infernas rumor penetraverat umbras :
Hic mihi nempe aliquam dabitur ſperare quietem
Forſan, & afflictas ſociorum hic figere turmas,
Aut fortaſſe aliquam medio vel in aëre ſedem
Mî ſociiſque meis reperire occaſio ſeſe
Offeret. Hac, licet, ut potiar, quid robore veſtro
Tu comiteſque tui valeant, tentare neceſſe eſt,
Queis levior longè labor eſt, ſuper æthera Regi
Inſervire ſuo, & ſerviles fundere cantus,
Illius & cadere ante pedes, non cernere ferro.
Olli magnanimo tum bellicus Angelus ore
Rettulit ; à primis cum poſteriora recedant
Dicta tuis : primum ſceleris vitare dolores
Nempe profeſſus eras : at poſt ſpeculator in orbem
Ire novum, non eſſe ducem tete ipſe fateris,
Sed veteratorem infidum, fraudiſque miniſtrum,
Deprenſum medio ſcelerum in molimine. Vah ! te,
Te, Satana malefide, fidem jactare ! ſacratum
Ah nomen fidei violatum hoc ore profano !
Cui tu fidus eras, niſi quæ tua terga rebellis
Turba ſecuta fuit, furiarum exercitus, aptum
Tam fœdo corpus capiti ? fuit ergo catervæ
Illa fides, fœduſque tuæ & venerabile pactum
Numinis ætherii ſanctas contemnere leges ?
O vafer impoſtor, qui nunc Patronus haberi
Libertatis aves, ecquis te impenſius uno
Omnibus obſequiis Regem veneratus Olympi
Ante fuit ? quia nempe thronum te invadere Cœli
Sperabas, ſuperiſque Deum detrudere regnis.
Illuc te, unde fuga exieras, refer : altera ſi te
Viderit hora ſacra poſt hanc in ſede latentem
Rurſus in infernum manibus poſt terga retortis
Tu referere lacum, firmiſque tenebere vinclis,
Ne nimis infirmas merito quererêris averni

Esse fores, pedibúsve tuis superabile limen,
Has dedit ore minas? Satanæ sed pectora nullis
Fracta fuêre minis: rabie stimulante regessit:
Angele limitibus vigilans, si fortè coactus
Colla tibi captiva dabo, tunc vincula jacta.
Sed prius (hanc animo spem concipe) robore fisum,
Te mea dextra premet victrix graviore ruina.
Quamlibet ipse tuis rex Cœli insederit alis,
Tuque tuique simul comites, servilia quorum
Colla addicta jugo, per stellis æthera sparsum
Flammiferas læta rapiant cervice quadrigas,
Victricesque rotas agitent super ardua mundi.
Hæc ubi dicta dabat, flammis ardescere cœpit
Gens Cœlo orta, suas acuitque in prælia turmas
Undique, & igniferis illum circumdedit hastis.
Ceu genialis ager flavis maturus aristis,
Undique barbatæ quatit alta cacumina sylvæ,
Quo validi trahit aura noti, timor anxius urit
Agricolam, ne fors paleam pro messe benigna
Colligat, & vacuæ baculis frangantur avenæ.
Parte alia Satanas collectis viribus ingens
Astiterat, vastique humeros transcendit Atlantis,
Inseruitque caput medio sublimis Olympo.
In crista sedet horror atrox, clypeumque gerebat,
Atque hastile manu: tristes paritura ruinas
Jam fera bella forent, nec tu modo sede revulsus,
O Paradise, fores: sed stelligeri quoque Cœli
Regia concideret, vel saltem elementa fuissent
In priscum reditura Chaos, violentibus horum
Flictibus: Ætherii nisi Rex æternus Olympi
Hanc pugnam ut dirimat, pendisset in æthere lancem
Igniferam; Astræam hæc inter, teloque minacem
Scorpion in Cœlo tacita se nocte videndam
Nunc quoque dat. Pater omnipotens ab origine mundi
Cuncta creata sibi pariter libravit in illa.
Pendulus ille globus terrarum, & pendulus aer
Hinc

Hinc ex adverso trutina simul omnia certa
Imperia, & rerum eventus, & prælia librant
Omnia. Fixit in his duo pondera, lubrica pugnæ
Eventa, & creperi casus dirimentia belli.
Altera pars hujus trutinæ volitavit in altum,
Contigeratque trabem, Gabrielque hoc talia viso
Spiritui dat verba malo: Tua robora novi,
O Satana, mea tu nôsti, quorum utraque non sunt
Nostra, sed hæc nobis fuerant data; cur juvat ergo
Viribus armorum, validaque tumescere dextra,
Cùm neque tu quidquam, nisi quod concedit Olympus,
Efficias, nec ego, quamvis tua robora possim
Sub pedibus terere, ut tellus calcata lutosis
Conteritur triviis, tibi si contendere vellem?
Si dubitas, oculos sursum erige, respice sortem,
Quam procul, ecce, tibi signum cœleste legendam
Exhibet: hæc trutina est, levitas ubi se tua prodit,
Et tua debilitas, si fortè resistere tentas.
Direxit Satanas oculos, & in alta levatam
Conspexit trutinam, nec plura: sed avolat illinc
Irato similis rauco cum murmure, & illum
Nox comitata fugit, piceis circumdata pennis.

Finis Libri Quarti.

Paradisus Amissus.

Liber Quintus.

FRigida jam Cœlo noctis decesserat umbra,
Cum ros in tenera pecori gratissimus herba est,
Et croceis Aurora rotis scandebat; Adamus
Protinus assüeta somnum discusserat hora
Aerium atq; levem; namq; hunc moderata vaporum
Temperies, stomachique aditus nullo obice clausi
Progenuere; fugit sopor hic, ubi sylva favoni
Sibilat afflatu tepidi, leviterque flabello
Alma Aurora suo virides circumsonat umbras.
Pictarumque greges volucrum super ardua sylvæ
Brachia mane novo modulos meditantur Eöos.
Tunc fugit ille sopor: magis hinc stupor occupat illũ,
Quod conjuncta suo lateri pulcherrima conjux
Stertit adhuc, turbata comas, infecta rubentes
Igne genas, placidi non sunt ea pignora somni;
Tum nixus cubito, vultu superimminet ejus
Vultibus, aspectuque animi penetrale benigno
Nudat, & internas manifestant lumina flammas,
Fæmineum admirata decus, cui mille lepores,
Seu vigilat, seu blanda quies submisit ocellos,
Adsunt perpetui comites; tum murmure blando
Ceu Zephyro Floræ in gremio resonante, susurrat;
Contrectansque manum leviter, pulcherrima, dixit,
Rumpe moras, exsurge toro, depelle soporem,
Ultima quæ nobis fueras data munere Cœli,

Ultima,

Ultima, sed longè tamen optima, dans nova semper
Gaudia, surge, pigrum subito depelle soporem.
Jam rubet Eöum radiis mare, & æthere ab alto
Aurora in roseis fulgescit lutea bigis.
Prataque rore novo ridentia corpora molli
Invitant relevare toro: cur optima lucis
Tempora jam patimur stupido torpescere somno?
Jam spectare juvat virides consurgere plantas,
Altaque pomiferam motare cacumina sylvam,
Et myrrham lachrymas, & balsama fundere cannam,
Terraque ut innumeros niteat vestita colores,
Sedulaque ut patulis apis undique colligat hortis
Ore favos, dulces sugens è flore liquores.
Excutit attonitæ somnum illud amabile murmur
Vocis, at illa virum stupefacto lumine cernit,
Amplexuque dato, verbis affatur amicis:
Unica curarum requies mihi dulcis, & unum
Præsidium, atque meæ decus & laus unica vitæ,
Quam lætè faciemque tuam, lucemque reversam
Conspicio? nam nox similis mihi nulla peracta est
Hesternæ: Sic visa meum, si visa fuerunt,
Terruerant animum diras referentia formas.
Antehac læta mihi sensus ludebat imago
Noctis, & ad lucem rediit imitamine dulci
Præteritam, Phœbive novum redeuntis Olympo
Antevolabat iter, prævertebatque labores,
Exhibuitve tuos vivo simulamine vultus.
At contra horrificis nocte hac simulacra figuris
Non mihi visa prius multo pallore videbam.
Nam quidam tenui mihi murmure dixit in aurem;
(Vox mihi visa tua est) oculis dulcissima rerum
Cur juvat Eva tuis pigrum indulgêre soporem.
Aspice, tempus adest quo non jucundius ullum,
Tempus adest, rapidum quod frigore mitigat æstum;
Quod taciturna quies placidis circumvolat alis
Undique, mellifluos nisi ubi Philomela susurros
Inge-

Ingeminat, cantuque ſuum ſolatur amorem
Oblectans tacitam jucundo murmure noctem.
Plenaque jam niveæ coierunt cornua Lunæ,
Cujus ad auratos radios, & pontus, & æther
Geſtit, & in tacitis exultant omnia terris.
En vigil innumeros Cœlum patefecit ocellos;
Quid niſi te ſolam ut videant, pulcherrima, mundi
Delicium, nam cuncta tuo ſplendore trahuntur.
Nec ſatiata tuæ tandem dulcedine formæ
Defixos revocare oculos, aut flectere poſſunt.
Surgo, ſequique tuæ videor mihi murmura vocis,
Te tamen haud uſquam invenio. Tum dirigo greſſum,
Si qua fortè oculis videam te occurrere noſtris:
Nec mora progredior, falſaque in imagine ſomni,
Incomitata viam teneo, quæ noſtra gubernans
Duxerat ad vetitum ſubito veſtigia lignum.
Quā pulchrū illud erat? Quin ſe quoq; pulchrius ipſo
Viſum eſt, atque novum veteri accumulâſſe decorem,
Qualem haud unquam habuit medii ſub lumine Phœbi.
Dumque moror, mirorq; ſitim haud ſaturata videndi,
Intentos volvens oculos, juxta aſtitit illic
Neſcio quis penna, facieque ſimillimus illis,
Quos ſæpe aſpicimus Cœlo huc volitare, miniſtris.
Huic madida ambroſiis ſtillabant tempora guttis.
Et ſua defigens in eodem lumina ligno,
Talia fatus erat: Planta O pulcherrima, pomis
Feſſa tuis, heu! nemo hominum tibi, nemo Deorum
Exonerare graves tam dulci pondere ramos
Auſus erat, guſtuque tuum tentare ſaporem?
Siccine ſpreta jacet veneranda ſcientia? livor,
Anne aliud fortaſſe magis livore malignum
Te tetigiſſe vetat? Quantum volet, hoc vetet alter,
Nemo dehinc poterit noſtræ conamina dextræ
Oblato prohibere bono: cur hic locus illi eſt?
Hoc dicto, impavida lignum intemerabile dextra
Mox ſpoliat, guſtatque ſimul; me frigidus horror
Occupat.

Occupat. Audaces terrent mea pectora voces,
Audaceſque manus, raptique injuria ligni.
Ille tamen contra ſpoliis lætatus iniquis
Talia fatus erat: Fructus divine, tuopte
Dulcis es ingenio; nunc te quoque dulcior ipſo,
Cum noſtrâ teneare manu. Prohiberis, opinor,
Tu ſolis quia digna Deis alimenta miniſtras,
Digna Deis, tamen apta hominum mortalia ſæcla
Æternis miſcere Deis: ſed honore Deorum
Humanum decorare genus, quæ cauſa vetandi eſt?
Creſcit enim fundendo bonum, ſeſeque propagat,
Autorique decus non detrahit inde, ſed addit.
Ergo age mirificæ, mulier, quæ munere formæ
Cœlituum genus exæquas, dulcedine mecum
Participa, mœſtumque fuga de corde timorem.
Es fœlix, tamen eſſe potes fœlicior; at non
Dignior eſſe potes; vetiti cape germina ligni
Et guſta, augebis numerum dea facta Deorum.
Nec tellus tibi carcer erit; ſæpe æmula noſtri
Aerium tentabis iter, ſæpe æthera ſcandes,
Æthera, digna tuæ merces quæ eſt unica formæ,
Ut vitam intueare Deûm, & dea vivere poſſis.
Hæc ubi dicta, mihi propior fit, & admovet ori
Protinus ille meo ſpoliato è germine partem;
Cujus odor tam corda mihi dulcedine palpat,
Inſtimulatque animum, tantaque cupidine noſtrum
Incitat, ut nequeam ſtomachi cohibere furorem,
Quin rapiamque manu, cupidéque in guttura condam.
Huic ego juncta comes mox ardua nubila ſcando,
Aeriaſque plagas: tum deſuper omnia cerno
Regna immenſa procul terrarum, & lumine luſtro.
Admirorque fugam celerem, melioraque vitæ
Reddita fata meæ: dux me tamen ille repente
Deſerit, ipſe cadens videor ſuccumbere ſomno.
Quam læta evigilo, quod non ea vera fuiſſent,
Quodque illuſa forem fallacis imagine ſomni.

Talibus

Talibus Eva refert exactæ insomnia noctis
Horrida, & attonitus tum talia reddit Adamus.
Dulcis imago mei, mihi me quoque carior ipso,
Non ea majorem pariunt tibi somnia curam
Quam mihi ; non animo arrident tam tristia nostro
Visa, à fonte malo ducentia, suspicor, ortum.
Hoc tamen unde malum? nam in te,quæ pura creata es,
Nil habitare mali potuit, nec ponere sedem.
Quid? quod in humanæ,memori hoc tibi mente tenendū
Regno animæ servile genus numerosa minorum (est
Turba facultatum residet, divinaque cunctas
Regia sceptra gerens ratio dominatur in illas.
Proxima sorte illi est, similesque affectat honores
Phantasia in cerebro residens vigil incola nostro,
Omnibus è rebus sensum afficientibus ullum
De quinque, aërias fingens imitamine formas
Accipit, has ratio jungens dirimensque vicissim,
Quodcunque asserimus format, quodcunque negamus
Quicquid perspicue notum est, vel opinio tantum est
Ambiguo subnixa gradu : dein illa recedit
In penetrale suum, quoties natura diurnis
Pressa ministeriis requiem somnumque reposcit.
Illa absente vigil sæpe illius æmula durat
Phantasia, & male conjunctis in imagine somni
Pectora deludit formis, quæque ante fuerunt,
Atque abiêre iterum veluti nova reddere gaudet
Temporis exacti, præsentis imagine pingens
Annos, hebdomadasque, dies, vel sæcula forsan :
Talia, credo, tui fuerant imitamina somni,
Gaudia, colloquii tibi vespertina peracti
Mendaci specie referentia, sed mala lætis
Quomodo se addiderant tam tristia ? tu tamen ægros
Pone metus. Mala per mentes hominumque Deûmq;
Dummodo spreta; viam faciunt sine crimine, tutò
Ire redire solent, maculamque aspergere nullam,
Nec reditus abitusque sui vestigia linquunt,

Hinc

Hinc mihi spes oritur, te, quod sub imagine somni
Horrueras, isto vigilem fore crimine puram,
Ergo repelle metus, nec nubibus obrue vultum,
Qui solet auroram aspectu simulare sereno,
Cum caput attollens nitidum super æquora ridet.
Surge, recentem alacri subeamus mente laborem
Per fontes, nemorumque umbras, floresque virentes,
Qui nunc Ambrosios, gelido modo vespere clausos,
Expandêre sinus, tibi nam sua dona reservant.
His pulchram alloquiis nuptam erigit, illa revixit,
Fudit utroque tamen tacitam de lumine guttam,
Abstersitque comis: geminæque iterum cataractis
Conspectæ in vitreis fuerant, quibus ille, priusquam
Deciderant, cupidis dedit oscula blanda labellis,
Ut quæ signa forent animi scelus omne paventis,
Quem pietatis amor trahit & reverentia Cœli.
Jamque serena redit facies; mox prata revisunt.
Ante tamen patuli sub opaco tegmine ligni,
Cum primum exierant in aperti lumina solis,
Qui roseas super arva rotas Neptunia vixdum
Extulit, æquorei perstringens summa profundi;
Dumque superficiem terræ superenatat omnem
Rorifluis latè radiis, fulgore corusco
Eöum omne solum, pulchramque retexit Edenis
Planitiem viridis cum floricomo Paradiso,
Innumeris undante bonis; procumbit uterque
Pronus humi, & sanctis precibus Cœli atria pulsat,
Quas prima exoriens aurora diemque reducens
Audiit usque novas: etenim nec copia vocum,
Nec gravitas deerat regali innixa cothurno,
Nec vigor & fervens animi sacer impetus alti.
Usque adeo, Autoris quoties celebrare volebant
Splendida facta sui, pedibus constricta fluebant
Verba, vel haud ullis numerorum obnoxia vinclis,
Suaviter, ut nihil his addant simul addita blandæ
Fila canora lyræ, & citharæ modulamina dulcis

O Pater Omnipotens tua dextra hæc omnia finxit,
Fons & origo boni: tua vaſti hæc machina mundi eſt
Tam ſpecioſa. Sed O quanto ſpecioſior ipſe es!
Laus tua verborum ſuperat præconia, celſi
Qui ſuper alta poli reſides Palatia, noſtri
Quæ fugiunt hebetantve oculi minus acris acumen.
Hic ima in regione etiam tua gloria fulget,
Hic bonitas latè radios tua clara refundit,
Atque invicta tuæ, rex magne, potentia dextræ.
Vos illi Angelicæ laudes, age, dicite turbæ
Agmina, ſyderei ſedes habitantia regni.
Hujus enim vultum aſpicitis, circumdatis hujus
Cantibus & choreis ſolium ſine fine verendum,
Lux ubi nocte carens, nec temporis obvia damnis;
Huic vos ergo poli ſuper aurea mœnia laudes
Dicite; & omniparæ cuncta hunc animalia terræ,
Hunc primū, hunc mediū, hunc ſummū, ſed fine carentē,
Concelebrate ſimul. Stellarum O heſpere princeps
Gloria, qui profugam ſequeris tardiſſimus umbram
Noctis, & è Cœli ſtatione noviſſimus exis;
Vel ſi luciferum potius te dicere par eſt,
Auroram quia luce tua circumfluis almam,
Venturumque diem ſigno prædicis aperto.
Lætus in orbe tuo reſidens hunc ſemper adora,
Lux ubi prima ſuos aperit gratiſſima vultus.
Tu quoque mundi oculus, vegetans animalia latè
Cuncta per innumeras, Phœbe O nitidiſſime, terras,
Huic tu cede minor, ſemperque hunc laudibus effer
Cum manè exoreris, medii faſtigia Cœli
Cum provectus equis ſuperas radiantibus, & cum
Præcipitem Oceani rubro lavis æquore currum.
Tu quoque cum ſtellis quæ nunc, vaga Cynthia, fixis
Orbe ſuo fugiente fugis veſtigia ſolis,
Nunc ſoli oſtendis niveum ſuper æthera vultum.
Et vos quinque aliæ Cœli radiantia flammæ
Regna vagæ variis dulci cum voce choræis

Aſſuetæ

Assuetæ peragrare, Deum laudate, tenebris
Qui lucem è mediis radiantem emergere jussit.
Vos simul, O aër, elementaque cætera natu
Maxima naturæ soboles, primo edita partu;
Quæ quia Tetradium innumeros agitatis in orbes
Perpetuum, innumeras variè coeuntia formas
Induitis, quæ dum pariunt perimuntque vicissim,
Ex aliis alias mutant reparantque figuras.
Concelebrate Deum meritis vos cantibus, ac vos
Dum sine fine novas toties pereundo figuras,
Sumitis, usque novas Autori dicite laudes.
Vos quoque nigrantes nebulæ & tenebrosa vaporum
Agmina, quæ à liquidis lacubus vel montibus altis
Sublimem volitatis in aëra, vellera donec
Vestra jubar rutilo igniferum decoraverit auro,
Aërii sursum volitate per ardua Cœli,
Ut merito mundi Dominum celebretis honore.
Surgitis, ut liquidam diversicoloribus æthram
Nubibus ornetis? caditis sitientia prata
Cœlesti ut recreetis aqua? surgentia magni
Concelebrate Dei, meritamque cadentia laudem.
Vos quoque diversum venti qui ducitis ortum
Quattuor à Cœli regionibus, illius altis
Vos laudes memorate sonis, levibusque susurris.
Aëriæ Pinus agitate cacumina, vosque
Plantarum omne genus Domini venerantia numen.
Fontesque fluviique omnes qui murmure blando,
Harmonicisque sonis vestram convolvitis undam,
Hunc vestris celebrate modis, huic dicite laudes:
Omnia visa simul mundi laudate Parentem;
Vos quæ syderei cantantes limen Olympi
Scanditis, aëriæ volucres, illius in alis
Gloria vecta volet vestris per inania, vestræ
Hinc sibi materiam sumant modulamina musæ.
Squamigerique greges per stagna liquentia cauda
Saltantes tremula; variisque animalia formis

Erectis pedibus solidam carpentia terram,
Reptiliumque humili per humum serpentia gressu
Sæcula, vel tremulos per humum volventia gyros.
Hunc, si quando meæ sint clausa repagula linguæ,
Aurora redeunte nova, redeuntibus umbris,
Hunc pariter celebrate uno ore canentia, laudes
Illius, & meritam pariter testantia famam
Montibus, aut umbris nemorum, vel vallibus imis,
Fontibus aut liquidis, quæ me dedicêre magistro
Voce sonare Deum, & sacros modularier hymnos.
O salve rerum dominus, tua munera semper
Magnifica das ampla manu, bonus atque benignus;
Si quid forte mali peperit nox, sive recondit,
Pelle, velut tenebras lux dispulit aurea nigras.
Has ubi voce preces à pectore crimine puro
Fuderunt, pax alma redit, solitumque serenum.
Tunc matutinos per agrestia rura labores
Roribus ætheriis & floribus undique blandis
Objectis repetunt, ubi luxuriantia sylvæ
Brachia pomiferæ manibus frænanda fuerunt
Falciferis, vitemve ulmo junxêre marito,
Ulmo, cui teneros circumplicat illa lacertos,
Nudaque adoptivis exornat robora botris,
Unde maritalem sibi demereatur amorem.
Huic operi intentos hominûm Divûmque perennis
Arbiter aspiciens Cœlo miseratus ab alto est.
Tunc Raphaelem alloquitur, ac talia mandat;
Spiritus hic sese comitem sociabilis olim
Tobiæ addiderat, cognatum ad limen eunti,
Atqui illi innocuo sociavit fœdere sponsam,
Sponsam, quæ antè fuit post inceptos hymenæos
Septenis sine concubitu nudata maritis.
Audisti quantos terræ in regione tumultus
Excierit Satanas medio in gremio Paradisi,
Elapsus stygii tenebrosa è sede Barathri.
Ut nocte hac miseris agitaverit ille figuris

Unum

Unum par hominum, ut ſtudeat violentus in illis
Humanum omne genus ſubita ſpoliare rapina.
I celer, & quocunque loco ſpectâris Adamum,
Sive ſub incertas Zephyris motantibus umbras,
Ut levet alma gravem requies, aut eſca laborem,
Sive antro potius ſucceſſit, amantibus illum
Affare alloquiis medii jam à tempore Phœbi,
Donec in Heſperium condat ſua lumina pontum.
Vita beata, tibi, qua ſi volet ille fruetur.
Materies ſermonis erit ; nam mortis ab atra
Cuſpide tutus aget longum fœliciter ævum,
Sponte volenſque ſuam ſibi ni paret ipſe ruinam,
Humano generi magna eſt conceſſa facultas,
Cœlitus aut miſerum ſeſe aut præſtare beatum.
Quando humana Deo facta eſt ſine labe voluntas,
Quæ tamen à recto ſe avertere tramite poſſit.
Ergo cavere hominem moneas, ne devius erret,
In foſſamque ruat male providus, atque periclum
Unde illi immineat, quam ſævus & horridus hoſtis
Jam paret inſidias Cœlo dejectus ab alto,
Ut trahat una ſui comites ſolatia damni.
Vis tamen omnis abeſt, nam vi foret illa repulſa,
Sed fraus atque doli latitant velut anguis in herba.
Hoc illum admoneas, ſceleris ne ſponte peracti
Nequitiam extenuet, ſi ſors monitore careret.
Hæc æternus ait genitor, cui gloria durat
Juſtitiæ immaculata ſuæ, nec ſegnius ales
Juſſa miniſter obit, rapidi ſed fulminis inſtar
Protinus aligeræ medio levis agmine turbæ
Exſilit, ille ubi tum ſimul in radiantibus alis
Aſtitit, atque celer medio volitavit Olympo.
Angelicæque viam ſecuit per millia gentis,
Donec ſyderei ſteterat prope limina templi.
Sponte ſua patuêre fores ſtridentibus auro
Cardinibus, magni artificis quos dextera finxit,
Nil opus autori, atque operi nil derogat autor.

Hinc nullo ſtellæ, nebulæ nullo obice claros
Impediente oculos, atomi licet inſtar habentem
Tellurem velut aſtra poli radiata micantem,
Conſpicit, & nitidum Paradiſi nobilis hortum,
Cedrorum aeriâ montana cacumina ſylvâ
Vincentem. Veluti Galilæo noctis in umbris
Per nitidum falſa ſpeculatur imagine vitrum
Regna, urbeſque, procul radiatæ in corpore lunæ.
Velivolæque ratis Rector ceu, Cycladas inter
Prima Samos, Deloſve caput cum oſtendere cœpit,
Vix multa exiguum terræ diſcernit in umbra.
Huc rapit ille fugam & liquidi per inania mundi
Vaſta orbes ſuperos medius volat inter, & imos
Ætherios petit inde polos, pronoque volatu
Aerium tranvit iter, dum devolet illuc
Quo fas altivolis aquilæ conſcendere pennis.
Illum non aliter volucres ſtupuêre volantem,
Quam cum de patrio redivivus funere Phœnix
Auroræ ad populos redit, & cunabula ſecum
Ipſe ſua & cineres patris inferiaſque decoris
Fert humeris, quacunque citis adremigat alis
Indigenæ comitantur aves, celebrantque canoro
Agmine. Jam clivo Paradiſi inſiſtit Eöo
Ales, & in propriam ſubito redit ille figuram
Flammeus, illius ſex alæ corpora velant,
Corpora divinæ decus aſſimulantia formæ,
Ex illis humeros geminæ luſêre per altos,
Pectoribuſque tenus vario jactante rotatu
Regificum finxêre decus: geminæque fluebant
Per medium, ceu ſydereis circumdata flammis
Zona poli cupidos trahit ad ſua lumina viſus.
Et femora & lumbos rutila lanugine pingunt,
Et quoſcunque alios miſcet pluvioſa colores
Iris, & occiduo radiantia nubila Phœbo.
Tum geminos gemina ala pedes ſplendoribus ornat
Igniferis, utrimque micantia fulgura jactans.

Ut Majâ genitus sibi qui talaria nectit
Aurea, quæ sublimem alis, sive æquora supra,
Seu terram rapido pariter cum flamine portant,
Sic stat, & ambrosias dulci vibramine pennas
Quassat, & ætherios latè undique fundit odores.
Mox illum agnoscunt meritis & honoribus ornant
Agmina cœlituum vigili in statione manentum;
Nam facile ille aliquid moliri creditur altum,
Ætherii jussu genitoris ab æthere lapsus,
Horum castra gradu celeri radiantia transit,
Jamque in fructiferi fœlicia jugera campi
Per densas myrrhæ lachrymas, per balsama, nardum,
Et casiam atque alias redolentes suaviter herbas,
Venerat, ambrosiumque nemus, patefecerat illic
Virgineos natura sinus, blandéque refudit
Ditia dona modo numeroque carentia certo,
Nec metas habuit largæ indulgentia dextræ.
Hunc per odoriferam propius jam accedere sylvam
Vidit Adamus, ut in gelidi consederat antri
Limine, dum Phœbus medii jam à culmine Cœlì
Spicula recta jacit cæcæque in viscera terræ
Rumpit iter, nimiosque æstus accendit, Adamo
Unde caloris adest plusquam sit habere necesse.
Evaque jam interea tecto interiore parabat,
Fructibus è variis, epulas, dulcedine gustum
Quæ traherent, lactisque sitim restinguere rivo,
Aut succo baccarum, aut pressæ sanguine vitis
Purpureo. Placidis quam tunc affatur Adamus
Vocibus; huc celerem, precor, Eva, huc dirige gressu;
Aspice, namque tuo veniunt spectacula visu
Digna per arboreas in Eöis partibus umbras.
Quam vultus, quam forma decens, & gressus eunti?
Quantus in ore vigor? rediviva Aurora videtur
In medium venisse diem. Fors æthere ab alto
Grande aliquid facturus adest, nostrosque penates
Hospitio sancire volet, tectoque minori

Angelicus succedet honos. Curre ocyus Euro,
Atque omnem depromę penum, cupidéque refunde
Quodcunque intus habes, dignosque appone paratus
Hospitis ætherii, quia nempe datoribus æquum est
Dona referre tuis, largaque rependere dextra
Quæ largè tribuêre tibi, natura minutas
Multiplicabit opes, spolio fœcundior ipso;
Ergo dapes animo decet accumulare benigno.
Eva refert, luteæ sacrata O fabrica massæ,
Atque afflata Deo, perpauca recondere claustris
Sufficit hic, nostros ubi germina semper ad usus
Tot generosa vigent gravidos onerantia caules:
Talia si tantum excipias quibus horrea prosunt
Clausa supervacuos sensim populantia succos.
Ergo ego poma manu rapiam omni ex arbore, nec non
Plantarum omne genus spolium portabo canistris,
Ac tanta Angelicum afficiam dulcedine gustum,
Ut documenta Dei nostris bonitatis in oris
Esse, ut in ætherio mihi confiteatur Olympo.
Hæc ubi dicta, alacri torsit vestigia vultu
Hospitiis intenta piis, quas afferat, & quo
Ordine delitias ne fors male juncta palato
Displiceant, sed amica juvet mixtura saporem.
Protinus aggreditur dulci spoliare rapina
Herbarum omne genus, nemorum genus omne virentū
Et fruticum: omniparæ quodcunque è viscere terræ
Nascitur, Eois ubi sol sese exserit undis,
Et qua diversas abiens se condit in undas,
Quaque dies medius flagrantibus æstuat horis,
Et qua bruma rigens ac nescia verè remitti,
Astringit Schythicum glaciali frigore pontum:
Quicquid & Alcinoi peperère virentia regna,
Quicquid corticibus lævis vel conditur aspris,
Vel crustis rigidis, siliquarum aut crinibus hirtis,
Cuncta hæc illa simul cumulum glomeravit in unum,
Imposuitque suis vectigal nobile mensis

Munifica

Munifica generosa manu: tunc exprimit uvis
Musta, sed innocuis capiti ferventia spumis.
Et varii varios nuclei baccæque liquores
Pressando ediderant, nec vasa his apta ferendis
Pulchra & pura aberant, tum straverat undique flores
Sanguineos, & aroma sua quod ab arbore raptum est
Nuper, & externa non perdidit aera terra;
Tum vetus ille Parens humanæ stirpis origo
Os humerosque Deum referentis imagine viva,
Hospitis advenientis iter prævertere tendit,
Atque illum hospitiis blande invitare paratis.
Non tamen hunc alius sequitur comitatus euntem,
Virtutum nisi sola cohors numerosa suarum,
Et decora ille in se circumtulit omnia solo:
At majora tamen, quam terga sequentia Regum
Agmina cornipedum rutilo radiata metallo,
Servorumque nitor similis, quos vulgus adorat
Attonitis inhians animis & lumine fixo.
Fit propius, terrorque licet servilis abesset,
Debita majori reverentia, conscia sortis
Inferioris adest, tum talia, vertice curvo,
Dicta dedit, Divûm sate sanguine, & edite Cœlo,
Digna etenim haud regio tanti fuit ulla decoris,
Æterni nisi regna poli, quando ætheris alto
Delapsus solio paulum dignare supernis
Emansisse locis, atque hanc invisere sedem.
Cum nobis etiam geminis dignere parumper,
Queis Pater ille Deum regna hæc spatiosa colenda
Tradiderat solis, illa requiescere in umbra
Dum calet, & medio sol est altissimus orbe,
Donec iter declive tenens obliqua retundat
Spicula, & æstiferam moderetur frigore flammam.
Cui sic ætherius placido responderat ore
Spiritus, hæc mihi causa fuit, cur astra relinquens
Huc veniam, haud equidem tali te condidit ore,
Nec tales habitare locos tibi Rector Olympi

Tradiderat, quin ſæpe choros dulcedine mira
Angelicos altaque ſatas ab origine gentes,
Te ſimul atque tuam illicias inviſere ſedem.
Duc age me, umbriferæ ſub opaca cacumina ſylvæ,
Nam mihi pro libitú medii jam à tempore Phœbi
Ire redire datur, dum fluctibus obruat axem.
Sylveſtrem ſubiêre domum, quæ efflabat odorem
Ambroſium, & blando florum vernabat amictu,
Cui, Pomona, tui nemoris quoque gloria cedit.
Eva bonis tantum propriis ſecumque creatis
Quæ nituit, nullumque trahens aliunde decorem,
Naiadas & virides facie tranſgreſſa Napæas,
Treſque deas quæ judicio, Pari, corpora quondam
Suppoſuêre tuo nemoroſæ in dulcibus Idæ
Vallibus; Ætherium ſtetit acceptura benigno
Convivam hoſpitio: non huic velamine vultus
Occultare opus eſt; mens immaculata pudori
Invia, nec ſubitas confundit purpura malas.
Angelus inquit ave, (poſt ſæcula longa beatæ
Quod repetit Mariæ, quæ verius Eva vocari
Promeruit.) Salve genitrix O fæmina gentis
Humanæ, turgens uterus tibi pondere vivo
Pignora multa dabit totum ſpargenda per orbem
Denſius, hanc variis quam poma cadentia lignis
Menſam onerare vides, viridi de ceſpite menſa eſt,
Et circum irriguo nituere ſedilia muſco:
Hinc inde autumni ſpoliis cumulatur opimis
Menſa, ſed autumnus pariter cum vere choræas
Jungebat ſocias: epulis alterna remiſcent
Verba ſuis, nullus timor eſt ne frigida fiant
Fercula. Tum noſtri generis ſic incipit autor:
Hoſpes ab ætheriis deſcendens aliger aſtris,
His epulis dignare tuum tergere palatum,
Quas nobis Deus ille boni fons unicus omnis,
Delitias lautas, alimentaque larga miniſtrans,
Juſſerat è terræ gremio conſurgere. Forſan

Talia

Talia ſpiritibus ſapiunt minus : attamen unum
Hoc ſcio, cœleſtis Pater omnibus omnia donat.
Flammeus ales ait, Ergo Pater ille benignus,
Cujus inextinctæ vigeant per ſæcula laudes,
Quod dedit humanæ ſoboli, quam afflaverat auræ
Particula ætheriæ, noſtris jucunda palatis
Hoc alimenta dabit : nam gens alimenta requirit
Nata polo, ceu nata ſolo terrena propago.
Spiritus Angelicus ratioque humana minorum
Cuncta facultatum ſimul in ſe munera præſtant.
Aure ſonos, atque ore cibos, & naribus auras,
Diſtinguuntque colorem oculis, & corpora tactu.
Et guſtant, guſtata coquunt, concocta reſolvunt,
Aſſimilantque & corporeis alimenta figuris
Prædita in ætheriam nôrunt convertere formam.
Quicquid ubiq; Dei dextra Omnipotente creatum eſt,
Omnia, quæque ſua poſcunt fulcirier eſca.
Sic undam æquoream terræ globus, aëra nutrit
Unda, ſed ætherios aer agitabilis orbes,
Ac primum niveæ longè infima corpora lunæ,
Unde etiam in vultu maculas perſæpe recentes
Contrahit, expurgatque ; iterumque offunditur illis,
Atque ſuperpoſitis etiam lunæ orbibus orbis
Exhalat vapidos riguo de viſcere fumos.
Sol quoque cuncta ſuo latè qui lumine luſtrat,
Undique de cunctis alimenta halantia rebus
Accipit, & liquidis epulatur nocte ſub undis.
Quamlibet in regno ſuperûm vitalia ligna
Fructibus ambroſiis onerentur, nectare vites,
Quamlibet Eöis nemoralia manè pruinis
Brachia ſparſa fluant, liquidiſque argentea gemmis
Undique ſubter humus niteat : tamen his Deus oris
Tot dextræ benefacta ſuæ cumulâſſe videtur,
Ut Cœlo ſuperiſque etiam contendere poſſint.
Ergo ne dubita, quin fercula veſtra palato
Sint placitura meo : Tum diſcubuêre ciboſque
Sumpſere

Sumpsere appositos ; nec tum sub imagine falsos
Illudente oculos epulas capit ille paratas
Angelus, ut reputat veterum pars magna sophorum
Fercula, sed verè tetigit, veréque recepit,
Atque recepta citò stomachi vigor igneus intus
Concoxit, vacuasque superflua spirat in auras.
Mirum ergo est Chymicæ si concita flamma favillæ
Vilia stanna potest rutilo mutare metallo,
Ceu vena egrediente sua ? jam intenta benignis
Eva ministeriis nudato corpore mensæ
Assistit, paterasque mero spumante coronat.
O pietas, O pura fides, O casta beatis
Fæmina digna locis, digna auricomo Paradiso.
Tunc soboles divina tibi, si quando, fuisset
Quod merito vetiti culpam extenuâsset amoris,
Fæmineæque decus foret excusatio formæ,
Verum impurus amor à cordibus exulat illis,
Queis erat inviolata fides, impervia curis
Zelotypis, Stygii quæ semper amantibus Orci
Instar habent, miserisque animos cruciatibus angunt.
Postquam epulis potuque modum satiata voluptas
Non onerata dedit, subito novus ardor Adamum
Occupat, & secum hæc animo, jam venerat ad nos,
Alloquioque suo nos est dignatus Olympi
Incola : nonne igitur rapienda est ansa rogandi
Quid genus Angelicum, superis quid fiat in oris,
Et quali hospitio Cœli in regione fruantur,
Quos hominum supra ire genus mirabile monstrat
Alta in fronte decus, validæque potentia dextræ ?
Tunc hoc cœlicolam aggreditur sermone ministrum :
Jam mihi perspectus favor est tuus, incola regni
Syderei, quo nos luteo de pulvere factos
Prosequeris, quoniam hos humiles intrare penates
Non piguit, nostræque cibos attingere mensæ,
Angelicis non digna choris alimonia, sed tu
Hæc tam fronte hilari capis ut non lætior unquam

Tu potuisse epulis videare accumbere divûm.
Quid tamen humanæ collata his fercula mensæ ?
Tunc hierarcha sacro sic aliger ore regessit :
O homo natus humo, meritoq; hinc nomine dictus,
Unicus Omnipotens Deus est, unde omnia primum
Orta fluunt, & quo rursum omnia versa recurrunt,
Ni scelerum spurcata notis : perfecta creantur,
Omnia, principioque simul ducuntur ab uno
Omnia in innumeras variè formata figuras,
Diversoque gradu, seu corpora nuda nec ulla
Sint donata anima, seu prædita lumine vitæ ;
Quoque Deo propius propiusque admota feruntur,
Hoc magis atque magis maculæ sordesque recedunt
Corporeæ donec perfecto temporis orbe
Longa dies labem exemit, purumque reduxit
Ætherium sensum atque aurai simplicis ignem.
Sic viridis caulis fluit à radice, comæque
A caule aëriæ, tum flos his purior auras
Fundit odoriferas, fructusque è floribus orti
Dant alimenta homini,gradibusque ascendere pergunt,
Ac se spiritibus primum vitalibus, inde
Post paulo insinuant animalibus, inde supernam
Ascendunt animi sedem, pariterque ministrant
Sensum, phantasiam, ingenium, cùm lumine vitæ :
Hinc anima ipsa trahit rationem, hæc aut videt uno
Objecta intuitu, aut variis discurrere gaudet
Actibus, & variis rimatur vera logismis.
Intuitus nobis superas habitantibus oras,
Discursus vobis terrenum habitantibus orbem,
Convenit, his eadem species, at non gradus idem est.
Quid mirum ? his epulis igitur si accumbere digner
Ipse, nec ætherio vobis donata recusem
Munere, sed pariter lætus conviva recumbam
Vobiscum, dapibusque libens ego vescar eisdem,
Forsan tempus erit populo cum vos quoque misti
Angelico Angelicæ capietis fercula mensæ,

Non

Non tenuata nimis ſtomachoque incongrua veſtro,
Veſtraque corporeo forſan de fomite tandem
Corpora longa dies divinæ vertet in auræ
Particulas, penniſque ut nos ſuper ardua ſcandent
Ætheriis, ac vos ſi fert ita corde voluntas,
Aut hic aut ſuperis habitabitis in Paradiſis,
Si modo divinis facilem præbebitis aurem
imperiis, firmumque Dei ſervetis amorem
Gens prognata Deo, interea quæ gaudia præbet
Sors præſens animis pariter vos carpite lætis.
Cui Pater humani generis tum talibus infit:
Ominibus delapſe bonis, O aliger hoſpes
Tu bene monſtrâſti qua rite ſcientia nobis
Sit quærenda via, à centro ſcalam erigis imo ad
Summa Peripheriæ, qua mens aſcendat ad altum
Noſtra Deum, fabricæ gradibus ſubnixa creatæ.
Cur tamen iſta, precor, fuit addita cautio, ſi vos
Morigeros præbere juvet? num ſpernere leges
Poſſumus, aut meritum illius reſtinguere amorem,
Qui nobis luteo terræ de pulvere factis,
Hic habitare dedit, ubi gaudia mille redundant,
Mille voluptates humanique omnia voti.
Flammifer ales ad hæc: Adhibe mihi ſedulus aurem
O ſoboles Cœli atque ſoli, tibi ſponte beato
Eſſe Deus tribuit, magnique hoc munus Olympi eſt,
Tu vero ipſe tibi tribuis remanere beatum
Obſequium præſtando pium, ne hanc neglige curam,
Hæc erat illa tibi data cautio, tu memor eſto;
Integer atque bonus divinæ munere dextræ
Factus eras, at non tamen immutabilis, ipſi
Tu tibi das perſtare bonum, aut de tramite recto
Averſos flexiſſe gradus, prout ipſa voluntas
Sponte legit, vel ſponte fugit, non ulla aliena
Vis dominatur in hanc, nec ineluctabile fatum.
Servitium quod ſuadet amor, non ille coactum
Poſtulat: hoc ſancto nequit arridere parenti
Ætheris:

Ætheris: Ecquo etenim, niſi libertate fruantur
Pectora, ſcire datur, ſponte, anne coacta capeſſant
Juſſa Dei, ſi vincla trahunt fatalia mentem
Vi valida, nec jure ſuo permittitur uti,
Sed circum rigidis agitur captiva capiſtris?
Nos quoque divini fruimur qui lumine vultus,
In ſoliis poſiti ſuper aurea mœnia Cœli,
Pro libitu ſtamus cadimuſve, hinc ipſe beatos
Inter cœlicolas purus ſine crimine perſto;
Hinc ſtatione ſua multi cecidere relicta,
E cœlo cecidêre, (ah quam gravis illa ruina eſt!)
In Stygis infernæ tenebras, inamabile regnum.
Cui magnus noſter proavus; Tua verba per aurem
Gratius inſonuêre meam, Cœlo edite doctor,
Quam cum Seraphice modulamina dulcia muſæ
Nocte per oppoſitos reſonant geminantia montes,
Non ignarus eram nullis conſtricta catenis
Facta voluntatemque trahi, ſed libera naſci.
Sponte, ſed imperiis (ſic ſtat ſententia) ſacris
Autoris mea colla mei ſubmittere pergam,
Juſtitiæ qui fræna regit; tamen horrida in alto
Prælia geſta polo, veſtræ pars magna catervæ,
Cum ſimul auſa fuit magno pugnare Tonanti,
Cum pariter poſitis jam ſtabat in agmine caſtris,
Infeſtaque manu tulit arma rebellia, cogunt
Viribus indubitare meis; tamen hinc mihi major
Pectora tangit amor caſus cognoſcere tantos,
Satanicique gregis miſerandam audire ruinam.
Incipe, namque potes ſeriem deſcribere pugnæ
Terrificam, ſævaſque vices evolvere belli,
Quo tot contigerant, quæ jure audita requirant
Attentumq; animum & tacitam ſine murmure linguā:
Mille ſtupenda oculis animoque objecta fuerunt;
Multum en! reſtat adhuc Phœbo peragrare diei;
Vix medium tranſivit iter, vix flexit habenas
Culmine ab ætherii declivi tramite regni.

Talibus

Talibus ille rogat Raphaelem, ast ille rogatus
Talibus ora modis post parva silentia solvit.
O hominum primæve, jubes tentare laborem
Difficilem, nam qua ratione ingentia facta
Spirituum humanis impervia visibus edam
Vocibus humanæ captum haud superantibus auris?
Quomodo cœlituum tristes narrando ruinas,
Qui modo fulgebant rutilo radiantius auro,
Dum stabant Regno incolumes, inhibere dolorem
Sustineam, lachrymisque modum præscribere justis?
Quomodo nunc mundi reserabo arcana latentis
Quæ forsan reserare nefas? tamen utile saltem
Hoc fas esse facit: ergo superantia sensus
Humanos adeo claris lustrabo figuris,
Atque ita corporibus tenues sine corpore vitas
Componam, ut veras æquent imitamine formas.
Quod si forte etiam tellus Cœli umbra vocanda est,
Et quæcunque tenet gremio Cœlum undique vasto
His parit ingenio formaque simillima tellus,
Hæc licet humanis lateant incognita terris?
Nondum hic mundus erat, namque hic ubi lucida Cœli
Sydera perpetuos semper volvuntur in orbes,
Terraque fixa tenet stabilem per sæcula sedem,
Quondam immane Chaos vacuo regnabat inani.
Quodam fortè die (longo nam includitur ævo (est
Tempus,at adjunctū est ubi motibus, omne quod usquā
Præsens, præteritum numerat, numeratque futurum)
Illo nempe die, qui magnum inceperat annum
Cœlorum, Empyricæ super aurea sydera turbæ
Imperio jussuque sacro vasto agmine junctæ
Omni à parte poli simul ad regale Tribunal
Æterni Regis superûm venêre vocatæ.
Densas explicuêre acies turmasque curules,
Sub duce quamque suo, millenaque millia latè
Signorum in vacuo radiant volitantia Cœlo,
Et passim vexilla micantia fulgura jactant,

In mediisque agitant sinuosa volumina turmis,
Primis posteriora atque anteriora supremis.
Distinguuntque gradus varios ex ordine honorum,
Aut gremio depicta gerunt celeberrima facta
Spirituum, quos magnus amor zelusque coronat.
Jamque ubi constiterant vastos super orbibus orbes
Implicitos, Genitor, cujus residebat in alto
Filius ipse sinu, proles æquæva parenti
Inter cœlicolas medius de culmine fatur,
Ignivomo, rapidæ nimio quod lumine flammæ
Obtuderat spectantum oculos, ac talibus infit:
Audite Angelicæ, soboles sata lumine, turmæ,
Jura, magistratusque, throni, sanctique senatus,
Atque potestates aliæ super æthera dictæ
Nominibus variis, variaque in sede locatæ,
Audite, atque animis dicta hæc mea figite vestris.
Hoc mihi decretum est nullis violabile sæclis:
Hunc hodie genui, merito quoque nomine dixi
Hunc natum unigenam, super hoc ego culmine sacro
Huic Regem esse dedi, sacroque hunc rore perunxi,
Quem vos aspicitis nostræ se adjungere dextræ:
Hunc vobis caput esse volo, Regemque per ævum.
Per memet, quo non alius sublimior ullus,
Sic ego juravi: Cœlorum exercitus omnis
Numen adorabit prono venerabile vultu
Illius, & supplex Dominum testabitur illum.
Unus sceptra geret, cunctis dominabitur unus,
Unius imperiis cuncti sine fine vigebunt
Uniti, ac anima una suis viget indita membris,
Perpetuumque trahent læti fœliciter ævum.
Illius aversam imperiis qui denegat aurem,
Sub pedibus mea jura premit, mea fœdera rumpit,
Nec mora divini procul iste à lumine vultus
Pulsus, & horrificas Erebi detrusus in umbras,
Æternam sine fine luet per sæcula pœnam.
Sic ait Omnipotens, vultuque his vocibus omnis
Turba

Turba quidem, sed non animo consenserat omnis,
Hunc festum de more diem radiantia circum
Culmina traducunt choreis cum carmine mistis,
Mirandis choreis, quas alta hæc sphæra planetis
Septem errata vagis, atque undique consita stellis,
Assimulat, varios alternans orbibus orbes,
Erroresque imitata vagos, tamen ordine certo.
Hos pater ipse Deûm mira dulcedine captus
Harmonicos audire sonos & carmina gestit.
Vesper adest (nobis etiam sua tempora vesper
Observat, vicibusque suis aurora recurrit.)
Protinus à choreis ad fercula dulcia læti,
Sicut erant junctis manuum certò ordine gyris,
Prosiliunt, positæ ridebant undique mensæ
Ambrosiis epulis, gemmæque, aurumque cavatum
Nectareo fluxêre mero cœlestibus uvis
Expresso, & nullis cerebrum furiante venenis.
Jamque cibo, vinoque, famem posuere sitimque,
Rege vidente suo, cunctis qui munera lætâ
Distribuit cumulata manu, gaudensque ministrat.
Et nox fusca sacro nebulas à monte trahebat
Ambrosias, à monte sacro, qui lucis & umbræ est
Principium, & vultum immutat radiantis Olympi
Obducens pallore diem, Cœlique per oras
Sparsit inocciduam comitata crepuscula lucem.
(Nulla etenim nox huc nigrioribus advolat alis.)
Roriferæque tenens bigæ moderamina, somno
Lumina cuncta parat, nisi somno impervia magni
Lumina sacra Dei. Super aurea sydera latè
Planities immensa jacet, terræque rotundæ
Exsuperat longè spatiis latera ardua vastis.
Hic Divûm genitor radiata palatia fixit,
Hic circum sua castra locant radiantia turbæ
Agmina seraphicæ, salientia flumina propter,
Ligra salutiferos inter parientia fœtus,
Ac subito erexere sibi tentoria, ponti

Ionii numero fluctus superantia vasto.
Hic placidam somno positi carpsere quietem,
Quos super afflavit tepidi levis aura favoni.
Hos omnes sopor unus habet, tantum una manebant
Pars vigiles, regemque poli sub nocte canebant,
Alternisque Dei solium cinxêre camœnis.
At non sic vigilat Satanas; hoc nempe meretur
Nomen abhinc; nullum huic aliud super æthera nomen
Restat. In angelicis primus fuit ille catervis,
Aut certè à primo minimùm distabat, honore
Eximio decoratus erat, splendore refulsit
Conspicuo, & validæ pollebat robore dextræ.
Sed tamen ardebat furiis livoris iniqui,
Et natum æternum æterni genitoris amaris
Despuit ille odiis, illa quem luce creator
Cunctorum ante oculos miro dignatus honore est:
Et regem esse dedit, Messiam nomine dicens.
Hoc Satanam stimulis agitata superbia sævis
Non patitur spectare oculis, fulgorem alienum
Offudisse sibi densas putat ille tenebras.
Jamque odiis, iraque tumens, ubi pallida fuscas
Nox moderata rotas medio volitabat Olympo,
Confirmans placidos per opaca silentia somnos,
Ille suis cinctus legionibus, undique magnum
Sede movere Deum, & superis detrudere regnis,
Sub pedibusque Dei solium calcare parabat.
Tum somnum excutiens, socio sibi sorte propinquo
Talia voce refert; leviterque susurrat in aurem,
Care comes, potes hoc sub casu ducere somnos?
Aut tibi blanda quies poterat subrepere, noctis
Præteritæ si mente memor decreta revolvas
Tristia, quæ exciderant ore omnipotentis Olympi?
Me tibi, teque mihi, nôsti penetralia mentis
Nudare, & tacitos solitum recludere sensus.
Unum ambo vigiles fuimus, discrimina blandus

An dedit ulla sopor? jam sunt nova condita jura,
Ipse vides; igitur merito nova jura Regentis
Res agitare novas populum compellere possunt,
Conciliumque vocare novum de rebus habendum
Ambiguis; nondum tamen omnia pandere tutum est,
Quæ tacita sub mente latent: tu collige cunctos
Myriadum, quæ ad nostra solent concurrere signa,
Ductores, magnique Jovæ dic poscere numen,
Me cunctosque simul mea qui vexilla sequuntur
Ante sub obscuræ depulsa crepuscula noctis
Præcipitem gelidæ glacialia regna sub Ursæ
Prædia nostra, mora posita, contendere cursum,
Ut regem hospitiis nostrum accipiamus amicis
Messiam ingentem, nobis nova jura daturum,
Namque venire parat, Cœlique per omnia regna
Ducere magnificos, condens nova jura, triumphos.
Talia dicta dedit mendaci Archangelus ore,
Nequitiamque suam in socii male provida corda
Insinuat, qui ut jussus erat, glomeravit in unum
Sub ditione sua cunctos qui sceptra gerebant,
Post, alium vocat, inde alium, narrataque narrat.
Hæc mandata dedit magni Dominator Olympi,
Este parati animis, & iter præsumite, tempus
Jam vigilare vocat, signum regale movendum est
Pallentem ante polo quam nox dimoverit umbram.
Confictasque refert causas, factisque pudendis,
Vocibus ambiguis speciem prætendit honestam,
Integritas ut prima cadat, certóve patescat
An perduret adhuc nulla labefacta procella.
Nec mora, consuetis pariter parere libenter
Imperiis, signoque dato, concurrere, magni
Rectoris Dominique sui: nam nomen habebat
Magnum, & syderei stetit alto in culmine regni.
Luciferum, qui sydereas de nocte catervas
Antevolat, sed mane polo tardissimus exit,

Assimulans vultu nitido pellexerat illos;
Gentis & Angelicæ pars tertia, principe Cœli
Deserto, hunc sequitur, falsis male credula verbis.
Interea æterni lumen penetrabile regis,
Quod solet arcanos animi discernere sensus,
Prospiciens à monte sacro, mediisque lucernis
De nocte accensis, rutilo radiantibus auro;
Quanquam his non egeat, cæcos instare tumultus
Viderat, & fraudes & operta tumescere bella;
Viderat unde malum fluat hoc. Tot quomodo natos
Auroræ simul inficiat; quot millia in unum
Sint pariter collecta suis obsistere jussis.
Ac sic subridens sedato pectore natum
Unigenam alloquitur, Mea vis, mea, nate, potestas,
In quo vera mei vivensque elucet imago,
Jam tentare opus est magno discrimine, num sit
Nostra manus verè omnipotens, numenque vetustum
Imperiumque queat valido defendere nixu:
Tam furibundus enim, tam sævus & horridus hostis
Imminet, & nostro solium sibi cogitat æquum
Erigere Arctoæ glacialia regna per Ursæ;
Nec contentus eo, nobis contendere bello
Ille parat, jurique resistere robore tentat.
Jam consulto opus est, jam sævo instante periclo.
Quicquid militiæ superest, cogamus in unum,
Ut nos, terribili, si fas, tueamur ab hoste,
Ne premat incautos, subitoque relinquere cogat
Sublime hoc solium, cellique sacraria montis.
Filius ergo patri vultu divina sereno
Fulgura projiciens, nec dictu effabile lumen,
Rettulit, O Genitor, merito furor hosticus & vis
Sunt tibi ludibrio, & stolidi molimina belli,
Inflatosque animos securo pectore rides.
Hinc decus hinc fulget mihi gloria, nam furor horum
Me claro radiare facit fulgore coruscum,

Cum regale mihi detur jus, atque poteſtas
Sternere, proſtratos & debellare ſuperbos ;
Tum ſciet hoſtis atrox noſtra an domitare rebelles
Dextera ſufficiat, quicunque inſurgere tentant,
An ſit in ætherio tenuis mihi gloria regno.
Interea Satanas celer advolat, omnia ducens
Agmina, noctivagas numero referentia ſtellas,
Aut matutini radiantia ſydera roris,
Queis Sol manè comas nemorum, atque roſaria pingit.
Regna peragrârunt ingentia, quæ Seraphini
Imperioque poteſtates tenuere, thronique
In triplicem diſtincta gradum, regna ampla, quibus ſi
Hoc tuum, Adame, paras componere, non minus illis
Hoc erit, ac tota Paradiſi eſt area terra,
Oceanique minor terram cingentibus undis.
Hæc ubi tranſierant, Arctoi in limina regni
Tandem deveniunt, ſoliumque in monte ſuperbum
Conſcendit Satanas, monte, unde volumina flammæ
Denſa volant, turrim ac vaſtas qui in vertice portat
Pyramidas, quaſi mons monti ſuperadditus eſſet,
Turrim ac Pyramidas fœtis Adamante cavernis
Exciſas, rutilo & ſaxis pallentibus auro,
Magni Luciferi palatia ; namque ita dici
Hæc ſtructura poteſt humana interprete lingua.
Cui breve poſt tempus (cupiens æquare perennem
Laude Deum, & celebres montis flammantis honores,
Quem ſuper audierat, tota ſpectante caterva
Cœlitum, honorifico Meſſiam nomine dictum.)
Nomen habere dedit, factum ad comitia montem.
Namque huc ille ſuæ mox agmina cuncta catervæ
Agglomerare jubet pariter, quaſi ſcilicet illuc
Juſſus ad hoſpitium regi foret ire parandum.
Sceptra, magiſtratuſque, throni, diademata, reges,
Si modo non tantum titulo tenus illa ſuperſunt
Nomina : lege nova quoniam ſimul omnia ſolus

Alter habet, tenebras regali nomine densas
Omnibus offundens, pro quo jam rumpere somnos
Nocte jubemur, & huc pariter concurrere, sed quæ
Causa venire fuit, nisi consultare vicissim,
Qua ratione novis titulis, & honoribus illum
Dignemur, nobis venientem ut turpe tributum
Flexorum accipiat genuum, cunctique superbos
Illius ante pedes jaceamus vile scabellum?
Quis ferat? hoc uni nimium cum & vendicet alter,
Ejus imago novo qui nunc est nomine dictus.
Quod si consiliis locus est melioribus ullus,
Quæ doceant servile jugum depellere? vosne
Libera colla jugo dabitis? flexisque cadetis
Suppliciter genibus, cœlestis origine proles?
Haud equidem, si vos bene novi, & si bene nôstis
Vos ipsos, O æthereo gens edita Cœlo,
Libera servitiis, nullique addicta magistro.
Et quanquam haud cunctis est æqua potentia, cunctis
Libertas tamen æqua manet, pulcherrima rerum
Libertas minimè ordinibus, gradibusque repugnans,
Sed bene conveniens in eadem sede moratur.
Quomodo in æquales igitur jus arrogat alter?
Queis si forte minor decor est, viresque minores,
Competit æqua tamen libertas omnibus una.
Unde huic illa datur nobis dare jura potestas,
Qui sine jure boni sequimur rectique tenorem?
Et quo prætextu imperium sibi vendicat in nos,
Seque ut adoremus prostrati in pulvere poscit,
Neglecto imperii titulo, qui ad regna creatos
Nos moderanda probat, non vero ad triste ferendum
Servili cervice jugum? sic spiritus atrox
Nondum ullo prohibente refert: tunc unicus horum
Abdiel, quo non alius parere parenti
Promptior ætherio, zeloque ardentior, iram
Dissimulare nequit, sed fulmine sævius ardens,

Impavido hos dedit ore sonos, scelerata refutans
Consilia; ah falsis blasphema superbia verbis
Prodita, quæ ætherii non ulla audire putabat
Auris in arce poli, multo minus illud ab ore
Speratum est, male grate, tuo, cui Regis Olympi
Dextra benigna alios inter caput extulit omnes.
Ah túne ausus eras votum inviolabile justi
Juratum ore Dei diris convellere dictis?
Hæc etenim unigenæ confirmans fœdera nato
Talia dicta dedit medio sublimis Olympo:
Omnis in ætheriis supplex cadet incola regnis
Illius ante pedes, regemque fatebitur illum.
Injustum hoc, (rabidæ vah! dira procacia linguæ!)
Dicis, erat, rigidis constringere libera vinclis
Pectora, & æquævis unum præponere cunctis,
Imperiumque uni in cunctos sine fine tenendum
Tradere; Túne etiam leges præscribis Olympo?
Túne etiam ausus eris de libertatis honestæ,
Improbe, limitibus superûm contendere regi?
Qui dedit esse tibi, dedit omnibus esse catervis
Cœlicolûm, & certas vetuit transcendere metas.
At nos ipsa tamen docet experientia, quam sit
Ille bonus, nostrique boni quam tempore in omni
Providus, atque etiam nostri studiosus honoris.
Haudquaquam ille gradu nos inferiore locavit
Lege nova, sed nos propius sibi rege sub uno
Admovet. Esto tamen vis dira & sæva tyrannis,
Æquævum æquævis dominarier omnibus unum,
Tu licet insigni niteas fulgore coruscus,
In Cœloque habeas magnum & memorabile nomen,
Hunc tu æquare potes? vel si foret omnis in unum
Cœlituum conversa cohors æquabitur illi?
Quē Pater Omnipotens genuit, per quē omnia tanquā
Verbum ex ore suo veniens, & te quoque finxit,
Cunctaque Seraphicæ pariter radiantia turbæ
Agmina,

Agmina, queis ingens decus addidit, & simul illis
Nomina ferre dedit gradibus non absona, reges
Atque potestates, diademata, sceptra, thronosque,
Virtutesque, nec hoc minimis sub rege tenebris
Obscurata latent, quin clarius inde refulgent.
Quippe caput nostrum nostro quoque dicitur unus
E numero; illius lex nostra est. Quicquid honoris
Huic præstatur, honor venit inde & gloria nobis,
Ergo furore animum malesano averte malignum,
Neve hos flagitii socios tibi jungere tenta,
Mox natum placare para, placare parentem,
Nam veniæ spes restat adhuc, si in tempore poscas.
Talia ferventi sacer Angelus ore, sed ejus
Vocibus haud unus fuit astipulatus in omni
Concilio; hunc reputant intempestiva loquendo
Errare, aut stolida solum temeraria lingua
Fundere; quo viso lætatus Apostata gestit,
Atque hæc addiderat verbis responsa superbis,
Nos fabricam esse refers primæva ab origine, natus
Quam sibi commissam quondam à genitore creavit.
Quinam hoc dogma recens & quo didicere magistro?
Quo teste id factum esse probas? memoríne recurrit
Tempus idipsum animo, quo te tuus ille creator
Condidit? haud equidem tempus cognoscimus ullum
Quo fuimus minus ac sumus ipsi à semine nostro
Progeniti, à nullo trahimus natalia: verum
Postquam fatalem complessent temporis orbem
Sydera continuo sua per vestigia gyro,
Lumina nativa & vitales hausimus auras,
Sydereo stirps orta polo, nata æthere proles.
Nos vi pollemus propria, nativaque dextræ
Robora monstrabunt ingentibus inclyta factis,
Sítne aliquis virtute pari: tum vero patebit,
An nobis animus divinum supplice vultu
Circùm ambire thronum, an contra fulgentibus armis?

Quamprimum ergo novo refer hæc mea dicta tyranno,
Et fuge ne tibi damna fugam improvisa morentur.
Dixit, & applaudunt vastæ simul omnia turbæ
Agmina, & æquoreos imitantur murmure fluctus.
Nec minus impavido tum flammeus ore regessit
Angelus, infestis licet hostibus undique cinctus,
O aliene Deo, maledicte O spiritus, omni
O aliene bono, miserandam instare ruinam
Prospicio tibi cum sociis à crimine eodem
Infectis, scelerisque tui contagia, pœnis
Participare tuis pariter tot millia cogunt;
Messiæ meditando jugum depellere sacrum,
Teque, tuosque simul studiis quid inanibus angis?
Nam decretum aliud de te pater ætheris ingens
Destinat: instat atrox, & ineluctabile fatum.
Aurea virga tibi spreta est, quæ ferrea tandem
Reddita te in cineres rediget frangendo minutas,
Tu fugiendo meæ me consuluisse saluti
Rite mones, fateor, scelerataque linquere castra,
Nequitiaque infecta tua tentoria, quamvis
Nec monitis, nec terga minis mea vertere cogas:
Sed metuo, ne mox sceleri quæ debita vestro est,
Ira vagas jaciat nullo discrimine flammas,
Si me his repperit castris fortasse morantem.
Nam tibi, crede mihi, pœna imminet horrida, tu mox
Fulminea feriere manu, feriere trisulcis
Ignibus, atque tuo disces cognoscere damno
Quæ dederit, rursusque datam tibi tollere vitam
Dextra queat. Sic ille pio sacer ore regessit
Angelus Abdiel, fidus qui manserat unus,
Unus in infidis tot millibus undique nullis,
Blanditiis, nulloque metu nec fraude subactus;
Sed semper veterem zelum, veteremque reservat
Ille fidem, & veterem minime labefactus amorem.
Non numerus, non prava domant exempla tenacem
Propositi,

Propoſiti, rectóve pedes à tramite vertunt.
Quamlibet unus erat tot ab hoſtibus undique cinctus.
Tum cito peſtiferas inimica per agmina turmas
Longinquam ſecat ille viam, & ludibria victor
Hoſtica paſſus erat nulla formidine tactus;
Tergaque tranſiliens vultu ridente retorſit
Scommata Scōmatibus penſans, populumq; ſuperbum,
Atque gigantæam fugit ocyor alite turbam,
Queis gravis ætheriæ tempeſtas imminet iræ.

Finis Libri Quinti.

Para-

Paradiſus Amiſſus.

Liber Sextus.

FLammeus obſcuræ per opaca ſilentia noctis
Aliger in vaſto latè exſpatiatur Olympo,
Impavidus, nulloque fugam retinente cucurrit,
Donec, nocte ſuas iterum repetente latebras,
Puniceis invecta rotis aurora redivit,
Et lucis roſea reſeravit limina dextra.
Antrum immane, Dei ſolio quod proximat alto
In monte ætherio eſt, lux hic pariterque tenebræ
Exurgunt, fugiunt, redeunt, abeuntque viciſſim.
Atque hinc pandit iter ſibi lux remeabilis, illinc
Nox oritur, fuſciſque polum circumvolat alis :
Quanquā hæc nox potius merſi modo tempora Phœbi
Ambigua aſſimulet veſtram antevolantia noctem.
Jam fax clara caput primo tollebat Eöo,
Angelicum fax ſueta diem revocare, fugamque
Arripuit nox impatiens attollere vultus
Adverſum auratis-radiis hyperiona cinctum,
Obſcurumque ſuæ redit in penetrale cavernæ :
Planities cum immenſa poli circumdata turmis
Flammiferis rutiliſque rotis, rutiliſque catervis
Cornipedum attonitos reduci ſtupefecit ocellos.
Bella videt, ſtructaſque acies, notumque, quod ipſe
Credidit eſſe novum, reperit, tunc mox mediis ſe
Millibus inſinuat, lætis quem vocibus omnes
Accipiunt, altoque ſimul clamore ſalutant,

Gaviſi

Gavisi innumero solus quod ab agmine solus
Tutus abit, tantique fugit discrimina damni.
Tunc illum pariter plausu fremituque secundo
Ducunt sacratum ad montem, sistuntque supremum
Ante thronum, vox unde sonat mitissima nube
E mediis rutili radiis ardente metalli.
Macte pia virtute, Deo fidissime, bella
Qui faustè meliora geris, verique Patronus
Ausus es innumeris te solum opponere turmis,
Armaque victrici superâsti hostilia verbo:
Et veri tibi suasit amor ludibria turbæ
Spernere Satanicæ graviora ferocibus armis.
Hæc tibi cura fuit superûm te sistere Regi
Innocuum, cum obsessus eras hostilibus armis.
Jam tibi jure igitur levior victoria restat
Cum tot amicorum numero cingare, triumpho
Majore ut redeas iterum quam spretus abibas.
Vique domare queas sua qui rationis habenis
Et recti dare colla negant, regemque recusant
Messiam, ætherii cui sunt moderamina sceptri
Tradita: vade, age, Michael, cui subdita tota est
Ætherii gens sancta poli, & tu proximus illi
Viribus armorum Gabriel, nunc, omine fausto,
Hos in bella meos victricia ducite natos,
Ducite jam armiferæ bella in victricia turbæ
Millia, Myriadasque, hostique exercitus omnis
Ante expectatum positis stet in agmine castris.
Nec numero inferior pugnæ nec honore rebellis
Agminibus populi; flamma atque hostilibus armis
Hos age præcipitate, altique ex ætheris oris
Trudite divini procul almo à lumine vultus
In Stygii loca mœsta vadi, loca digna scelestis.
Horrificum Styx, ecce, chaos bibitura rebelles
Pandit, & igniferi reseravit claustra barathri.
Hæc ubi syderei Genitorque & Rector Olympi
Dicta dedit, totum tenebris involvere montem

Fumi-

Fumiferæ incipiunt nebulæ, piceoque vapore
Mixta volant rapidæ finuofa volumina flammæ.
Signaque certa ferunt divinum ardere furorem.
Nec minus horrendo ftrepuerunt cornua cantu,
Terrificofque dedere fonos quibus excita Cœli
Agmina in innumeras, unito robore, turmas
Compofitæ incipiunt tacito procedere greffu,
Altifona refonante tuba, belloque feroces
Accendente animos, ducibus qui in prælia Divis
Præcipitant, pronique in aperta pericula currunt,
Meffiam fuperique thronum defendere regni.
Non bene compofitas montes, non flumina turmas
Obvia perfringunt medium dirimentia nexum;
Non nemus umbriferum, anguftæve injuria vallis.
Non etenim tetigere folum, fed in ardua tendunt,
Et levia aerii portant veftigia campi.
Pennigeræ ceu quando fimul longo ordine turmæ
Aeriam fecuêre plagam, junctæque nitentis
Jam fuper Edenis frondofa cacumina, dum tu
Nomine quamque fuo volucrem fignare parabas
Duxere altivolum fua per veftigia gyrum.
Sic fuper innumeros tractus, & regna feruntur,
Tellurem hanc fpatio decies fuperantia vafto.
Tandem qua in Borean, arctofque immenfus Horizon
Vergit inocciduas, regio fe oftendere cœpit
Ignea, bellorumque minis horrere videtur.
Aft ubi fit propius galeæ en fulgore corufcant
Innumeræ, ftrictifque feges mucronibus horret
Flammea, denfanturque ardentia fcuta fuperbis,
Quæ tumor infanus depinxerat, argumentis.
Turba hæc dira, ducem Satanam quæ fponte fecuta eft
Ardenti furibunda animo: nam hoc tempore fperant
Robore five dolo divinum invadere montem,
Atque in fede Dei dirum ftatuiffe tyrannum,
In quem fyderei vanis moderamina fceptri,
Auxiliis transferre parant molimine victi

In medio; quanquam populis hæc maxima noſtris
Cauſa ſtuporis erat novitatis imagine captis.
Ergone jam angelicis contendunt agmina turmis
Angelica? infeſtiſque juvat concurrere dextris,
Qui toties ſoliti fuerant celebrare perennem
Unanimes uno ore patrem? ſed claſſica belli
Horrificis fremuere ſonis, flictuque fragorem
Arma dedêre gravem, & curas pepulêre minores.
Hic medius ſociæ ſceleratus apoſtata turbæ,
Flammifero in curru Phœbi referente nitorem,
Conſidet, æternique patris ſibi poſcit honorem;
(Simia dira Dei) flammantibus undique turmis,
Undique cinctus erat, clypeiſque micantibus auro.
Deſiluit radiante throno; parvum æquore campi
Jam ſupereſt ſpatium in medio nos inter & illos,
Horrendoque duas acies ſecat intervallo,
Comminus adverſis quæ frontibus ordine longo
Aſtiterant, bellumque manu, cædemque minantur.
Pulveream nubem, & florentes ære catervas
Præcedit Satanas, veſtigia vaſta ſuperbis
Paſſibus ille levat, adamante armatus & auro.
Non tulit hanc ſpeciem furiata mente beatus
Abdiel; Heroum in medio ſtans agmine, factis
Magnificis intentus erat, laudique parandæ,
Atque ita magnanimis animi penetralia verbis
Detegit: O Cœlum! huic tantum ſupereſſe nitorem?
Tam ſimilem hunc fulgere Deo, qui fœdera ſpernit,
Juraque ſancta Dei? Cur vis ibi vivida nondum
Deperiit, virtus ubi deficit, inque ruinam
Præcipitata cadit, ſævo licet horrida viſu
Terrificet, vultumque trahat rugoſa ſeverum;
Hujus ego, innixus divinæ robore dextræ,
Robora jam experiar, cujus modo pectora vanis
Sunt miſerè deluſa umbris, & imagine falſa;
Nam cui contigerat victricis gloria veri,
Hunc ipſum armorum quoq; vincere viribus æquū eſt,
Atque

Atque utroque parem ferre in certamine palmam.
Cum brutis tunc res agitur, vis effera quando
Cum ſana ratione manum committere tentat,
Sed ratio ipſa docet ſibi vim ſi quando rebellet
Debere indomito victam ſuccumbere telo.
Talia mente agitans heroüm ex agmine denſo
Extulit ille pedem, venientique obvius hoſti,
Hoſti indignanti ſibi quemquam occurrere, ſeſe
Præbet, & increpitans verbis affatur amaris.
Túne ſuperbe venis? jam ſpes tibi vana ſpopondit,
Nullo inhibente nefas, numen venerabile Cœli
Ætherióque throno & ſuperis detrudere regnis;
Æternoque patri circumdata millia dextra
Aut ſubigenda tua, aut linguæ terrore minacis
Præcipitem raptura fugam, quantum O tua cæcæ
Pectora noctis habent, ſuperûm qui obſiſtere Regi
Bello armiſque paras, ſtolidáque laceſſere pugna,
Qui minimis rerum potuit dare ſternere victos
Te comiteſque tuos, longoque obſidere bello,
Et ſine fine animum tibi debellare ſuperbum?
Aut nullo ſocias vires adhibente, vel uno,
Uno te ille ſuæ potuiſſet vulnere dextræ
Deſtruere, & tenebras ſubito tua pellere ad imas
Agmina? nunc tamen, ecce vides, non tota ſecuta eſt
Angelici te turba chori, pars maxima primâ
In pietate manet; mentemque à crimine puram
Continet illa, tuos licet illo tempore viſus
Fugerit, ipſe tuis cum diſſentire videbar
Millibus unus ego, ſociiſque errare ſine ullis,
Jam manifeſta patet ſociorum turba meorum,
Jam te hoc nónne docet damnum irreparabile, paucos
Rectum poſſe ſequi, multos ubi faſcinat error?
Cui ſic hoſtis atrox oculo tranſverſa tuenti
Rettulit; Infauſto tibi, ſed mihi ſæpe petito
Tempore, quem primum optabam, primumq; petebã,
Qui modo terga dabas, nunc ſeditioſe rediſti
Aliger,

Aliger, ut referas dignam pro crimine pœnam.
Exemploque tuo notum dabis, improbe, dextræ
Robora quanta meæ, merita cum accenditur ira.
Nam prima ante alias omnes tua lingua verendo
Concilio obſtrepuit, magnorum ubi tertia divûm
Pars glomerata fuit, pariterque coivit in unum.
Dum ſua læſa parant juſto defendere bello
Numina, divinus qui cum vigor omnibus inſit,
Omnipotentem alium jactant ſe agnoſcere nullum.
Sed bene præcedis ſocios auferre trophæum
Mî cupiens, aliique in te præludia cernent
Exitii manifeſta ſui; præfarier æquum
Hæc erat ante tubas, & vana retundere verba,
Ne ſi nunc maneam tacita ſine murmure lingua
Inſultes tumidus melioris imagine cauſæ.
Libertas cœlumque ſimul cœleſtibus æquè
Spiritibus commune bonum eſt, ſic mente putabam:
At nunc, ut video, multis ignavia ſuadet
Subdere colla jugo, ſerviliſque ocia pacis
Amplecti, atque epulis choreiſque impendere vitam.
Aptat in arma manus tecum cithariſtria Cœli
Turba ſuas, populoque gerunt cum principe bellum,
Qui ſua ſponte jugo dederant ſervilia colla.
Facta utriuſque hodie dicta hæc mea vera probabunt.
Tunc hos magnanimo meritam ſtimulatus in iram
Abdiel ore ſonos vultu minitante profatur.
O ſcelerate Deo ſequeris qui vana relicto,
Nunc, velut ante, ſcopo procul erras, nec tibi finem
Errandi ſtatuiſſe potes, jam à tramite veri
Devius, immerito vili tu nomine damnas
Servitii, ſervire Deus naturaque rerum
Quem tibi præpoſuit, Deus & natura jubendo
Conſpirant, eademque ſimul mandata miniſtrant,
Cum ſibi ſuppoſitis præſtat, qui fræna capeſſit
Imperii, at ſtolido collum ſubmittere, & illi
Qui ſibi rejecit domini melioris habenas

Perfidus

Perfidus, ut tibi jam ſervit tua turba rebellis,
Servitium hoc vocitare decet: nec tu tamen ipſe
Libertate tua frueris, tibi ſcilicet ipſi
Mancipium ſervile manes, licet ore ſuperbo,
Improbe, ſervitii falſo nos crimine damnes.
Tu tibi Tartarei capias moderamina regni;
Me ſervire Deo Superorum in ſede beato,
Imperiiſque Dei ſanctis parere juvabit,
Imperiis, quæ morigero ſunt unica tantum,
Unica digna animo; tamen in Styge vincula ſpera,
Non regna; interea fugitivi, ut tu modo dixti,
Denuo jam reducis recidivi in prælia belli,
Hæc tibi dona ſuper rigidam reſonantia criſtam.
  Talia dicta dedit, dextramque attollit in altum,
Quæ, mora nulla, adeo ſubita delapſa procella eſt,
Sublimem in Satanæ criſtam, ut nec motus ocelli
Aut animi levior, nedum anticipare ruinam
Hanc clypeo queat ille ſuo: vaſtiſque repulſus
Paſſibus ille decem eſt; decimum jam poplite flexo
Suſtinet haſta gravis: veluti tellure ſub alta,
Si venti aut fluvii ſuperas erumpere ad auras
Luctentur, montemque ſua de ſede revellant;
Frondiferumque caput media jam parte voretur
Vorticis ore novi: Stygios tunc obruit ingens
Ira, ſtuporque thronos, ſed vicerat ira ſtuporem,
Sic regem cecidiſſe ſuum indignata: ſed ingens
Agmina noſtra trahit, perculſo corde, voluptas,
Lætitiaque fremunt, animoſque ad ſydera tollunt,
Quod bona ſigna vident, venturæque omina palmæ,
Atque ardore novo rapti jam in bella ruebant.
Tunc Archangelico ſtimulare in prælia cornu
Michael jubet ore ſacro, clangoribus altis
Immenſum ſpatium vaſti reſonabat Olympi.
Cunctaque ſancta ſuo pariter plaudentia Regi
Agmina lætificis geminant Hoſanna triumphis.
Nec quaſi mentis inops ſtetit, aut minus acriter altos

Elidit

Edidit ore sonos populi gens dira rebellis.
Ira ferox, laxisque furor bacchatus habenis,
Qualis in ætherio non ante auditus Olympo est,
Infremuêre, armisque arma obluctata sonorem
Ingeminant, currusque rota crepitante resultant
Flammiferi, totumque ingens fragor æthera complet:
Desuper igniferis volitantibus undique telis
Sibilat aura, cavas incurvo fornice flammas
Supra utramque aciem (dictu res horrida) librans.
Ignea concurrunt, ducibusque, & viribus æquis,
Agmina & indomitis animis, flictuque tremendum
Sæpe dedêre sonum, & sævos acuêre furores.
Regia vasta poli resonat, si tempore in illo
Terra creata foret, centrum rapuisset ad imum
Præcipitem tremefacta fugam. Nam justa tremendi
Causa fuit, cum seraphicæ tot millia turbæ
Infestis coiêre animis, quorum unicus ullus
Hæc elementa queat valido versare rotatu,
Et dicto citius vastæ vibramine dextræ
Horum in bella simul totas effundere vires,
At quanto levius poterant hinc comminus, atque hinc
Agmina tot, rigido numerum superantia ferro
Dum coeunt, trepido pacem exagitare tumultu,
Nativamque domum, si non rescindere, saltem
Terrificis turbare modis, sed ab ætheris arce
Omnipotens hæc cuncta videns ingentia eorum
Robora propositas vetuit transcendere metas.
Quamlibet usque adeo, numeroque, & robore vasto
Agmina tanta forent, legionum ut quæque videri
Per se jure queant ingens exercitus, atque
Quæque armata manus legio queat esse videri.
Ductores habuêre suos, sed quilibet horum
Ductor visus erat, frontique assistere belli
Dignus, ad oppositas aciem procedere turmas
Tempore quo expediat, quo gressum sistere gnarus,
Nec non quo belli vires inflectere; nec non

Stuppea flamma manu quando, atque votatile ferrum
Eminus intorquenda, & comminus ensibus enses
Miscendi, manibusque manus & corpore corpus,
Nemo fugam rapuit, pulsusve in terga recessit,
Pignora nemo dedit timidam prodentia mentem,
Quisque suas partes agit acriter, ac sibi soli
Pugnet, & in se uno vertatur gloria belli.
Inclyta facta quidem, longamque merentia famam
Contigerant, sed quæ numero comprendere non est;
Nam bellum hoc latè sparsum est, variéq; peractū est,
Quippe solo stantes solido nunc bella gerebant,
Nunc altum levibus scandentes aera pennis
Conseruêre manus, rapidis tunc ignibus aer
Undique visus erat sævam committere pugnam.
Pendebatque diu belli fortuna, diuque
Inter utrumque volat dubiis victoria pennis;
Dum Satanas illo qui tempore pignora magnæ
Virtutis manifesta dedit, nondum obvius ulli
Laude pari passim ruit, & per tela, per enses
Infestos volitans dignum sibi postulat hostem.
Tandem prospexit gladium qua parte tremendum
Michael agitans uno tota agmina nixu
Dejiciat, manibus quoniam librata duabus
Ferri acies latè stragem dedit, atque per hostes
Rumpit iter gestitque viam fecisse ruina.
Huic obstare igitur celer, advolat ille ruinæ
Ingentem objiciens clypei multiplicis orbem
Factum Adamante; videt venientem Archangelus &
Destitit incœptum belli exercere laborem, (mox
Atque intestino jam finem imponere bello
Spem capiens, domito sceleratæ principe turbæ
Aut in vincla dato, manibus post terga retortis,
Flammatos volvens oculos, ita farier infit.

O sceleris primæve Parens, quod te ante rebellem
Ignotum genti ætheriæ sine nomine mansit,
Nunc vero exundat, veluti jam hæc tristia facta,

Atque

Atque exosa probant, cunctis exosa, sed ipsi
Jure tibi, sociisque tuis paritura ruinam.
Quomodo cœlestis turbasti fœdera pacis,
Naturamque malis oneras, quæ nulla fuerunt,
Perfidiose, tuæ prima ante exordia culpæ?
Quomodo flagitii Angelicæ tot millia gentis
Participes facis esse tui? fidi ante fuerunt,
Nunc veterem rupêre fidem: cur, pessime, frustra
Hac regione paras sanctam turbare quietem.
Cœlum ex ore suo te jam exspuit, haud tua Cœlum
Impia facta probat, dextræque incœpta rebellis.
Hinc fuge, teque malum soboles tua jure sequatur,
Te comitesque tuos sceleratæ examina turbæ
In stygiam, loca mille malis obsessa, paludem.
Illic pestiferi, non hic, fere crimina belli,
Aut mox ense meo feriere, aut altera celso
Mox vindicta polo celeri delapsa volatu
Te graviore premet miserandæ strage ruinæ.
Hæc ubi dicta dedit princeps Archangelus, illi
Rettulit hostis atrox stygii dominator averni.
Cur tu verberibus nequeas cum vincere, verbis
Aeriis me posse putas terrere minando?
Quem tu horū ex minimis fugitivū obvertere tergum?
Aut quem tu cecidisse facis, nisi sponte resurgat
Indomitus, nullaque animum formidine fractus?
Mene igitur solo vultus horrore minacis,
Imperiose, tui, rigidisque repellere dictis,
Spe vana, tumefacte, putas? non sic dirimenda est
Lis scelerata tibi quæ dicitur, at mihi contra
Agminibusque meis justi tutamen honoris,
Quem nobis animus forti defendere bello;
Aut Cœlum hoc Stygii faciet ne fabula stagni
Vana sit: hic dabitur saltem si regna negantur
Libertate frui, interea jam contrahe quicquid
Sive animis, sive arte vales, & nomine dictus
Omnipotens te nunc juvet auxiliaribus armis,

Incipe siqua animo virtus, & confere dextram :
Nec quenquam horremus, nec Divûm parcimus ulli :
Mille errore vias ego te quærendo replebam.
Hæc ubi dicta, truci pugnæ se accingit uterque,
Mirificumque parant vix dictu effabile bellum.
Ecquis enim angelicâ solvat licet ora loquelâ,
Hoc verbis monstrare potest, & imagine mundi
Humani humanos longè superantia sensus
Indigitare homini divinæ proxima dextræ
Robora ? nam seu stare loco, seu tendere gressum
Incipiant vasta membrorum mole potentes
Assimulare Deos, vultuque armisque videntur,
Mercedemque sui Cœlum expectare laboris.
Jamque rotant enses, ducuntque per aera gyros
Terribiles, clypeisque micantia lumina jactant,
Ingentem clypeis Phœbi referentibus orbem,
Dum spes ambiguè trepidans alternat, & horror ;
Discessêre loco medii, spatiumque dedêre
Cætera turba, ubi se densis stipata catervis
Contulerant, rapiuntq; fugam,campumq; relinquunt,
Ne sævo noceat procul ultra vulnera nixu
Libratæ gravis aura manus : componere magnis
Si tibi parva libet, rupto sic fœdere mundi
Corrueret natura simul traheretque ruinam,
Sydera syderibus, si jam confligere bello,
Sed tamen hæc inter nixu graviore planetas
Aspiceres geminos medio concurrere Cœlo,
Horrificoque suos orbes miscere tumultu.
Astitit in digitos extemplo arrectus uterque,
Brachiaque ad superas interritus extulit auras ;
Nec furto alteruter melior, nec fortibus armis
Visus, at horribilem sanctus rotat Angelus ensem,
Ensem huc usque Dei penetrali in sede repostum,
Ensem, quem Pater omnipotens ita finxerat, illi
Ut nec dura queant, nec acuta resistere, & ensem
Adversum Satanæ media tum parte recidit,
Impete

Impete declivi veniens, nec desinit, at mox
Hinc volat, & subito dextrum latus illius ictu
Trajicit, hic primum Satanas sentire dolorem
Incepit, frendensque suo se in vulnere versat.
Tam gravis angelicæ medium diviserat illum
Plaga manus, at mox iterum coalescit in unum
Utraque pars, nempe ætherio quia semine nata est,
At vastum interea specus atri vulneris undam
Nectaream, qualem cœlestia corpora manant,
Evomit, & sparso latè rigat arma cruore,
Arma nitore oculos antehac rapientia cunctos:
Huic autem sociæ pariter mille agmina turbæ
Auxilium latura ruunt, variéque ministrant.
Pars assurgentis dextræ, plagamque ferentis
Angelicæ subeunt mucronem, ipsumque morando
Sustinuêre, alii junctis umbonibus illum
In currum retulêre suum procul æquore campi
Belligeras gestante acies: hic ille repôstus
Dentibus infrendens recubaverat, æstuat ingens
Imo in corde pudor, mistoque insania luctu,
Et furiis, iraque ferox sibi conscia virtus,
Cum dejecta sui videat jam lumina fastus,
Angelicæque aliquem sibi posse obsistere turbæ,
Qui nuper sibi visus erat virtute perennem
Æquiparare Deum, validaque haud cedere dextra,
At citò convaluit, Cœlo edita namque propago
Omnia membra gerens pariter vitalia (non ut
Gens humana, quibus tantum est vitale jecur, ren,
Corque, caputque) alii nequeunt succumbere morti,
In nihilum nisi fortè manus divina reducat.
Nec magis illorum in liquidâ compage licebit
Figere, quam in vacuo lethalia vulnera Cœlo.
Toti pectus erant, aures & lumina toti,
Mens quoque erant toti, ac sensus, quemcunq; colorem,
Et quamcunque sibi voluêre assumere formam,
Seu densa hæc, seu rara fuit, vertuntur in illam.

Parte alia interea ſimilem Gabrielis honorem
Facta merent, rapidique aciem ferit ille Molochi,
Qui ſæpe auſus erat verbis jactare ſuperbis,
Poſtque ſuas minitatus erat raptare quadrigas.
Sed neque peſtiferæ furibunda opprobria linguæ
In regem dominumque Poli vomuiſſe pudebat.
Mox tamen in medium ſublimi à vertice ventrem
Vulnere trajecto, fractiſque ferocibus armis
Effugit iſte boans cum luctiſono ululatu.
Hinc Uriel atque hinc Raphael ſacer Angelus hoſtes,
Induti arma licet fuerint adamantina, vincunt.
Hic Aſmodæum proſtravit, hic Adramelecum,
Ambos magnificos reges & numinis ambos
Spretores, dedicêre tamen deponere faſtus
Vulnus ubi thoraca ſimul cum pectore rupit.
Nec ſteterat curæ vacuus, bellique laborum
Abdiel, in Stygias generoſa mente catervas
Inſilit, & bis ter repetito vulnere vaſtum
Stravit Arielem, & comitem dedit huic Ariocum,
Et Ramielem etiam rabido fervore furentem.
Multa quidem Angelicæ promptū eſt mihi millia turbæ
Dicere, & his etiam in terris per ſæcula famæ
Altiſona æternare tuba : ſed ſancta piorum
Spirituum ſat habent Cœli clareſcere in oris
Turba, nec in voto eſt hominum ſe oſtendere genti.
Altera turba quidem rigidi non inſcia Martis,
Multaque præſtiterant valida facta inclyta dextra,
Nec minor eſt his laudis amor, ſed ab æthere celſo
Cum merito in piceas Deus hos detruſerit umbras,
Hic pariter ſine honore jacent, ſine laude ſepulti.
Vis etenim veri niſi ſit comes, & niſi recto
Tramite carpit iter, maculas tantum illa meretur,
Infameſque notas, ignominiamque pudendam ;
Quæ tamen haud ceſſat titulis inhiare ſuperbis,
Et famæ ſibi quærit iter per dedecus ingens,
Ergo perpetui tenebris tumulentur in orci.

Et jam peſtiferæ primi langueſcere turbæ
Incipiunt, victique ſuis diffidere dextris;
Converſique ſuo per tinctos ſanguine campos
Huc illuc ſine lege ruunt, paſſim arma cruenta
Sparſa jacent, paſſim laceri veſtigia currus,
Disjectæque rotæ paſſim, aurigæque ſupini
Inter lora rotaſque, gravi & ſuper ungula pulſu
Incita, nec Domini memorum proculcat equorum.
Si quis humi nondum proſternitur, æger, anhelans
Cogitur ire retro, ac turpi ſua terga dederunt
Agmina cuncta fuga, Satanæo ſubdita ſceptro.
Nec jam ſtare loco aut hoſti concurrere, nec jam
Ulterius poterant belli tolerare labores
Exhauſti, trepidaque animos formidine fracti.
Tum primum noſtri gentem videre rebellem,
Turbatam, trepidaque animos formidine fractam,
Quæ ſcelerum eſt ſoboles, etenim dum pura manebat,
Ante fugæ, ante metus fuit, ante ignara dolorum.
Contra ſancta acies, rigidis impervia telis,
Tuta & firma ſtetit, violataque vulnere nullo:
Hæc pietatis erat merces animique fidelis.
Nullo feſſa jacet belli luctamine, nullo
Vulnere fixa, loco hoſtili licet impete quondam
Mota, tamen nunquam eſt ullis obnoxia damnis.
Jam nox pallentes iterum revocaverat umbras,
Perque polum ſpargens latebroſa crepuſcula, dulces
Intulit inducias belli intervalla ſonori,
Nocturna pariter taciti jacuêre ſub umbra
Victores ſimul & victi, campoque Michael
In medio Angelicis circumdatus undique turmis
Confidens, vigiles varia in ſtatione locavit
Lumina vibrantes rapidæ circumvola flammæ.
Parte alia Satanas, acie comitante rebelli,
Delituit, clauſus tenebris, vacuuſque quietis
Convocat ille ſuos proceres ſub nocte ſilenti,
Ac ſic Tartareis medium ſe Regibus infert:

Bellorum, O socii, qui mille pericula Martis
Mecum, ait, experti, nullis conceditis armis;
Libertas meritis non sufficit unica nostris,
Vile nimis, sed laus, & honos, & gloria sceptri,
Imperiumque, animis sunt hæc dignissima tantis.
Unâ mille die tulimus discrimina belli,
Quando tot una dies tulerit discrimina, cur non
Perpetuos hæc ferre dies, si causa ferendi est,
Possumus? omnia tela simul diffuderat in nos
Maximus ille Deûm, nec nos tamen ille subegit,
Fulminibusque sedet vacua jam denique dextra.
Nescius esse igitur fati, sortisque futuræ,
Creditus ante licet foret omnia nosse, videtur.
Nobis damni aliquid, quid enim manifesta negemus,
Attulit, atque aliquem levis armatura dolorem.
Cœpêre hic dolor, ac damnum innotescere primum,
Ac ubi nota, simul sperni, namque invia morti,
Ut video, hæc forma est, inflictaque vulnera in illam,
Mox coeunt, vis omne malum nativa repellit.
Nostri idcirco mali merito medicina videtur
Exigua & facilis; meliora his forsitan arma,
Et violenta magis, cum rursum occurrimus hosti,
Prosperiora dabunt, acie victrice subactâ;
Aut quodcunque mali pugnæ sors dura prioris,
Non natura dedit, reparabunt. Si tamen illos
Causa occulta facit tantis gaudere triumphis,
Dum sensus animique vigent, reserabit, & illam
Consilium è tenebris cum indagine protrahet imis.
Tum sedet: At medio in consessu, proximus illi,
Primus Sceptrigerûm assurgit Nisrocus, acerba
Undique cæde fluens, bellique labore cruenti
Robore defectus, fractisque ingentibus armis,
Nubibus obsessa facie, tum talibus infit:
O tu qui rapiens dominorum à jure novorum
Immunes facis esse Deos, & honore Deorum
Ne careant, quacunque potes virtute laboras:

Diffici-

Difficilis tamen esse Deis labor iste videtur.
Namque hosti imparibus forti concurrimus armis,
Cumque labore dolor gravis est conjunctus, at hostis
Nec sentit, minimumve potest sentire dolorem,
Inde ruina venit certissima : robora mentis,
Quidve manû invicta valent, ubicunque doloris
Vi penitus prostrata jacent? dolor impete mentem
Despoliat, fortemque manum languescere cogit.
Gaudia abesse, levis quorum jactura videtur,
Non querimur, nec nos cruciat subtracta voluptas ;
Mens generosa manet dulci contenta sereno,
Si dolor æger abest, cunctorum ast ille malorum
Maximus, unde animi patientia victa fatiscit.
Si tamen è nobis aliquis jam in tempore posset
Inventum reperire novum, quo vulneret hostem
Vulnere adhuc vacuum, vel nos à vulnere tutos
Non minus efficiat, nostræ foret ille salutis
Autor, & hunc meritis decuit celebrare triumphis.
Illi sedato Satanas tum talia vultu :
Hoc, in quo merito verti tibi gloria belli
Creditur, ante oculos mea nunc solertia vestros
Exhibet, inventi mihi laus mihi debita soli est,
Ecquis enim vestrum pedibus, dum subdita spectat
Ætherii sola vasta poli radiantia latè,
Fructibus & plantis passim decorata, rosisque
Ambrosiis, gemmâque, auroque imitantia flammam :
Quisnam adeo ista parum attentis speculatur ocellis,
Quin subeat simul unde fluant radicibus actis
Longè subter humum? nempe à crudâ, & tenebrosâ
Materiâ, æstifero flammarum semine, donec
Tangantur radiis, & humum jam cuspide rumpant,
Et fieri speciosa, sinusque resolvere laxos
Incipiant, lucemque admittere circumfusam.
Hæc penitus nativâ in sede latentia abyssus
Sulphure fœta dabit, quod aheni in viscere longi
Densatum, atque alio tactum igne foramine flammas,
Tam

Tam flictu violente dabit, spargetque per hostes
Fervida terrisono crepitantia tela fragore,
Atque adeò longè ac latè dabit undique stragem,
Regis ut arma sui nos abripuisse tremiscant,
Fulmineisque globis magnum nudasse Tonantem.
Nec lentus labor est, prima ante crepuscula votis
Finem facta dabunt: animosa resumite corda
Interea, mœstumque procul agitate timorem,
Consilium roburque simul juncta ardua vincunt,
Desperare vetant, finem dedit ore loquendi.
Vocibus his iterum sese vexata remulcent
Pectora, spesque animam jam jamque actura revixit.
Omnibus inventum stupor est, sed cuique stuporis
Maxima causa fuit, sibi non primum esse repertum,
Quod facile usque adeo visum est, simul atq; repertum
Cum tamen ignotum fuerat paulò ante, putatum est
Illud ab ingeniis tum vestigabile nullis.
Sed generis fortasse tui certissima proles,
Humanis si Tisiphone dominabitur olim
Gentibus, ingenti scelerum succensus amore,
Satanicoque ardore furens tormenta parabit
Talia, mortalem celeri tractura ruina
In dirum exitium per mutua vulnera stirpem.
Tunc se concilio pariter, mora nulla, soluto
Proposito accinxêre operi, non ullus in illis
Hæsit in ambiguo, numero caruere paratæ
Collectæque manus; dicto citius sola vasta
Ætherii evertêre poli, subterque videbant
Semina naturæ, & cruda genitricis in alvo
Concepta inveniunt rapidum cum sulphure nitrum,
Atque inventa statim mira simul arte remiscent
Mixta coquunt, cocta exurunt, urendo reducunt
In granum pyrium pice nigrius, atque reponunt.
Viscera venarum mineralia pars fodiebat
Et saxosa (etenim vestra exta simillima tellus
Continet) horrisonas hinc efficiunt catapultas,
Cursuros

Cursuros per inane globos & missile telum,
Atque parata neci pars stuppea vimina nectunt
Ad primum subitas tactum arripientia flammas.
Ordine quæque suo belli quæ postulat usus
Auroræ, ante jubar statuunt, nox unica testis,
Lumina nulla vident taciti vestigia furti.
Jamque rubescebat radiis mare, & æthere ab alto
Aurora in roseis fulgebat lutea bigis.
Protinus Angelicæ surgunt victricia turbæ
Agmina, ad arma vocat cantu tuba matutino.
Mox numerosa acies stetit in radiantibus armis,
(Quippe aurata tegit nitidis panoplia flammis)
Ordinibus cito juncta suis: pars mane recenti
Sole fere radiis feriente cacumina primis
Circum intenta oculis latè speculantur acutis,
Pars varias petiere vias si cernere possent
Hostilem adventare globum, vel stare sub armis
Si jam sanguinei renovarunt prælia belli,
Vel quo sustulerit fuga, si fuga sustulit hostem,
Quove sub axe latet cæcis absconditus umbris,
Ecce propinquantem subito vidère Tyrannum,
Aera per vacuum quatientem insignia belli,
Dum lento firmoque gradu procedit, at alâ
Remige mox retro fugit ille celerrimus omnes
Ante alios Zophiel, medioque ita in aere clamat.
    Arma alacres ferte, arma, ferox en advolat hostis,
Qui modo terga fugæ dederat, nunc denuo vires
Instaurat reparatque suas, quem quærere nuper
Cura fuit, præcepsque oblitum fertur in hostem.
Ne fugiat nullus metus est, densissima nubes
Ecce venit, bellique minas spirare videtur,
Vultibus horror inest, pugnæque atrocis imago
Trux, timidā indignata fugam, erga adamantina cuiq;
Cingatur tunica, & galeis capita alta coruscis
Splendescant, clypeique micantia lumina jactent,
Altius inferiusve manu prætenta tenaci.

Nam

Nam nisi fortè metus sibi mens mea fingit inanes,
Guttatim haud hodie pluvia est casura; sed ingens
Tempestas telorum, & flammeus ingruit imber.
Sic monuit per se monitos, & in ordine pulchro
Mox steterant, alacrique (etenim mora nulla tenebat)
Pectore se in varias distinguunt undique turmas
Proceduntque in bella, quibus sese haud procul illinc
Obvia turba dedit Stygio devota tyranno,
Agminibus densata suis, & in ære cavato
Ignea tela locans densis superobruit armis,
Sic sævos tegit arte dolos, & mole sua stat.
Utraque jam primo occursu taciturna resistit
Ante tubas acies, subito cum in fronte videndum
Se dederat Satanas, vultu furibundus & atrox,
Significatque manu, & magno simul increpat ore.
Jam gemina explicitas in cornua fundite turmas,
Ut videant hostes num sæva capessere bella
Nos juvet, an potius tranquillæ carpere pacis
Ocia, dum infestis juncti radiamus in armis,
Infensisque animis stamus jam ad fortia prompti
Prælia, si nobis hosti concurrere cordi est,
Nec trepidum, quod jam dubito, fuga subtrahit illum,
At tu testis ades radiati fulgida Cœli
Regia, testis ades, nostræ facta inclyta dextræ
Aspiciens, at vos, mecum qui statis in armis,
Haud secus ac jussi facite, & contingite dextris,
Contactusque gravem levis excitet ille fragorem,
Horrificúmque fremat; Satanas sic omnia flexu
Involvens, multisque tegens ambagibus effert.
Tunc nova sese oculis præbent spectacula nostris;
Axibus impositæ triplici jacuêre columnæ
Ordine, (marmoreis æquandæ mole columnis,
Roboribusve cavis, aut truncis abietis altæ,
Brachia queis truncata jacent in culmine montis
Aerio, aut gelida sylvæ nemoralis in umbra.)
Ærea massa fuit saxosa & ferrea, sævas

Ora

Ora habuêre minas, vasto turgentia hiatu,
Induciasque cavas sese portendere monstrant,
At Seraphi retro has stant pro numero catapultas,
Inque manu quatiunt flammatam cuspide cannam,
At nostri interea stupefacto lumine spectant:
Non tamen ille diu mansit stupor, excutit illum
Res nova, nam Stygiæ simul & semel agmina turbæ
Angusta igniferis tetigêre foramina cannis.
Protinus exoritur flamma horrida murmure vasto,
Mixtaque sulphureis volitant incendia fumis,
Involvuntque polum tenebris, fragor obstrepit ingens,
Horrificisque secat vacuam stridoribus auram,
Flammiferos tormenta globos è gutture rauco
Inflammata vomunt victricis in ora catervæ,
Adversamque aciem ferratâ grandine pulsant.
Hujus at ignivomæ lapidosus turbo procellæ
Tam violentus erat, nemo ut consistere plantis
(Ante licet steterit veluti vastissima rupes,
Quæ furiis maris, atque noti secura resistit)
Sustineat, quacunque cadit, passim obvia sternit,
Mille hic, mille illic: Archangelus, Angelus, icti,
Præcipites pariterque ruunt, pariterque rotantur
In caput, inq; humeros per humum, ut pila jacta, voluti.
Maxima causa citæ fuit armatura ruinæ,
Nam coeundo breve in spatium, celerive recursu,
Arma ubi nulla gravant, vim cunctam eludere belli
Spiritibus facile est. Ergo fuga fœda secuta est,
Disjectique duces, conturbatique manipli,
Nec minimæ datur hora moræ, requiesque malorum,
Ut reparare queant vires, & sistere bellum.
Heu quid agant? contra an venient? Geminata repulsa,
Atque ruina iterum venientibus imminet ingens,
Majoremque nova referent cum clade pudorem,
Ludibriumque suis fient, risumque movebunt
Hostibus. Ecce vident aciem jam stare secundam
Seraphicam, horrisonas cupidam renovare procellas,
At

At trepida dare terga fuga magis horret, & odit
Angelici pia turba chori ; non talia nullis
Aspiciens oculis Satanas, hæc dicta superbis
Exultans sociis dedit, hostibus insultando :
Cur pugnam, O socii, metuunt, pavidiq; morantur,
Qui modo sublimi ætherium tetigêre cacumen
Vertice, nuper enim furibundi in bella ruebant.
Ast ubi nos (nam quid poterant exposcere majus ?)
Pectora pectoribus, frontique opponere frontem
Cœpimus, ut pacis renovarent fœdus amicæ,
Compositis odiis, iraque residere jussa ;
Mox nova turbatas agitat sententia mentes,
Aversique fugam rapiunt, variéque vagantur,
Ceu choreas agitare velint, si nomine tali
Dici hæc mobilitas adeo vesana meretur.
Scilicet oblatam gaudent sibi fœdere pacem :
At si fortè semel nos fœdera pacis amicæ
Audierint iterum tam clarâ voce sonantes,
Hæc, ut opinor, erunt quavis sub lege parati
Amplecti, positis odiis, iraque remissa.
Ad quem tum Belial similes dedit ore loquelas :
Inclyte dux, pacis leges, quas fecimus illis,
Magnæ molis erant, permultaque dura ferebant,
Urgebantque eadem violentibus argumentis :
Consilii hinc multos inopes hæsisse videmus,
Offensoque gradu multos titubare coactos :
Has igitur quisquis recipit, pollere sciendi
Virtute hic talos à vertice debet ad imos.
Nam bene ni notæ fuerint, hoc insuper addunt,
Ostendunt ubicunque haud rectus obambulat hostis.
Sic illi inter se salibus lusêre protervis,
Elatisque animis spondent sibi præmia belli
Magna, nec ambiguæ cruciat spes anxia palmæ,
Æternasque suo prosternere robore vires
Perfacile esse putant, & magni tela Tonantis
Ludificant, aciemque Deo quæ fida remansit,
Donec

Donec adhuc illam ſubiti nova machina belli
Terruerat, dubiaque animos formidine preſſit:
Terror at iſte brevis ſuerat; mox pectora gentis
Angelicæ furor inſtimulat, furor arma miniſtrat,
Arma, quibus Stygii ſuperent inventa tyranni.
Protinus, (Angelicæ quam vaſta potentia dextræ eſt,
Quã Pater his mundi Omnipotens Deus indidit?) ecce
Abjiciunt ſimul arma manu, monteſque repente
(Terra etenim celſo derivat ab æthere montes
Aerios, valleſque cavas) cito fulguris inſtar
Inſiliunt, velluntque ſua de ſede, ſimulque
Quicquid ubique tenent, lapideſque, undaſque, trabeſq;
Et ſublata ſuis manibus tenuêre; rebelles
Tum ſtupor haud dubiè, tum luridus occupat horror,
Cum propius propiuſque ſibi jam inſtare viderent
Evulſa ex imis ſublimia fundamentis
Culmina tergeminaſque ſimul cadere in catapultas,
Montanaſque ſuam nunc ſpem ſepelire ruinas,
Moxque deinde etiam ſimili ſe pondere preſſos
Ingemere, ingenteſque ſuis incumbere rupes
Verticibus, totaſque in humum proſternere turmas.
Vulneribus gravia arma viam fecêre patentem,
Ingeminantque gravem graviter depreſſa dolorem,
Oppreſſoque trahunt gemitus à pectore anhelos:
O quoties, quantoque gemunt luctamine, ſi quam
Rumpere forte viam ſibi duro è carcere poſſint!
Nunc etenim gens hæc, quamvis ab origine puro
Lumine nata foret, maculis eſt craſſa pudendis.
Cætera pars montes alta ab radice propinquos
Victores imitata ſuos, rupeſque revellunt,
Tum graviter medio luctantur in aëre montes
Montibus hinc atque hinc valido vibrante rotatu,
Atque ita terriſonos ſub humo movere tumultus,
Inferniſque crepant ſtridoribus, horrida belli
Murmura ludus erant iſti collata fragori.
Jam clades cladem, ſequiturque ruina ruinam,
Vaſtaque

Vastaque Regna poli tanto convulsa tumultu
Corruerent: sed syderei qui in culmine Regni
Omnipotens, vacuus curarum, expersque pericli,
Considet, hic rerum summæ dum consulit, omnes
Prævidet hos oculo cuncta aspiciente tumultus,
Decrevitque pati, namque hac ratione profundis
Consiliis aperire viam parat ille patentem.
Gnato quippe suo quem rore perunxit olivi,
Hinc ingens pariturus erat decus, hoste subacto.
Bellaque sæva videt magnos habitura triumphos,
Ostendetque palam, magni quod in omnia mundi
Traditur omne suo jus atque potentia nato.
  Tunc illum, solio, qui proximus assidet alto,
Alloquitur genitor; Mea lux, mea, nate, potestas;
Nate animo dilecte meo, nate unice, cujus
Vultus inaspectus dat clara in luce videndum
Qualis ego quantusque Deus, qui cuncta gubernas
Consiliis effecta meis, O alter & idem
Omnipotens, jam nunc bini sua tempora, bini
Complevere dies, qualis mensura dierum est
Ætherii super astra poli, cum hostilia ut armis
Vinceret arma suis, toto comitante suorum
Agmine prodierat causâ in meliore Michael,
Pugna cruenta fuit, nec enim non esse cruenta
Pugna potest, gemini tales in talibus armis
Cum coiere alacres animis hostilibus hostes;
Namque utrique suis permisi viribus astans
Rem gerere, esse pares nosti his ab origine vires,
Id modo si excipias sceleris quod labe minutum est.
Verum hæc damna manent impervia sensibus, hostes
Certa quidem, sed lenta tamen vindicta sequetur.
Perpetuas igitur pugnas sine fine necesse est
Cotinuent, nec dura capit discordia finem.
Bellum quod potuit multo sudore peregit,
Et sine lege furens laxisque cucurrit habenis.
Jam nova tela gerunt vastos ad prælia montes,

Inque

Inque vetus ruitura chaos natura videtur.
Bini abiere dies, at nunc tibi tertius uni eſt.
Hunc tibi dono diem, tantos præcedere motus
Quem volui, ut tua ſit finiti gloria belli,
Quando haud uſquam alius queat illi imponere finem.
In te tranſfuſa eſt virtus & gratia, quarum
Circuitum nullæ poterunt includere metæ,
Ut pateat cunctis, & in æthere, & in Styge, nullum
Viribus eſſe tibi ſimilem, nullumque ſecundum,
Qui ſolus poteras tantos ſedare tumultus,
Atque ideo ſolum fieri te jure mereri
Hæredem, Regemque, & rore madeſcere ſacro.
Ergo, invicte heros, patrias conſcende quadrigas,
Viribus innixus patriis, quibus omnia vincit,
Et rapidas moderare rotas, queis baſis Olympi
Concutitur, totumque meum ſimul egere bellum,
Et veſtire meis nunc omnipotentibus armis,
Et gladio te accinge meo, fortiſſime, diram
Nocte ſatam ſobolem ſequere, atque ex ætheris oris
Omnibus in tenebras Stygii detrude profundi;
Illic ſi libeat, mea numina ſpernere diſcant,
Meſſiamque ſacro fuerat qui ſparſus Olivo.
 Dixit, & ille ſuum directo lumine natum
Aſpicit; ille ſuo totum ſimul ore parentem
Exprimit, & viva radiatus imagine reddit.
Atque ita voce refert proles æquæva parenti:
 O Pater, ætherii cui ſunt ſceptra omnia regni
Subdita, nemo prior, melior, nemo altior uſquam, aut
Sanctior eſſe poteſt, vel par tibi laudibus illis.
Ut tibi cura tui conſtans eſt gloria nati,
Sic nati unum opus eſt magnum celebrare parentem.
(Mutuus illud amor, juſtiſſima cauſa requirit.)
Hæc laus, hoc decus eſt, hæc eſt mihi magna voluptas,
Quod placeam tibi, quæq; velis, Pater optime, præſtem.
Hoc me in perpetuum facit omni ex parte beatum,
Sceptra, poteſtatemque tuam, te dante, libenter

Accipio, reddamque libentius utraque, cum tu,
Postquam extrema dies consumpserit ignibus orbem
Aerium, terram solidam, revolubile marmor,
Omnia solus eris tu semper in omnibus, in te
Vivam ego morte carens, in me pia turba meorum,
Quos tibi legisti, & miro complexus amore es.
Sed quicunque odio est tibi, me quoque sentiet hostem,
Ut bonitate tuâ me vestio, sic quoque terror
Mî tuus induitur, quoties libet esse severum:
Quid? quod imago tui sum rebus in omnibus unus
Omni ex parte tuum referens, pater optime, vultum.
Viribus ergo tuis mox induar, atque rebelles
Sedibus ætheriis abigam, & vasto impete trudam
Ad stygii vada nigra lacus, noctemque profundam,
Obscurasque domos tenebrarum, Erebique catenas
Tartarei rigidas, & vermem morte carentem.
Quandoquidem isti animis tua contempsêre malignis
Jussa sacrata, quibus parere beabit in ævum.
Tum quoque sanctorum, genitor, pia turba tuorum,
Spiritibus semota malis monti undique sacro
Circumfusa, pio pariter tibi carmine laudes
Dicet, & altisonos pariter modulabitur hymnos.
His quoque junctus ego supremâ in sede locabor.
Hæc ait, & flexo supra venerabile sceptrum
Vertice, descendit divinæ à lumine dextræ:
Tertia jamque novo spargebat lumine Cœlum
Aurora; en patrius celso volat æthere currus
Murmure turbineo, & densas vomit undique flammas,
Implicita exteriore rota rota multa cucurrit.
Nulli tracta tamen, namque intimus incitat illas
Spiritus, at formæ tamen has rexêre quaternæ
Cherubici generis, facies & quæque quaternas
Harum habuit, nitidis radiabant corpora flammis
Undique, & innumeris oculis plenæ undique pennæ.
Atque rotæ factæ berilli ardente lapillo,
Innumeris quoque plenæ oculis, atque inter easdem
Lumina

Lumina turbineæ micuêre volantia flammæ.
Chryſtallus ſuper hæc extenſa eſt, & ſuper illam
Ingens compoſitum pretioſæ è corpore gemmæ
Fulgebat ſolium rutilo radiantius auro,
Mille trahens varios, velut iris aquoſa, colores.
Ipſe arma indutus latè jaculantia flammam
Sydeream, artificis divinum opus omnipotentis,
Emicat in ſolium, dextræque illius adhæret
Præpetibus fulgens aquilæ victoria pennis.
Juxta arcus ſuſpenſus erat, pariterque pharetra
Flammiferis jaculis, tonitruque armata triſulco.
Hinc illinc rapidæ ſpatioſa volumina flammæ
Cum fumo commixta volant, furit æſtus ad auras.
Spirituum innumerâ turbâ comitante piorum,
Progreditur, greſſumque procul prænuncia flamma
Antevolat, lucemque dedit fulgere tremendam.
Millenæ decies dextram, totidemque ſiniſtram
(Nam mihi dictus erat numerus) comitare quadrigæ
Conſpectæ: ipſe ſuper radiantia cœrula celſo
In ſolio reſidens claris lucente ſmaragdis
Undique, Cherubicis vectus volitaverat alis.
Effulſit longè, latéque videndus, at illum
Agnovêre ſui primum, & nova gaudia raptos
Lætificant animos, & inexpectata voluptas.
Ut propius, propiuſque vident fulgeſcere Regis
Magnum inſigne ſui (ſignum quod in æthere notum eſt)
Sublatum angelicis manibus, mox colligit illuc
Michael acies, & circumfundit utrimque,
Agglomeratque ſuo capiti quaſi corpus in unum.
Illi autem antevolans divina potentia pronum
Pandit iter, monteſque altâ ab radice revulſi
Illius imperio ad ſedes rediêre vetuſtas.
Hic dedit ore ſonos, illi haud renuêre rebelles.
Blanda ſerenati facies renovatur Olympi,
Floribus atque novis montes, valleſque renident
Hæc infœlices hoſtes videre, ſed omnem

Depoſuêre metum, & pugnam renovare rebellem
Agmina vana ſimul coëunt, diſcrimina belli
Sæva ſubire animat nullam ſperare ſalutem.
Ergone in ætheriis adeo perverſa cupido
Spiritibus regnare poteſt? adhibete ſuperbi,
Huc adhibete animos; quæ ſigna, aut qualia facta
Prodigioſa movent duratam in crimine mentem?
Durati his ipſis, quibus emolleſcere poſſent,
Acribus invidiæ ſtimulis agitantur, ut ejus
Conſpicuum aſpexêre decus, dumque ejus honori
Fruſtra inhiant, acuêre ſuas in prælia turmas,
Si quo fortè dolo, ſiqua vi forte perennem
Exuperare Deum, & divino rore perunctum
Suſtineant, aut iſtam aperit ſi nulla viam vis,
Exitium, diramque ſimul perferre ruinam
Infractis ſtatuunt animis, jamque alea belli
Maxima jacta, fuga trepida dare terga pudebat,
Aut cunctari animis dubiove recedere greſſu.
Filius ergo Dei tum talibus ora reſolvit,
Millibus à dextra, & læva ſibi circumfuſis:
State ſimul, ſancti, juncti in radiantibus armis,
State ſimul gens ſpirituum numeroſa piorum,
Atque à ſanguineis hodiè requieſcite bellis.
Immaculata fides duro in diſcrimine belli
Veſtra eſt grata Deo, & ſanctæ defenſio cauſæ
Non ullo labefacta metu, nullo obruta motu:
Utque datum eſt vobis nullis ſuccumbere victos
Viribus, invicti pariter manſiſtis, at iſto
De grege peſtifero factis gaudente ſceleſtis
Pœna alia ſumenda manu eſt, huic ſcilicet uni
Competit, aut ſiquem ſocium ſibi deſtinat uni
Non labor hic vaſtum numerum, turbámve requirit,
Vos modo jam tacito defixi lumina vultu
State ſimul, juſtumque Dei ſpectate furorem:
Ipſe ego promeritas ſumam de ſanguine pœnas
Sacrilego, non vos ſed me petit iſta ſuperbis
Gens

Gens ſcelerata odiis, rabidaque exæſtuat ira
Invidiâ ſubdente faces; quia Rector Olympi,
Optimus ille pater, rerum cui ſumma poteſtas,
Me longe ante alios miro dignatus honore eſt.
Hos mihi plectendos igitur commiſit, at iſti,
Quod votis petiêre ſuis, diſcrimine aperto
Experientur, uter ſit fortior hoſtis, an ipſe
Solus ego, an tot myriades contrà arma ferentes,
Quandoquidem ſolo jactant ſe robore, nullo
Laudis honore alio cuiquam præſtare laborant.
Atque hos ipſe alio minimè certamine dignor.
  Talia dicta Dei fundebat filius, & mox
Ardor in ora venit, frontemque inſederat horror,
Terrificumque ſuos vultum direxit in hoſtes:
En ſubito Cherubi librantur in aëre pennis
Sydereis, vaſtam attactu facientibus umbram
Alterno, horrificumque rotæ volvendo fragorem
Dant rapidæ, ſic fertur aquæ ſuper obvia torrens
Cum ſtabulis armenta trahens, pecudeſque, viroſque;
Sic numeroſa acies pariter fera murmura miſcet,
Cum reſonat, clamorque virûm, clangorque tubarum.
Pergit in adverſos,tetricum nox lurida vultum
Aſperat, ignivomuſque ingenti pondere currus
Ætherii loca cuncta poli titubare coegit,
Divino excepto ſolio: mox advenit illis
Obvius, in dextra decies millena prehendens
Fulmina, quæ medios ſubito jaculatur in hoſtes;
Unde graves penetrant in corda hoſtilia peſtes:
Attoniti ſteterant, animi ſtupuêre rebelles,
Armaque de digitis cecidêre pavore remiſſis.
Ille ſuper clypeos, galeas, capita & galeata,
Illuſtreſque thronos equitat, ſeraphinaque ſceptra
Sub rapidis proſtrata rotis, jam denuo montes
Seſe operire velint horrenda illius ab ira,
Nec minus hinc illinc trepidantibus involat ingens

Tempeſtas telorum, atque igneus ingruit imber
Proveniens à tetradio fulgente quaternis
Vultibus, innumeriſque oculis circum undique pleno,
Atque rotis pariter numeroſo lumine plenis,
Spiritus unus in his æquè dominatur, in hoſtes
Singula peſtiferas jaculantur lumina flammas,
Cunctaque ſatanicæ conſumunt robora turbæ,
Nulli horum vigor ullus adeſt, ſed jam ſimul unâ
Exhauſti, exanimeſque jacent, fractique ruinâ.
Dimidias tamen haud vires effudit in illos,
Sed medio in tonitru volitantia tela repreſſit
Non hos deſtruere, at celſo detrudere Cœlo
Accelerans, ſtratoſque iterum erigit, utque paventes
Hircorúmve oviúmve greges uno agmine junctos,
Fulmine percuſſos, trepidiſque horroribus urget,
Uſque ad cœrulei chryſtallina mœnia Cœli,
Quod jam involvitur intus, & ora patentia pandit,
Inque lacus ſtygios aditum patefecit apertum.
Hæc ubi conſpiciunt retrò ceſsêre, ſed horror
Pectora major habet trepidum referentia greſſum,
Devexique ideo pariter ſe à limine Cœli
Præcipitant: hos in ſtygium divina barathrum
Ira comes lapſos ſequitur : ſonitum audiit Orcus
Horrificum, celſo videt Orcus ab æthere lapſum
Æthera, jamque fugam trepidans molitur, at illum
Triſtia fata fuga prohibent, religantque catenis.
Illi conſumpsêre dies labendo novenos.
Attonitum chaos infremuit, ſenſitque tumultum
Multiplicem vacui per anarchica prædia regni,
Tanta ruina fuit medium per inane; ſed Orcus
Ore inhians vorat hos, dein ora patentia claudit,
Orcus inextincto ferveſcens igne, doloris,
Triſtitiæque domus, iſtis domus apta colonis.
Mole levata gravi, Cœli ardua regia geſtit
Lætitiâ, rimamque in ſe coëundo replevit.

Hoſtibus

Hostibus edomitis sacro Rex unctus Olivo
Nullâ ope suffultus, nullo auxiliante alieno
Robore, victor ovans curru radiante redivit.
Tunc illi pariter sanctorum turba suorum
Qui nuper steterant sine murmure, mira stupentes
Principis acta sui, choreis cum carmine mistis
Undique conveniunt, victricia tempora palmis
Velati umbriferis, & Io cecinêre triumphe,
Rectorem cecinêre suum qui straverat hostes,
Hæredem, natumque Dei, dignumque paterni
Imperii, ut socias cum Patre gubernet habenas.
Ille triumphalem, toto comitante suorum
Agmine, victor agit, medium trans æthera, currum,
Donec ad æterni pervenit templa Parentis
Sublimi in solio residentis ; at ille paterno
Accipit hunc animo, sociâque in sede locavit,
Jamque in perpetuum dextræ assidet ille paternæ.
Sic brevia æternis, sic libera morte caducis
Composui, cupiens tibi gratificarier ipsi,
Atque ut te faciant aliena pericula cautum.
Detexique tibi mysteria cognita nunquam
Antehac genti hominum, bella horrida, tristia bella,
Quæ gens ætherio nata æthere gessit Olympo ,
Satanicique gregis lapsum, qui mente superbâ
Dum nimis alta petunt subitam traxêre ruinam,
Cum Satana Rectore suo, quem livor acerbus,
Dum pariter sortemque tuam, sedemque tuetur,
Se misero, exagitat, stimuloque perurit acuto.
Jamque dolum laqueosque parat, jam retia tendit
Queis trahat ille tuos recto de tramite gressus,
Omnibus ut sine fine bonis nudatus in ævum,
Secum perpetuam pariter patiare ruinam,
Solamen cupit hoc socios habuisse malorum,
Participemque suæ tentat te adsciscere cladis :
Hæc hæc sola sui petit ille levamina damni.

Vindictâ hac odium ſtudet exſaturare malignum,
Quando aliâ nocuiſſe Deo ratione nequibit.
Illius ergo tuam monitis fallacibus aurem
Obſtrue, conſortemque tibi non viribus æquam
Sedulus admoneas, ne credulus abſtrahat error.
Exemploque tibi proſit didiciſſe tremendo
Qualia jure ferant perverſæ præmia mentes.
Stare quidem potuêre, tamen cecidêre rebelles :
Sis memor, atque tuam admonitus præverte ruinam.

Finis Libri Sexti.

Para-

Paradisus Amissus.

Liber Septimus.

DEscende, Urania, superis à sedibus, illo
Nomine si te fas mihi dicere, magne creator
Divorū atq; hominū, tua me vox æthere missa
Ardua Thessalici superare cacumina Pindi,
Pegaseamque procul docuit transcendere pennam.
Rem voco, non nomen : non tu turbæ una novenæ es.
Nec tibi Parnassus domus est, sed in æthere vivis.
Ante satos montes, & aquarum è fontibus ortum,
Tecum æterna simul vixit sapientia, tecum
Æterni ante Patris faciem, mirabile, capti
Vocis amore tuæ, veluti soror unica, lusit.
Te duce, terrenis veniens peregrinus ab oris,
Ascendi super astra poli, & traxi aëris auras
Angelici : ad proprium redeam nunc, te duce, tutò
Hospitium, ne forsan equi cervice volantis,
Bellerophon veluti, licet haud tam excelsa petîsset,
Excutiar, lapsusque Elæi in jugera campi
Nudus, inopsque vager, cunctis desertus amicis,
Carminis hujus adhuc restat pars altera, verum
Visibilis breviore poli circumdata gyro,
Stans terra in solida, nec jam super æthera raptus,
Tutius, ecce, cano mortali voce ; in iniquos
Inciderit licet illa dies, non rancida facta est,
Nec defecta jacet penitus taciturna in iniquos
Inciderit licet illa dies, linguasque malignas,

Et

Et tenebris obsessa nigris, obsessa periclis,
Solaque, sed nec sola tamen; tu nocte sopora,
Tu mihi mane redis cum Eöum purpura Cœlum
Inficit. Esto, precor, dux carminis optima nostri
Urania; atque aptis licet auribus haud ita multis
Audiar, obscœnæ procul impia murmura turbæ
Tu mihi pelle procul, & bacchæos ululatus,
Insanique gregis sobolem, queis Thracius Orpheus
In Rhodope discerptus erat, quem sylva canentem,
Et saxa audierant, Berecynthia tympana donec
Obstrepuêre sono citharæ cum carmine vocis.
Musa nec ipsa suum potuit defendere natum:
Tu mihi sic humili ne desis mente precanti;
Tu super astra sedes: vana altera noctis imago est.
Dic mihi quid tandem fuerit post illa secutum
Colloquia, horrendo Raphael cum affabilis ille
Angelus exemplo fugere admonuisset Adamum
Crimen apostasiæ, angelicæ tot millia gentis,
Quo super astra sibi subitam peperêre ruinam:
Ne simili exitio genitor cum stirpe rebellis,
Quos vetitum omnipotens prohibebat tangere lignum,
Mox pereant, similemque trahant sine fine ruinam:
Imperio parere Dei si fortè recusent
Imperio, quod tam facili præstare labore est,
Inter tot cupidum rapientia ligna palatum
Hic illic nitidi sparsa in gremio Paradisi.
Historiam cupidis hanc auribus imbibit ille
Cum consorte suâ, quos tum stupor obruit ingens,
Attonitasque trahit magna admiratio mentes,
Quod patefacta forent sibi tot sublimia rerum
Humanis aliena animis: super æthera diris
Esse odiis potuisse locum, bellique tumultus
Pacificam potuisse Dei discrimine parvo
Exagitare domum, sed mox scelerata retundit
Consilia omnipotens, inventaque dira redundant
In caput autorum, fluvii de more rapacis,

Nec

Nec Superûm turbare valent, aut rumpere pacem.
Hæc animo secum tacito dum expendit Adamus
Nubiferæ discussæ umbræ, & lux reddita menti est.
Inde cupido trahit nova, sed sine labe sciendi,
Quæ plus scire sua intererat; quis nempe creârit
Terrasque, tractusque maris, Cœlumq; profundum?
Quando, & qua de materia, & quæ causa creandi?
Quidque intra Edenem, quidque extra evenerit ortum
Ante suum, veluti, qui nondum expleverat omnem
Fonte sitim, salientis aquæ dum lumine cursum
Spectat, & aure trahit trepidantia murmura, primam
Incitat inde sitim, cogitque increscere, pergit
Talibus ætherium convivam inquirere verbis:
Magna & mira quidem, & nostris distantia rebus,
Nuncie sancte, tuo nostras sonuêre per aures
Indicio, nobis qui es missus ab æthere, ut hostis
Occulti laqueos moneas vitare malignos,
Subtilesque dolos, quæ si jam ignota fuissent
Accelerare meæ poterant mala fata ruinæ;
Atque hominum haud aliter poterant notescere genti.
Ergo immortales illi tribuantur honores
Qui mirè bonus, atque omnis bonitatis origo est.
Hujus nos monitis cupidam præbebimus aurem,
Hujus & arbitrium nostri quæ causa creandi
Prima fuit, nos sponte sequi, & parere juvabit.
Sed quando humanos longè superantia sensus
Tu dignatus eras hominum jam prodere genti,
Quæ tamen intererat multum cognoscere, nam sic
Ætherii sensit sapiens dominator Olympi;
Inferiora etiam ne dedignare, precamur
Eloquiis aperire tuis, quæ noscere forsan
Non minus intererit: Cœli sublimis origo
Unde fluat, picti volitantibus undique flammis.
Et circumfusus qui terram amplectitur aer
Undique floricomam, vacuumque excludit inane?
Quid magnum artificem, qui in se sine fine beatus
Jam

Jam dudum innumeris antehac requieverat ævis,
Post tandem impulerit spatiosū hunc fingere mundū ?
Quotque dies vasto huic impenderit ille labori :
Ni tibi fortè nefas hæc explicuisse roganti,
Quæ rogitare animum mihi non prurigo sciendi
Sacra arcana Dei densis abstrusa tenebris
Incitat, ast illum ut merito celebremus honore,
Cantemusque alacres validæ facta inclyta dextræ.
Nec spatio exiguo medium licet æthera cursu
Vicerit, & rapidis carpat jam prona quadrigis
Distat ab Hesperia lampas Titania meta.
Suspenso tenet ille gradu vestigia, vocis
Captus amore tuæ, at cursum magis ille tenebit
Præcipitem, cum te audierit natalia, & ortum
Enarrare suum, productaque semina rerum
Ex inconspicui tenebrosâ sede profundi.
Vel cito si redeat noctis prænuncius ignis,
Lunaque veloci revolârit in æthera curru ;
Participare tui quoniam dulcedine gaudent
Alloquii, pariter tranquilla silentia secum
Nox referet, somnusque tuo pendebit ab ore
Pervigil, aut ipsi hunc nostris abigemus ocellis,
Donec ad optatæ venias extrema loquelæ :
Tum tibi liber erit reditus jubar ante reversum.
Sic homo fatus erat, placido sic aliger hospes,
Os, humerosque Deo similis,sermone regessit :
Hæc quoque præterea tibi cum ratione roganti
Non ego durus ero ; quanquam enumerare perennis
Inclyta facta Dei seraphina an sufficit ulla
Lingua ? vel humani hoc animi comprendit acumen ?
At quæ efferre mihi licitum est, quæ Rector Olympi
Fas tibi scire facit, non hæc tibi scire negatur ;
Materiâ unde Dei laudes, nomenque verendum
Uberiore queas celebrare, & plura tibi ipsi
Commoda proveniant ; namq; hoc mihi munere fungi
Imperium cœleste dedit, responsa roganti
Quæ

Quæ rogitare nefas non eſt, tibi reddere metas
Has cave tranſilias : nec tu reſerare labora
Quæ voluit ſub nocte tegi, ſepelitque tenebris
Omnipotens, qui cuncta videt, neque cernitur ulli.
Nec cuiquam hæc totâ in terrâ, vel in æthere pandit.
Sat ſupereſt quod ſcire tibi, atque inquirere fas eſt.
Ut furioſa fames certis frænanda ciborum eſt
Imperiis, ſalubrique modo, ſic ipſa ſciendi
Limitibus, mihi crede, ſuis moderanda cupido eſt.
Nam velut eſca gravat ſtomachum, ſi largius æquo
Sumitur illa, animum pariter ſic degravat ipſum
Noſcendi immoderata fames ; inſania præceps
Naſcitur inde velut nimio de fomite ventus.
Verum hæc noſſe datur : cœlo cum Lucifer alto
(Angelicos inter cœtus radiantior olim
Quam ſtella hæc alias inter nitidiſſima ſtellas)
Decidit, ignifera pariter comitante caterva,
In Stygii vada nigra lacus, noctemque profundam,
Hoſpitii, pœnæque locum ; curruque perennis
Filius ille Dei rediit fulgente triumphans,
Sanctorum comitante choro. Deus, ecce, Deorum
Omnipotens latè ſolio proſpexit ab alto
Agmina, Carpathii numerum ſuperantia ponti.
Tum ſic affatur natum, atque his vocibus infit.
Fallitur hoſtis atrox, alios qui credidit omnes
Eſſe ſibi ſimiles, & eodem ardore rebellis
Inſtimulari animi, quorum auxiliaribus armis
Invictum ſuperare Deum, nobiſque repulſis,
In noſtro reſidere throno ſperavit, & illum
Multa ſecuta comes ſimili perculſa ruina eſt
Turba, & ab ætheriis merito nunc exulat oris.
Sed tamen, ut video, multo pars maxima primâ
In ſtatione manent, nec adhuc ſunt nuda colonis
Immenſi regna alta poli, numeroſaque templum
Nunc quoque turba meum ſolenni more frequentant.
Ne tamen inſultans maleſano corde triumphet,

Quod

Quod nostro abstulerit tam vastam ex agmine prædam,
Nudet & innumeris regnum cœleste colonis,
(Judiciis mea damna suis;) sed damna levare
Hæc potero, si damna vocas amittere turbam,
Quæ nihil usquam aliud nisi se modo perdidit ipsam.
Atque novum dicto citiùs formabimus orbem,
Innumeramque uno dabimus de semine stirpem
Humani generis; non hic habitabit, at illic;
Sensim perque gradus donec conscendat in altum
Sincerâ pietate, viamque ad sydera pandat.
In terramque æther vertatur, in æthera tellus,
Atque unum è geminis regnum coalescere regnis
Incipiat, cunctisque bonis sine fine potiri.
Spirituum interea series numerosa potentum,
Cœlorum latè ingentes habitabitis oras:
At tu quem genui, mea vox, nate unice, per te
Hæc effecta dabo, tu dic, atque illico fient,
Spiritus, ecce, meus te concomitabit euntem,
Tende gradum, curruque volans da lora secundo,
In vacuoque jube Cœlum terramque profundo
Surgere clausa suis spatiis, & limite certo.
Nam vacuum hoc metis caret, hoc vacuum tamen ipse
Mole immensus ego repleo, nec limite certo
Circumscribor ego, spatiisve coerceor ullis:
Quamlibet interea bonitas mea cum libet in se
Contrahitur, nec tam spatiis diffunditur amplis.
Libera fortunæ dubiis manet illa procellis,
Nec fato objicitur, fatum est mea sola voluntas
Dixerat omnipotens: Dicta hæc, mora nulla, peregit
Vox divina, suo genitori æquævus, & idem
Filius; acta Dei Zephyros velocibus alis
Antevolant, motusque vices, vel temporis ullas
Præ levitate pati nequeunt. Verum hæc tamen aures
Humanas penetrant variarum prodita vocum
Alternis vicibus, perque intervalla loquendi,
Terreno ingenio superi cum accommoda dicunt.

Undique

Undique regna Poli altiſonis fremuêre triumphis,
Cum Pater omnipotens animi conſulta retexit.
Gloria ſublimi domino, rerumque parenti,
Cunctaque fauſta hominum ſæclis exinde futuris,
Paxque per humanas vigeat dulciſſima terras:
(Unanimes uno ore ſimul pia turba canebant.)
Gloria ſacrato Regi, qui vindice dextrâ
Impia caſtra ſui procul almo à lumine vultus,
Spirituumque procul ſanctorum à ſede fugavit.
Gloria lauſque Deo cujus ſapientia tantis
Eduxit bona tanta malis: pro gente malignâ
Quæ ſimul in Cœlum tulit arma rebellia, gentem
Iſtorum ille loco meliorem exſurgere juſſit,
Innumeriſque bonis per ſæcula cuncta potiri.
Hæc alacres pariter Superi cecinêre hierarchæ.
Filius interea juſſis intenta parentis
Tum ſua corda tenens, factis ingentibus inſtat:
Balteus eſt illi vaſta Omnipotentia, pulchris
Majeſtas diadema comis, ſapientia in illo,
Atque immenſus amor juncto fulgore coruſcant.
Expreſſitque ſuo totum ſimul ore parentem.
Illius igniferos circum radiantia currus
Agmina ſe agglomerant numerum ſuperantia certum,
Cum Cherubis Seraphi, virtutes, regna, thronique,
Et vitæ aligeræ, ſimul aligeræque Quadrigæ
Armiferâ de ſede fluunt examine vaſto,
Armiferâ de ſede Deî, ubi millia ſtabant
Multa inter geminos montes ex ære rigentes,
Armati ferro, & galeis capita alta coruſci,
Sydereis galeis, prompti contendere bello,
Si bellum ingrueret; cuncta hæc ſimul agmine facto
Ad dominum glomerata ruunt. Laxavit Olympi
Regia vaſta fores: ſtrepitum dat dulce canentem
Sydereo auratus reſonans in limine cardo.
Tum Rex, & Pater ætherii venerandus Olympi,
Afflatuque ſuo inſtructus, verboque potenti
Egredi-

Egreditur, geſtitque novos effingere mundos.
Cœleſtis ſuper arva ſoli veſtigia figunt,
Immenſumque oculis ſtantes in littore luſtrant
Oceanum, piceique procul vaſtiſſima ponti
Æquora denſa nigris tenebris, & nocte profundâ,
Æquora ventorum altiſonis turgentia bellis,
Atque imum miſcere polo minitantia pontum.
Tunc vox omnipotens ; Tumidi jam ponite fluctûs
Murmura, & altiſonæ taceat diſcordia rixæ,
Nec mora fulgeſcens decoris fulgore paterni,
Cherubicas dicto citius libratus in alas
In medium volat ille chaos, confuſaque mundi
Semina poſtgeniti. Vocem Chaos illius audit.
Protinus angelicæ pariter radiantia turbæ
Agmina cuncta ſuum dominum poſt terga ſequuntur,
Ut videant, ſtupeantque novi miracula mundi,
Factaquæ magnificæ celebrent ingentia dextræ.
Tunc rapidas tenet ille rotas, dextrâque prehendit
Duplicia ex uno pendentia brachia nodo
Aurea, divina fuerant quæ quondam apothecâ
Condita, ut æquali ſpatio diſtantibus illis
Altera pars ſtaret, pars altera duceret orbem,
Orbem, quo ille novi lata hæc pomæria mundi
Circuit, & quæcunque ſinu tenet undique vaſto.
Tunc hæc meta, ait, O munde, hic tibi terminus eſto.
Sic Cœlum omnipotens, ſic terræ condidit orbem,
Materies utrimque rudis, utrimque jacebat
Maſſa informis adhuc : nox atra tegebat abyſſum.
Spiritus ergo ſuis mater ceu blandula pullis
Incubat æquoreo tacitâ virtute profundo,
Vitalique animat fluidum fervore liquorem.
Sed procul inferius nigram deſcendere fæcem
Juſſit, & ætheriæ contraria frigora vitæ.
Tunc paria adnectens paribus coäleſcere in unum
Fecerat illa globum, diverſaque ſemina rerum
Segregat : in medio diffuderat aëra mundo,

Suppo-

Suppoſuitque ſuo libratam pondere terram.
Lux oriatur, ait Deus, & mox exoritur lux
Ætheria, inque novo prima ante alia omnia mundo
Nata eſt ; parte ſui quintâ quam nectaris unam
Imbuit è vacuo genitam natura profundo.
Eöique oriens ſtetit imo in margine primi,
Perque gradus ſcandens medii faſtigia Cœli
Jam potitur, mox heſperias declivis in undas
Præcipitat celerem parili moderamine currum.
Nondum Phœbus erat, pro Phœbo erat ignea nubes,
Hoc illam hoſpitium ante ſatum Titana tenebat :
Tunc lucem Deus eſſe bonam conſpexit, & illam
Separat à tenebris Cœli in revolubilis orbe,
Diviſo in geminas æquali mole cavernas.
Tunc lucem ille diem, tenebras & nomine noctem
Nuncupat, atque adeo tenebræ cum lumine primum
Abſolvêre diem : nec tunc taciturna manebat
Syderei pia turba chori, ſed gaudia cantu
Significant, plauſuque ſonant, fremituque ſecundo.
Cum primum è tenebris ſtupuêre exſurgere lucem
Natalem Cœli atque Soli, vaſtum ætheris orbem
Lætifico clamore replent, plectriſque ſonoris
Auratas tetigêre lyras, ac dulcibus hymnis,
Autoremque Deum celebrant divinaque facta,
Et cum nox erat, & pepulit cum aurora tenebras.
Rurſus aquis, inquit Deus, expanſum exoriatur
In mediis, & aquas ab aquis dirimendo revellat ;
Expanſum hoc liquido puroque ex aëre factum,
Perſpicuoque ſimul diffudit ad ultima vaſti
Immenſum per inane poli ; diſterminat illud
Infernos, Superoſque lacus diſcrimine firmo,
Et vaſtis medii ſpatiis ſecat intervalli.
Namque velut liquidis terram fundavit in undis,
Sic etiam ſuper Oceani placidiſſima vaſti
Cœrula, ſyderei latè radiantia mundi
Mœnia ſtare Deus voluit, trepidoque tumultu

Vexatum chaos inde procul secedere jussit,
Ne si admota forent adeo contraria bellum
Undique terrisonum mox ingruat, atque repente
Machina tota trahat subitam convulsa ruinam.
Expansum hoc Cœlum vocitat, pariterque secundum
Sacratæ cecinere diem transisse choræ.
Terra creata fuit, liquidi sed viscere ponti,
Embryo, clausa latet, nullaque in parte videtur.
Omnia terrarum longè latéque tegebat
Oceanus vasto refluus se corpore volvens.
Non tamen incassum fluctus agitabat inanes,
Verùm humore globum fœcundans undique vastum
Prolifico solidæ facit emollescere terræ:
Et magnæ gremium Genitricis inebriat undâ
Fructiferâ; Pater omnipotens cum his ora resolvit
Vocibus: Ite, locum pariter concurrite in unum
Cuncta sub ætherio labentia flumina Cœlo,
Ut Cœlo faciem terra arida pandat apertam.
Protinus emergunt immani corpore montes,
Nubilaque attingunt lato sine gramine dorso,
Sydereumque polum sublimi vertice pulsant.
Sed quantum hi sursum ascendunt, immane profundū
Se in præceps aperit tantum, tenditque sub umbras,
Fluctibus hospitium, liquidisque cubilia lymphis.
Huc celerem hæ rapuêre fugā, & glomerantur in unū,
Exiguæ veluti collectæ in pulvere guttæ.
At partem illarum rapidi violentia cursus
Erigit in vitreos sublimi gurgite muros,
Altaque turrigeri referunt fastigia tecti.
Usque adeò imperium domini venerabile nostri
Præcipitare facit celeres simul undique lymphas
Belligeræ veluti, cornu resonante, catervæ,
(Nam de belligeris venit tibi fama catervis)
Signifero agglomerant, pariter sic agmine denso
Flumina lapsa ruunt, atque unda supervenit undam,
Qua via cunque datur: quoties per prona feruntur
Præci-

Præcipitant violenter iter : sed molliter ibant
Cum per plana gradum tulerant : non obvia saxa
Illorum impediunt, non ardua culmina cursum ;
Sed vel subter humum cæcis inclusa cavernis,
Vel longè latéque vago diffusa meatu
Invenêre viam, riguoque in corpore terræ
Effodêre cavas sibi decurrendo lacunas.
Quod facile ; undiq; humus tota humida, tota jacebat
Insolida, ante Deus quam totam arescere jussit ;
Hæc vada si excipias, ubi nunc vaga flumina bullant,
Perpetuisque suas convolvunt cursibus undas :
Aridaque arva vocat terram, variaque coactos
A regione lacus, liquidi vocat æquora ponti :
Et videt esse bonum : Tum Terra virentia, dixit,
Gramina producat, herbam quoque semine fœtam,
Lignaque quæque suos variè parientia fructus,
Seminibusque instructa suis in viscere terræ.
Vix ea fatus erat, cum quæ modo lurida cunctis
Horruit orba bonis, nudata incultaque tellus,
Gramine picta nitet, viridique hoc tegmine totam
Obduxit faciem, cunctas quoque protulit herbas,
Quæ subito incipiunt, varios fundendo colores,
Ejus odorifero gremium conspergere cultu :
Vix his elicitis vitalem in luminis oram,
Protinus innumeris florescit vinea botris,
Surgit odoratus Ricinus, nodosaque canna,
Explicitaque acie medii stetit æquore campi,
Et caput arbusta attollunt, humilesque myricæ,
Dumus & implicitis perplexus crinibus, & mox
Omnia ligna velut choreas nemoralia ducant,
Attollunt capita & sublimi vertice nutant.
Et curvata suis diffundunt florida pomis
Brachia, vel teneras jam parturientia gemmas.
Montana aëriis decorantur culmina sylvis,
Cespitibus vallesque cavæ, fontesque perennes,
Et longis fluvii ripis. Jam terra videtur

Assimulare polum, & cœlestibus hospita divis
Quam peragrare velint, multa dulcedine capti,
Et passim irriguis nemorum recubare sub umbris.
Quamvis omnipotens pluvio nondum imbre rigavit
Telluris gremium, nec adhuc homo natus in orbe est,
Vomere qui proscindat humum; sed viscere terræ
Exhalans nebula aerias ascendit in auras,
Descendensque iterum in tenues resoluta pruinas
Immensam madefecit humum: plantasque per omnes
Irriguo se errore tulit, quibus ille creator
Optimus, atque opifex mundi dedit esse, priusquam
E terrâ exstiterant, herbamque rigaverat omnem
Ante in lactenti stipulâ quam ostendere vultum
Cœperat: hoc Deus esse bonum, ceu cætera, vidit.
Tertia jamque dies tenebras, lucemque peregit.
Rursum ait omnipotens surgant sublimia Cœlo
Lumina in ætherio, dirimantque à luce tenebras,
Signaque certa ferant; & distinguantur ab illis
Dum redeunt, abeuntque dies, & mensis, & anni,
Sæculaque, & positæ spatiis æqualibus horæ,
Diffundantque suos radios: hoc muneris illis
Impero ab ætherii sublimi culmine Cœli
In terras sibi suppositas; vox dicta peracta est.
Tum Pater omnipotens fecit duo lumina magna,
Magna quidē, humanos quoniā tam accōmoda ad usus.
Auricomoque jubet majus dare jura diei,
Et minus, obscuræ tenebras distinguere noctis.
Fixit & æthereo radiantia sydera Cœlo,
Ut terram illustrent radiis, ut tempora Phœbi
Lucida, & alternis tenebras moderentur habenis,
Et lucem à tenebris dirimant: Mundique creator
Undique cuncta oculis dum contemplatur acutis,
Hoc videt esse bonum: namque inter corpora primum
Ætheria ingentem Phœbi remeabilis orbem
Finxerat; ille licet cœlestis origine, primum
Luminis orbus erat: niveæ tum condidit orbem
Lunæ

Lunæ noctivagum; dein fulgida lumine puro
Sparſit in ætheriis latè miracula campis.
Maxima pars lucis radianti à nube revulſa eſt,
Phœbæoque inſerta globo: penetrabile Phœbi
Corpus erat, facile, ut radios admittat amœni
Luminis, & firmum, radios ne amittat eoſdem,
Nunc domus alta manet, blandæque palatia lucis.
Huc velut ad fontem venientia cætera lucem
Aſtra trahunt, rutilaſque replent fulgoribus urnas.
Lucifer inde notho ſua cornua lumine tingit;
Solarique ſuum duplicant fulgore nitorem
Sydera cuncta poli, quanquam diſtantia vobis
Tam vaſtis ſpatiis aliquantum è lumine perdant.
Tum primum tenebris moderator lucis abactis
Lampada manè novam primo tollebat Eöo,
Ingentemque ſuis radiis infecit Olympum,
Longum iter exultans medio percurrere Cœlo:
Illum autem antevolat croceis aurora capillis,
Pleïadumque greges, ſalubri fulgore micantes,
Illius ante oculos varias duxêre choræas.
Hinc ex adverſo quanquam radiata minori
Lumine, tota nitet, tota auro inſignis, & ore
Tota ſuum referens, & claro lumine fratrem
Fulget Luna, alio nec opus tunc lumine Lunæ eſt,
Vultibus intentis radiati in lumina Phœbi,
Unde ſuam nitidis accendit lampada flammis:
Diſſita tunc illi paribus manet intervallis,
Donec in Heſperiis nitidum caput obruit undis.
Inque vicem Eöi ſurgens in margine Cœli
Clara per ætherios volvit ſua lumina campos.
Mille oculis, mille igniculis comitantibus illam,
Qui per Horizontem nitido fulgore coruſcant.
Lumina tum noctis tacitum luſtrantia mundum,
Atque iterum roſei radiantia lumina Phœbi
Æquore ab Eöo nitidum ſcandentia Cœlum
Mane, & in Heſperias fugientia veſpere lymphas

Absolvêre diem, blanda, vice tempore quartam.
Tunc ait Omnipotens, Pariat mare millia gentis
Squamigeræ tremulis undam ferientia caudis,
Atque super terram volitans pennata volucris
Radat iter liquidum vacui per inania mundi.
Tum Deus æquoreis ingentia monstra sub undis,
Pinnigerique simul pecoris genus omne creavit:
Pennigerasque etiam diverso corpore turbas.
Hoc vidit Deus esse bonum, & benedixerat illis,
Talibus; Innumeros, inquit, producite fœtus,
Atque aliam ex alia generando educite prolem,
Vestraque fertilitas vasti impleat æquora ponti,
Atque lacus latè liquidos, fluviosque rapaces;
Impleat & volucris patulæ regna omnia terræ.
Æquora mox cunctique lacus, & littora latè
Squamigerum peperêre genus vasto agmine; pisces
Per vada, per syrtes, per dorsa immania ponti
Squamea terga trahunt, scindentes cœrula pinnis;
Ast alii Soli aut socia cum conjuge carpunt
Æquoreos frutices sua pabula, pars quoque lucos
Coralios peragrant, & pars caput æquore tollunt,
Et Soli ostendunt rutilis lita corpora guttis.
Pars quoque gemmantis curvo sub tegmine conchæ
Tuta expersque metus alimenta humentia carpunt.
Pars quoque nativis gladiis armata teguntur
Rupe cava, prædæque inhiant; perque æquora pandi
Delphines placidi saliunt tranquilla profundi.
Et pars ingentes ingenti corpore flexus
Convolvunt, vitreumque salum fervescere cogunt.
Hic quoque Balænæ, quæ cuncta animalia mole
Corporea superant, immensi montis adinstar,
Procumbunt somno positæ, aut vada vitrea scindunt,
Insula spumifero tanquam natet insita ponto,
Undique dant saltus, multaque aspergine rorant,
Emerguntque iterum, redeuntque sub æquora rursus,
Inque chori ludunt speciem, lascivaque jactant
Corpora

Corpora & acceptum patulis mare naribus efflant.
Interea tepidique lacus, laxæque paludes,
Littoraque altivolæ pariunt examina turbæ.
Quæ primum exiguæ dirupto carcere testæ
Implumes minimâque cutim lanugine tectæ
Aspexêre diem: sumptis mox aëra pennis
Altisono clangore replent, terrasque jacentes
Despiciunt, seque in nubem vasto agmine densant.
Hic aquila armipotens, longóque ciconia rostro,
In rupe aëria, celsóque cacumine cedri,
Ardua tecta locant, teneris habitacula pullis.
Pars sine lege volans medium per inane vagantur,
In commune aliæ socium junxêre laborem,
Aëriasque plagas certam, tranando, figuram
Effingunt, annique vices distinguêre norunt;
Aëriam secuêre viam, nunc æquora supra,
Nunc terram rapidi pariter cum flamine venti,
Fitque labor levior nexis per mutua pennis:
Tempore sic certo super humida Nereos alti
Regna grues nixæ Zephyris per inane feruntur,
Et liquidum innumeris pertranant aëra pennis.
At volucres nemorum viridantia ligna minores
Persultant, hilarantque vagis loca sola querelis,
Et passim per inane volant, pennisque coruscant,
Donec in Hesperium rediit lux clara profundum.
Sed neque tunc Philomela suos requieverat hymnos,
Demulcens tenero taciturnam gutture noctem,
Perque lacus aliæ liquidos, fluviosque rapaces
Pectora molliculis irrorant obsita villis.
Cygnorum at niveas inter longissima pennas
Fastu regifico colla incurvantur, at ipsi
Remigio geminæ sulcant vada vitrea plantæ.
Sæpe tamen lacubus tolluntur in alta relictis,
Corporaque in vacuo librant sublimia Cœlo,
Et solido pars firma solo vestigia figunt;
Eminet has inter volucris cristata, sonoro

Murmure quæ noctis taciturna silentia rumpit.
Et cœlestis, avis cujus pulcherrima cauda
Irida, sydereasque faces gestare videtur.
Jamque ubi cessêrunt habitandæ piscibus undæ,
Et pictas cepit volucres agitabilis aër,
Quinta dies, tenebrasque suas, lucemque peregit.
Jam sexta orta dies divini extrema laboris,
Hesperiis citharis, citharis celebratur Eöis.
Tunc ait Omnipotens, pariat fœcunda volucrum,
Reptiliumque genus, pecudesque, armentaque tellus.
Paruit imperiis tellus, & ventre adaperto
Edidit in varias animantum corpora formas.
Membrorumque modo, numeroque exacta suorum
Exit humo rupta variarum turba ferarum,
Sicut prædæ inhians gelido cum protinus antro
Egreditur, vel rupe cavâ, viridive recessu.
Haud aliter surgunt pariter, patulâque sub umbrâ
Fæmina, masque simul sylvæ nemoralis oberrant.
Alterius generis rara, & secreta seorsum
Sparsa per herbiferos errant animalia campos.
Altera juncta simul terras animalia tondent
Floricomas, similique gregi se adjungere gaudent.
Viscera gramineæ solvunt prægnantia glebæ:
Jam leo fulvicomans media tenus extitit alvo,
Posteriora etiam multo luctamine nitens
Exerere, ac veluti ruptis tandem ille catenis
Exilit, exultantque jubæ per colla per armos.
Lynx maculosa, ferox rabida cum tigride pardus
Emersi quasi talpa ab humo, telluris acervos
Ejiciunt; ruptoque solo caput exserit altum
Cornibus arboreis cervus, qui cursibus Euros
Provocat, ac per aperta volans, non pressus habenis,
Æquora, vix summa vestigia ponit arenâ.
Vix Elephas luteæ perrupto viscere terræ,
Cunctorum quæ terra tulit vastissimus ille,
Surgit humo sese attollens, & mole sua stat:

Cum

Cum ſubito inde ſeges lanata ſimillima plantis
Exiſtunt, coëuntque ſimul, balantque per herbas.
Quiq;trahunt geminam terram inter & æquora vitam,
Protinus erumpunt gremio telluris opaco
Amphibius ſonipes cum ſquamigero Crocodilo.
Reptilium omne genus pariter ſe oſtendere cœpit,
Inſecta & vermes, quorum gens altera pinnis
Pro pennis volitat vacui per inania mundi
Innumeris graciles decorata coloribus artus,
Purpureas, rutilaſque gerit, maculaſque virentes,
Et quicunque alius viridaria pingit amictus.
Hi vero in longum extendunt ſua corpora, ſeque
Convolvunt per humum ſinuoſo tramite, ſed non
Hos minimis natura ſuis diſcrimine nullo
Omnes annumerat; nam ſerpentina propago
Mole ingens vaſtos per humum ſinuatur in orbes,
Aſſumitque ſibi rapidas in tempore pennas.
Prima quidem lutea magnæ genitricis ab alvo
Parvula prodierat magni formica laboris,
Ingentes animos anguſto in pectore verſans,
Craſtina proſpiciens, ac non incauta futuri,
Juſtitiæ exemplar poſthac fortaſſe futurum,
Inque ſuas diſtincta tribus reſpublica tota eſt,
Quæſitique tenax & provida: proximaque illi
Fæmina prodit apis, fuco quæ gnava marito
Jucundas epulas, alimentaque grata miniſtrat:
Et cerâ effictas diſtendit nectare cellas.
Cætera de genere hoc numero comprendere non eſt;
Nec numerare tibi hæc opus eſt quando omnia nôſti,
Omnibus his etenim tu nomina vera dediſti,
Nec non nota tibi eſt animalia cætera ſerpens
Calliditate ſuâ ſuperans, qui vaſto aliquando
Tractu obducit humum, interdum trabe rectior extat,
Terrificâque jubâ minitans, & flammea volvens
Lumina, ſed non ulla tamen tibi retia tendit
Aut laqueos, promptuſque tibi parere vocanti eſt.

Undique jam ætherii ſublimis regia Cœli
Condecorata nitet, varioſque rotatur in orbes,
Ut Deus ille manu magnâ prius impulit illos.
Terraque conſpicuo latè fulgore renidet,
Divitias induta ſuas ; ſextæque Diei
Pars bona reſtabat nondum conſumpta ; ſed unum
Sanctius his animal, mentiſque capacius altæ,
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera poſſit,
Terraſque, tractuſque maris, Cœlumque profundum
Juſtitiaque regat, ſanctiſque gubernet habenis.
Pronaque cum ſpectent animalia cætera terram,
Os Cœlo ſublime ferat, Cœlumque tueri
Poſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.
Qui cum cœleſti ſe agnoſcat origine cretum,
Cum Cœlo auſus erit ſocias conferre loquelas.
Atque ſibi hinc animo reputans deſcendere grato
Omne bonum,huc oculos vultumq; animumq; precantē
Dirigat, atque Dei venerabile numen adoret,
Qui latum in cuncta imperium ſibi detulit uni.
Tum Pater omnipotens, nullus cui terminus ævi eſt,
Nec Cœli aut Terræ ſpatiis includitur ullis,
Unigenam natum alloquitur, ac talibus infit,
Nunc hominem tandem faciamus imagine noſtra,
Nunc hominem noſtri ſimilem faciamus, & ille
Omnia jure ſuo teneat, latéque gubernet
Aërias volucres, natos & in æquore piſces,
Cunctaque quæ ſolidam calcant animalia terram,
Quicquid & in varios per humum ſe lubricat orbes,
Multorum aut gracili nixum eſt fulcimine crurum.
Hæc ait & mox te manibus formavit, Adame.
O homo, te è luteæ formavit pulvere terræ
Compoſitum, atque tuis inſpirat flamina vitæ
Naribus : ille ſuâ te finxit imagine, tuque
Viva & vera Dei per ſæcula vivis imago.
Te facit ille marem, ſed mox tibi fæmina juncta eſt
Gignendam ad ſobolem, & vobis benedixerat ille :
Creſcite,

Creſcite, multiplicique ingentem pignore terram
Implete, atque illam magna ditione tenete,
Subditaque imperio pariter ſint omnia veſtro
Squamea monſtra maris liquidi, pictæque volucres
Aëris, atque animo quicquid vigetante cietur
Per vaſtum terrarum orbem quacunque creatus
In regione fores? nullo nam nomine certo
Diſtincti jacuere loci; Deus, ut bene noſti,
Hinc te in delitias ſylvæ nemoralis amœnas
Intulit huc, ubi ligna, Dei quæ conſita dextra,
Cuncta vigent, jucunda oculis, jucunda palato.
Et pomum omne Deus tibi jus dedit arboris omnis
Arbitrio ſpoliare tuo, quorum hic genus omne eſt
Quicquid ubique parit totum natura per orbem.
Verum hæc una tibi tamen interdicitur arbor
Quæ guſtata bonum atque malum diſcrimine duro
Noſſe dabit. Qua tu hanc comedes moriêris in horâ.
Mors hanc pœna manet, procul O procul effuge culpā.
O inhibe rabidum frænaque libidinis æſtum,
Ne trahat in culpam & culpam comes atra ſequatur.
Subſtitit hic, finemque ſuo dedit ille labori,
Cunctaque defixis oculis ſua facta tuetur,
Et bona cuncta videt, vitioque informia nullo.
Atque ita ſexta dies tenebras lucemque peregit.
Non tamen ante opifex ingens quam carpere dulcem
Incipiat requiem, licet indefeſſus, & alti
Culmina celſa poli, radiata palatia, ſcandat,
Inde ut lata novi ſpeculetur mœnia mundi,
Regnaque ſydereo terræ ſuperaddita ſceptro;
Qualia de ſolii videantur ſede ſuperni,
Quam bona, quam pulchra atq; ſuæ conformia menti?
Protinus aſtra ſuper velocibus evolat alis,
Angelico reſonante choro, deciesque canoris
Mille lyris cirum harmonicas fundentibus auras,
Terraque pulſa ſonat, pulſus ſonat humidus aër,
(Et meminiſtis enim vos & memorare poteſtis.)

Altaque regna poli, radiataque sydera clangunt.
Sustinuêre vagi cursus audire planetæ
Intenti harmonicâ Cœlum repetente choræâ.
Vos vivæ reserate fores, vox omnibus una est,
Pandite perpetuas, regna O radiantia, portas,
Et magnum artificem, dominumque admittite vestrum
Post opus exactum reducem, quod nempe diebus
Condiderat senis: opus admirabile certè est,
Laudandumque novi formosa hæc fabrica mundi:
Pandite nunc, & sæpè dehinc, nam sæpe perennis
Humanum Cœli dominus dignabitur orbem
Visere, & aligeros sæpe huc volitare ministros
Principis ad mandata sui peragenda jubebit.
Sic turmæ igniferæ pariter cecinêre, sed ille
Limina per Cœli, claustris mox sponte revulsis,
Divini antevolat pulchra in penetralia tecti;
Qua lata & spatiosa via est; ubi fulgurat auro
Pulvis, & accensum est radiantibus undique stellis
Omne pavimentum, quales via lactea stellas
Nocte silente oculis solita est dare cernere nostris,
Ignea zona velut medio circumvola Cœlo.
Jam super humanum se septimus extulit orbem
Vesper, & Edenem pallenti involverat umbra,
Namque sub Hesperias jam Sol descenderat undas,
Et rursum Eöo latebrosa crepuscula ponto
Exeruëre caput, nigram antevolantia noctem.
Cum procul astrigeri super ardua culmina regni
Imperiale Dei solium per sæcula firmum.
Filius, ecce, redux pariter cum patre recumbit,
Nam comes ante patri (quanquam non visus ab ullo)
Exierat, mansitque tamen; miracula magnus
Hæc facit una Deus, loca qui latè omnia replet,
Atque opus instituit, rectorque & conditor orbis,
Ex quo, in quem, & per quem sunt omnia, jamq; peracto
Hoc opere immenso placidam capit ille quietem.
Septima jamque dies primum se ostendere cœpit:
Hanc

Hanc ſanctam jubet eſſe diem, ſacriſque dicavit.
Hac quia nempe ſuo finem dedit ille labori.
Non tamen illa dies ritu ſervata ſilenti,
Non illâ lyra læta die, non tibia ceſſat,
Organaque & numeris reſonantia cymbala blandis;
Serica lora etiam, & rutilo quoque lora metallo
Harmonicos peperêre ſonos, & voce chorali,
Uniſonáve ſuas inter cecinêre choræas.
Thurea de rutilis orientia nubila acerris
Montis odorifero velârunt culmina fumo.
Magna opera, alme Deus, tua ſunt, tua robora nullis
Obvia limitibus: quæ mens comprendere? quæ te
Lingua referre poteſt? Jam nunc majore triumpho,
Ecce, redis, quam cum domuiſti infeſta gigantum
Agmina; fulmineæ patuit tum gloria dextræ:
Sed facere eſt, quam facta iterum peſſumdare, majus.
Quis valeat nocuiſſe tibi, vel claudere metis
Imperium, rex magne, tuum? molimina turbæ
Frangis apoſtaticæ, & ſubito ſcelerata retundis
Conſilia in medio curſu, dum ſæva parabant
Damna inferre tibi, & numero te orbare tuorum.
Qui tibi cunque dolos fruſtra meditatur inanes
Ipſe ſibi exitio eſt: venit hinc tibi gloria major.
Namque malum moderando bonos convertis ad uſus.
Teſtificantur idem mundi hæc nova fabrica, Cœlum
Atque novum, Empyrici tangens propè limina Cœli
Lucida fundatum vitrei ſuper æquora ponti,
Vaſto circuitu, nitidis ſparſum undique ſtellis,
Quarum quæque ſuos fortè eſt habitura colonos;
Verum omnes tibi res bene notæ, ac tempora rerum
Has inter ſedes hominum fundamine firmo
Nixa manet tellus liquido circumſona ponto.
Jucundum hoſpitium! vos terque quaterque beati,
O homines, & ſtirps hominum quos vexit in altum,
Exemplarque ſuæ Deus autor imaginis eſſe
Juſſit, ut hic lætis animis habitetis, & ejus

Numen

Numen adoretis merito venerabile cultu.
Ac pro mercede imperium teneatis in omnia
Undique quicquid habent vasto terra, æquor & aër
In gremio, & longa serie numerosa colentum
Turba propagetur pura & sine labe: beati
Terque quaterque homines! vestræ si commoda vitæ
Noveritis, rectoque pedes in tramite perstent.
Sic cecinere, piis Cœlo resonante choræis.
Septima sacra dies hoc observata tenore est;
Hac ratione dedi facilis responsa rogatis
Ecce benigna tuis; unde ipsa exordia rerum
Primum enata forent, vastique hæc machina mundi,
Omnia quæ obtigerant repetens ab origine prima
Natalem ante tuum, ventura ut sæcula discant
Indiciis edocta tuis: age si qua supersunt,
Quæ rogitare velis, humanæ haud invia menti,
Arbitrio, ecce, tuo tibi copia facta rogandi est.
Rursus Adamus adhæc grato has dedit ore loquelas
Quas grates referam tibi? quæ tibi digna rependam
Prœmia, divinæ qui facta ingentia dextræ
Divina mihi voce refers, avidamque sciendi
Largo fonte sitim saturas, densisque tenebris
Obruta nota facis, cæcaque latentia nocte
Protrahis in lucem, Angelici splendore cothurni
Verba minora loquens & sensibus obvia nostris?
Hæc mihi nunc subitum pariunt audita stuporem
Lætitiamque simul, stimulantque attollere magnum
Laudibus artificem, meritas & reddere grates.
Restat adhuc aliquid dubitabile, quod tibi soli
Solvere posse datur: dū pulchrū hunc undiq; mundum,
Terrarum Cœlique plagas ego lumine lustro,
Circuitus librans utriusque examine justo,
Perspicioque hujus terræ regna omnia grani
Atque atomi exiguæ speciemque, modumq; tenere;
Stelligero collata polo, stellisque coruscis
Quæ vastos, video, circumvolvuntur in orbes,
(Alta

(Alta quod illarum ſtatio volucerque recurſus
Ignorare vetant) tantum ut ſua lumina circum
Hanc tenebroſam agitent tellurem, lucis & umbræ
Curriculo, puncti non ſectilis inſtar habentem,
Nec tam latè alios illæ exſpatiantur in uſus.
Hæc ego mente agitans perculſo corde ſtupeſco.
Naturámne adeo frugique animique ſagacem
Errorem potuiſſe gravem hunc admittere ? dextrâ
Tot meliora ſupervacua majoraque longè
Corpora tot fabricaſſe, & in unum hunc ſcilicet uſum
Quantum oculis animoque datur diſcernere ? & orbes
Stelliferos nulla requie relevante laborem
Volvere perpetuos ſua per veſtigia gyros
Quotidie, dum terra ſuo fundamine nitens,
Quæ melius potuit gyro breviore rotari,
Fixa, quieta manet, penituſque immota, miniſtris
Utitur & ſeſe melioribus illa, ſcopumque
Aſſequitur ſecura ſuum, cui dulce tributum
Perſolvit, lucem auricomam vegetumque calorem,
Tam rapidus numeroque carens ſine corpore curſus.
Dixit, & obtutu tacito Pater ille vetuſtus
Aſtitit addubitans, atque alta mente videtur
Magnum agitare aliquid: quo conjux candida viſo,
Sedit ubi ante oculos blandi ſejuncta mariti,
Aſſurgit vultu cum majeſtate modeſto,
Surgentemque decor tantus comitatur, ut illam
Spectantes remanere velint & abire graventur.
Jucundoſque adiens fructus floreſque nitentes,
Quos alit, inque dies cura fovet illa recenti,
An bene floruerint oculo probat indice, qua mox
Exultant veniente, atque attingente vigeſcunt
Lætius. Haud tamen abſceſſit quaſi capta loquelæ
Non foret Angelicæ dulcedine, nec quaſi captum
Talia dicta ſuum ſuperent, verum illa reſervat
Gaudia ad optatum tempus, quo ſcilicet uni,
Nemine teſte, ſibi hæc iterata referret Adamus.

Maluit

Maluit orantis vocem illa audire mariti,
Quam vocem angelicam: potius quoque duxit ab illo
Scitari quæ ſcire velit: quippe ille loquelis
Perſæpe intervalla dabit gratiſſima cœptis,
Dulcia ſæpe ſuis interſeret oſcula verbis.
Non ſolum illa ſui verba optat ab ore mariti.
Dulcia verba placent, aliud ſed dulcius illis
Conjugiale ſolet pariter conferre labellum.
Heu ubi nunc talis mulier cum conjuge, quos ſic
Mutua cura duos, & amor ſocialis habebat?
Progreditur, greſſuque Deos, vultuque videtur
Aſſimulare ſuo, comitum nec copia deerat,
Nam charitum numeroſa cohors comitantur euntem,
Atque cupidineas jaciunt in cuncta ſagittas
Pectora, captivantque oculos, animoſque tuentum.
Jamque novis iterum Raphael reſpondit Adami
Quæſitis, facilique hæc retulit ore benignus.
Non ego culpo tuum ſtudium, curamque ſciendi,
Regia clara poli liber eſt pulcherrimus, in quo
Inclyta facta Dei relegas, diſcuntur in illo
Tempora cuncta, dies, noctesque, & menſes, & anni,
Sæculaque, & poſitæ ſpatiis æqualibus horæ.
Sed nil ſcire tua refert, domus ætheris alti,
An Terra aſſiduos circumvolvatur in orbes;
Hoc, niſi judicio careas, fateare neceſſe eſt.
Cætera mundi opifex homines, gentemque latere
Angelicam prudens voluit, non intima regni
Prodidit his arcana ſui, quos illa ſtupere
Non penetrare decet: ſin divinare cupido eſt,
Illorum variis dedit obvia conjecturis
Mœnia ſyderei latè radiantia Cœli.
Forſitan ut cerebroſa ſibi deliria riſum
Poſtea ſuppeditent, vanis ubi mentibus illi
Metiri incipient ſpatioſos ætheris orbes,
Sydereaſque faces numero comprendere certo.
O in quam varias templum cœleſte figuras
Effin-

Effingent? Quoties hoc mentis imagine condent,
Dejicientque iterum? tum nomina mille orientur
Descriptura polum, variis inventa cerebris.
Centrica tum attonitas,tum eccentrica curret in aures,
Cyclus Epicyclus, contentique orbibus orbes.
Hoc merito de prole tuâ, ferâque tuorum
Posteritate mihi fas divinare nepotum.
Cum tu hominum, quotquot lumen vitale videbunt,
Cunctorum primus genitor tam devius erres.
Quandoquidem usque adeo tibi res absurda videtur
Corpora si majora, & lucidiora ministrent
Corporibus nec mole æquis, nec luce coruscis;
Et si tam longos trahit ardua regia cursus,
Stante loco tellure suo, cui tota redundat
Utilitas: primum hoc memori tibi mente tenendum est.
Splendor nobilitas nulla est, neque maxima moles.
Tellus parva quidem est Cœlo collata, nec ullo
Lumine clara micat; poterit tamen illa tenere
Plus solidi fortasse boni, quam splendida Phœbi
Fax sterili fulgens quæ lumine nil parit in se,
Verum in fructiferæ gremio parit omnia Terræ.
Huc primum illius penetrantia lucida tela
Fœtificant, quæ nullum alias habuêre vigorem.
Nec tamen huic Terræ radiantia lumina Cœli,
Sed tibi, qui terram hanc habitas servire jubentur.
Hæc autem ætherii vastissima mœnia regni
Artificis magni celebrant venerabile nomen,
Qui solus potuit spatiosam hanc condere molem.
Ingentemque adeo longè contendere funem,
Ut genus humanum cogatur sponte fateri
Non ædes habitare suas, quas nulla nepotum
Posteritas implere potest; ideo sibi partem
Concedi exiguam, cum cætera serviat usus
Ad varios, Pater omnipotens queis destinat illam.
Orbibus his Lybicas numero superantibus undas
Divina hunc rapidum dedit omnipotentia cursum

Corporeis quæ nempe fugam queat addere rebus
Pœne incorpoream : te non ego judice tardus,
Qui mane egressus divina habitacula, sedes
Ætherias, medium ante diem sum nactus Edenem
Transactis numeris spatiorum haud nomine dictis.
Hoc tibi jam refero, ne Cœlum posse moveri,
Aut mutare locum tibi res absurda videri
Esse queat : verum hæc minimè sententia nobis
Asseritur, quamvis veri sub imagine sese
Illa tibi exhibeat habitanti hæc infera regna.
Omnipotens homini sua ne secreta paterent,
Tam procul ætheriis terram secrevit ab oris,
Visus ut humanus nimium sublimia tentans
Erret, & hinc illi nulla emolumenta redundent,
Quod si orbi centrum est, Lampas Titania, cujus
Viribus, atque suis aliæ circum undique stellæ
Attractæ varias agitant sine fine choræas :
Aspice sex errore vago nunc alta capessunt,
Et nunc inferiora petunt, nunc lumina condunt,
Et modo progrediuntur iter, retróve recedunt,
Stántve loco. Quod si septenum Terra Planetam
Ipsa facit, quamvis fixa atque immota videtur,
Motibus acta tribus sensum fugientibus omnem,
Quos aliter sphæris variis tribuisse necesse est,
Dum peragunt varios diverso in corpore motus;
Aut relevare gravi Titana labore diurnæ,
Nocturnæque fugæ pariter, quem cernere nostris
Credimus ingeniis; aliter qui haud visilis ulli est,
Sydera cuncta super positus, rota lucis & umbræ.
Quod tamen haud ulla credi ratione necesse est ;
Sponte sua si Terra diem, dum tendit ad ortum,
Efficit, & Phœbi radiis semota coruscis
Parte sui noctem revocat, pars altera Phœbo
Obvia dum interea claro splendore refulget.
Quod si flammiferi sua lumina syderis instar
Terrenam in lunam vacui per inania Cœli
Transfu-

Transfudendo diem accendit, velut ipsa per umbras
Luna hilarat tacitum nativo lumine mundum?
Si modo sunt illic velut hic terra, arva, coloni.
Illius in vultu maculas quasi nubila cernis,
Nubila sed pluvias, pluviæ producere fructus
Mollitâ tellure valent humore benigno,
Ejus ut exhibeant avidis alimenta colonis.
Forsitan & Soles alios, Lunasque videbis
Masculeum cum fæmineo diffundere lumen,
Qui duo vasti animant sexus regna omnia mundi,
Cujus in innumeris habitant animalia sphæris.
Namque adeo spatiosa loca an sint nuda colonis,
Nullus & immensis habitator in orbibus erret,
Quorum quisque suam luteæ dat cernere lucem
Telluri, acceptos radios quæ accensa reflectit;
Philosophi certant, & adhuc sub judice lis est.
Verum utrum hæc ita necne habeant? an Phœbus Eöo
Surgat ab oceano, terramque supervolet, an fors
Terra suum super astra globum Titania tollat?
Alter an Eoæ veniens à limine portæ
Flammifero vehat axe diem? vel ab æquore mauro
Per tacitum nullis offensibus indupedita
Altera tendat iter, placidéque incedere pergat,
Teque ferens, totumque ferens simul aera tecum?
Sollicitâ hæc nimium tibi curâ inquirere vanum est,
Quæ Deus ipse tegit; ergo Deus ipse latere
Quæ voluit committe Deo, & venerabile numen
Æterni venerare Jovæ, & reverenter adora.
Cætera cuncta opifex mundi quæcunque creavit
Omnipotens, quocunque loco, quocunque sub axe,
Arbitrio regat ille suo: tu gaudia carpe
Quæ largâ dedit ille manu: te vultibus Evæ
Oblecta niveis, atque hoc nitido Paradiso.
Non tibi nosse datur Cœlo quid agatur in alto.
Sis sapiens, humilisque simul, mentique superbæ
Frænum adhibe,atq; modū servare modestia monstret,

Quæ tua ſunt curæ tibi ſint ; nec te anxia fruſtra
Somnia ſollicitent : An ſint alii quoque mundi ?
Aut an in his aliis habitent animalia mundis ?
Quoqûe gradu, qualique ſtatu, vitâque fruantur ?
Satque ſuperque tibi eſt penetraſſe tot abditâ rerum,
Non modo Telluris luteæ, ſed & ætheris alti.
Ad quem, diſcuſſis tenebris, ita fatur Adamus :
Quam procul errores, & inania ſomnia noſtro
Ex animo tua verba fugant ; O Angele regni
Incola ſyderei, pura & ſine labe poteſtas ?
Illa ſalutiferæ pandunt compendia vitæ,
Sollicitiſque vetant animum diſcerpere curis,
Quas Deus eſſe procul voluit ne gaudia noſtræ
Perturbare queant vitæ, niſi inania captans,
Has ſibi ſponte vocat ſtudiis mens dedita vanis.
Mens etenim, niſi fræno inhibes, per inania fruſtra
Mille volat revolatque vias, latéque vagatur ;
Donec eam fidus monitor, vel longior uſus
Experiendo diu doceat, cogatque fateri :
Non res obſcuras dubias uſuque remotas
Subtili incaſſum penetrare indagine ; verum
Noſcere quæ vitam inſtituunt, quorum indiget uſus
Vivendi rectè fons & ſapientia prima eſt ;
Cætera ventus enim, & vacui ſunt omnia fumi.
Queis quicunq; inhiant, minus hi ſua commoda curant,
Et minus accedunt ad quotidiana parati
Munera, quæ promptos animos dextraſque requirunt.
Nunc ergo ætherii procul alto à culmine regni
Inferius tendamus iter ; promptamque loquendi
Materiam exhibeant hominum non invia menti,
De quibus in medio forſan ſermone rogandi
Pro bonitate tuâ ſolitâ mihi copia fiet.
Omnia te audieram repetentem ab origine mundi
Ante meos quæ facta dies : nunc tu mihi, quæſo,
Dignare hiſtoriam referenti attendere dignam,
Quæ fortaſſe tuas nondum penetravit ad aures.

Necdum

Necdum flammiferos sub gurgite mersit Ibero
Phœbus equos: donec tempus veniatur ad illud
Aspice, quam variis iterumque iterumque laborem
Te retinere modis: nunc te quoque vocibus aurem
Oro adhibere meis, stolide, nisi spes mihi surgat
Responsi præsaga tui; nam dum tibi præsens
Assideo in mediis videor discumbere Cœlis.
Gratior est tua vox patulæ mihi germine palmæ,
Quod vinum atque epulas pariter dat; pressàq; duris
Membra ministeriis mulcet, reparatque labori.
Hoc satiat stomachumque sua dulcedine replet,
Sed divina tuæ semper facundia linguæ
Incitat, atque avidam dulcedine pellicit aurem.
Cui tum sic Raphael, vultum cœleste sereno
Tranquillante, refert: nec deest tibi gratia linguæ,
Eloquiumque potens, humanæ stirpis origo.
Dona tibi omnipotens externa, internaque largâ
Dispensat cumulata manu, quæ ipsius imago est:
Gratia te tacitum sequitur, sequiturque loquentem,
Perpetuo, vocesque omnes gestusque figurat.
Nec minor à nobis habitantibus æthera vobis,
Quam sociis, defertur honos habitantibus orbem
Terrenum: cupidéque Deus quæ jura ministret
Genti hominum, atq; quibus legum moderetur habenis
Quærimus: ille hominem miro dignatus honore est,
Nec minus ille suum, ac nobis testatur amorem.
Incipe, quæso, igitur, namque hac, ita contigit, ipsâ
Luce aberam, obscurum peragrans iter horrendumq;,
Nam tristes sine sole domos loca turbida adibat,
Pars ego cujus eram, legio, ne forsitan hostis,
Aut speculator ab his tacitè prorumperet oris.
Ne Pater ille Deûm calidam stimulatus in iram
Cuncta creata trahat subitâ convulsa ruinâ:
Haud equidem sine mente Dei, sine numine quidquam
Vis inimica movet: sed nos Rex altus Olympi,
Postulat id regale decus, jubet esse paratos,

Imperiiſque ſuis promptas advertere mentes.
Limina Tartarei rigidis nigrantia regni
Clauſa fuêre ſeris, & duri robore ferri :
Ante tamen ſtygias propius quam acceſſimus oras,
Progreſſu in medio trepidas vox venit ad aures
Horrida, non qualem citharæ vel carmina reddunt,
Lætitiam teſtata, ſed illætabile murmur,
Et queruli fremitus, & luctiſoni ululatus :
At citò ſeptenæ prima ante crepuſcula lucis
Rettulimus greſſum Cœli melioris in oras.
Namque ita præcepit magni Regnator Olympi :
Incipe ſi quid habes, ego jam ſum audire paratus ;
Non tua verba minus mihi, quā tibi noſtra, placebunt.
Sic ait illa Deo ſimilis veneranda poteſtas,
Sic autem noſter genitor : res ardua certè
Difficiliſque homini eſt, humanæ prodere vitæ
Principium, nam quis proprium conſpexerat ortum ?
Sed mihi ſuſcipitur labor hic, ſi qua mihi detur
Te retinere, tuæ fruar ut dulcedine linguæ
Longius : haud ſecus ac ſomno experrectus ab alto.
Senſi in floricomâ poſitum me molliter herbâ
Inter odoriferos manantia balſama rores,
Quos citò flammiferâ ſiccavit cuſpide Titan :
Fumantemque ſuis radiis bibit ille liquorem.
Protinus ad Cœlum mirantia lumina tollens
Vaſtum cœrulei ſpatium contemplor Olympi.
Donec ſponte meâ nativo robore ſurgens
Confeſtìm, quaſi mox illò contendere vellem,
Exſilio, & geminæ nitens fulcimine plantæ,
Erectus ſteteram : ac montes, atque undique valles,
Et campos Phœbo expoſitos, ſylvaſque virentes
Proſpicio, & placido trepidantes murmure rivos.
At juxta hos etiam variis animalia formis
Plurima, quæ vegetos animati corporis artus
Sponte movent, mutantq; locum, paſſimq; vagantur.
Pars pede carpit iter, pars dividit aera pennis,

At

At volucres patulis residentes dulcia remis
Carmina per varios edunt resonantia cantus.
Omnia nunc rident, & odor ferit undique nares
Ambrosius, nostramque hilarat dulcedine mentem.
Singula membra mei uunc undique lumine lustro
Corporis, & nunc hoc oculis nunc illud acutis
Metior, interdum gradior, nunc cursibus auras
Provoco, prout validos vigor invitaverat artus.
Sed quis, ubi, vel quo fuerim genitore creatus,
Nescieram: experior num verba effundere possem,
Protinus ore loqui poteram: nec lingua recusat
Imperiis parere animi, quæcunque videbam,
Nomine cuncta suo dudum quasi nota vocabam.
Tunc ita fatus eram: tu lumen amabile Phœbi,
Tu quoque Pœbæo radiatâ à lumine tellus,
Luxurians vernis opibus, vos ardua Terræ,
Valles, & placido salientes murmure rivi,
Umbriferæque simul sylvæ, campique jacentes,
Quæque pererratis virides animalia Terras,
Dicite si nostis, mihi dicite, quomodo natus,
Quomodo latus in hæc fuerim viridantia regna?
Certè haud sponte meâ: sed me manus attulit isthuc
Præclari artificis bonitate & robore miro.
Quâ noscendus erit mihi, quâ ratione colendus
Dicite, cujus ego moveorque, & munere spiro
Qui bona plura dedit mihi quam satis ipse prehendam?
Hæc ego verba dabam, & passim sine lege vagabar,
Vitales ubi primum auras, & amabile lumen
Hausi; at nemo mihi dederat responsa roganti.
Ergo super viridem collem undique flore nitentem,
Procubui, mœsto defixus lumina vultu,
Tum sopor in victos oculos, & torpor in artus
Infusus lassum in viridi prostraverat herbâ,
Lassum, sed curâ vacuum, quanquam hoc tamen ipso
Tempore visus eram, sensum fallente regressu
In priscum remeare nihil, subitoque resolvi.

Mox autem in ſomnis ſupra caput aſtat imago,
Phantaſiæque meæ placidis illabitur alis.
Signaque certa dedit mihi nondum abſcedere vitam.
Quidam viſus erat divinâ accedere formâ
Præditus, atque ita me verbis compellat amicis :
Te tua jam ſedes deſiderat, inquit, Adame, [d]
Surge, agé, primus homo, primuſque deinde futurus
Innumerorum hominum genitor, tibi namque vocatus
Advenio, ut te mox in amœna roſaria ducam
Pomiferumq; nemus, pulchrā hanc tibi deſtino ſedem :
Hæc ait, atque levans ab humo, dextrâq; prehendens,
Aerium ceu carpat iter ſine greſſibus ullis,
Tranſmiſit placido campos & flumina lapſu,
Donec me ſtatuit nemoroſi in culmine montis,
Cujus planities medium tenet æquore vaſto ;
Undique ſepta, ſata arboribus latè undique pulchris.
Pulchris plena viis, viridiſque receſſibus umbræ,
Atque adeo quæcunque dedit vaſtiſſima tellus
Ante videnda oculis, fuerant quaſi vilia noſtris.
Omnia ligna virent fœtu curvata decoro,
Pelliciuntque oculos, animumque cupidine noſtrum
Inſtimulant ; ideoque manu decerpere lætâ,
Et guſtare paro ; medio in molimine ſomnus
Aufugit : ante oculos verè tunc omnia noſtros
Apparent, quæcunque mihi ſub imagine ſomni
Viſa fuêre : iterum dubio procedere greſſu
Incepturus eram : niſi qui me huc duxerat, umbras
Per nemorum clara dederat ſe in luce videndum,
Conſpicuus faſſuſque Deum : procumbo repente
Lætitia miſtoque metu ; genibuſque volutor
Illius ; ille levat, placidâque ita voce profatur,
En quem quærebas ego ſum, qui hæc omnia feci,
Quæ tu cunque vides circumque, infraque, ſupraque,
En tibi jam dulcem Paradiſum hunc munere dono ;
Hunc tibi tutari, & cunctos decerpere fructus
Arbitrio, libituque tuo eſt conceſſa poteſtas :

Arbor

Arbor at una tamen medio ſeponitur horto,
Una, ſalutiferi tangens confinia ligni,
Obſequii fideique tuæ memorabile pignus,
Quæ guſtata bonum, atque malum diſcrimine duro
Noſſe dat ; inde manus cohibe, vel mox tibi luctus
Innumeros paries, & ineluctabile damnum.
Namque ubi ſacrilegâ fructum hunc prædabere dextrâ
Protinus horrifico daberis præda obvia letho :
Non hos effugies laqueos : vitamque relinquent
Gaudia læta tuam, & procul extrudêre beatis
Sedibus in loca fœta malis, loca plena dolorum.
Talia dicta tonat, vultuque & voce tremendus,
Atque videtur adhuc trepidam reſonare per aurem
Horridus ille ſonus, licet hæc mala triſtia poſſim
Arbitrio vitare meo. Sed mox tamen ille
Placatam recipit faciem, vultumque ſerenat
Rurſus, & alloquiis hilarat mihi corda benignis.
Non tantum hæc ſpecioſa loca & ſpatioſa, ſed omnem
Hanc terram tibi teque ſatis ego dono tenendam,
Subſit ut imperiis immenſa hæc machina veſtris,
Et quodcunque in eâ vitali veſcitur aurâ,
Et quodcunque alibi vitali veſcitur uſquam
Lumine in æquoreis lacubus, vel in aëre vaſto,
Quadrupedes, piſces, volucres: neu forſitan illis
Vocibus indubites, pecudum genus omne jubebo,
Et genus omne avium tibi ſe glomerare, tuoque
Nomen ab ore ſuum capient ſibi quæque, dabuntque
Obſequii tibi ſigna ſui cum geſtibus aptis.
Nec minus in vitreo ſalientia monſtra profundo
Imperiis ſuppono tuis : accedere quamvis
Huc nequeant, vacuoque animam committere Cœlo.
Hæc ubi dicta dedit, pecudes, pictæque volucres,
Fæmina juncta viro, veniunt : pecudeſque recumbunt
Poplitibus flexis, & humum tetigêre volucres
Remigio aerio : tum cunctis nomina dono,
Nomina naturæ non diſſona ; nam mihi velox
Cœli-

Cœlitus illa fuit donata ſcientia : verum
Interea his cunctis opibus quod præſtitit unum
Deerat adhuc aliquid : tum ſic prece ſupplice formam
Ætheriam, noſtris oculis quæ apparet, adoro.
O ego quo dicam te nomine, nam tua longè
Gloria gentem hominum ſublimi in ſede ſuperſtat,
Et quodcunque hominum ſupra faſtigia ſcandit,
Dic quibus obſequiis ego te reverenter adorem,
Dic quâ te ratione colam, Pater optime mundi,
Omnis origo boni, quo gens humana fruuntur,
Cui tot magnifica cumulâſti munera dextrâ ?
Non tamen hæc mecum pariter qui munera conſors
Accipiat, video : num fœlix unicus ullus,
Unicus eſſe poteſt ſocio ſemotus ab omni ?
Quis fruitur ? vel ſi fruitur fortè omnibus unus,
Si careat conſorte, bonis, ſatiabitur unquam ?
Hæc ego præſidens animo : tum lucida per ſe
Forma, ac lucidior vultu ridente, regeſſit.
Ten' ſolum eſſe queri potes ? en tota undique tellus
Protulit innumeris animantum corpora formis,
Pennigerique greges vacuum latè aera complent,
Imperiiſque tuis hæc omnia ſubdita, currunt
Ante oculos, luduntque tuos : Voceſque viæque
Cunctorum notæ tibi ſunt : atque hæc quoq; quaſdam
Scintillas rationis habent, atque hinc tibi blandis
Obſequiis animum recreant : his utere cunctis
Pro libitu, ſunt ampla tui pomœria regni.
Dixerat hæc, vultuque eadem promittere viſus :
Tunc imploratâ mihi libertate loquendi
Voce, animoque humili ſic ora in verba reſolvi :
Ne tibi commoveat bilem ſacrata poteſtas
Vox mea, ſiſque mihi facilis leniſque loquenti :
Nonne tuis vicibus fungi hac regione locatum
Me facis, imperiiſque meis alia omnia ſubdis ?
Inter inæquales poterunt quæ fœdera jungi ?
An ſtudium ſociale locum, conſorſque voluptas

Hic

Hic habet? alternis nonne hæc coälefcere debent
Officiis, & utrimque ſuas expromere vires?
Participem alterni ſimilem, Deus alme, favoris,
Qualem haud bruta ſciunt ratione carentia, quæro.
Illud amicitiæ genus eſt, quod abeſſe gemiſco
Nunc, & adeſſe mihi jubeas prece ſupplice poſco.
Cum pare quiſque ſuâ communia gaudia jungit,
Sic ferus ipſe leo ſimili cum conjuge; cunctos
Sic ſocialis amor ſocios, te autore, ligavit.
Quadrupedi vero volucris, piſciſve volucri
Se minimè ſociare poteſt, neque ſimia Tauro.
At quanto minus hæc hominum cum gentibus ulla
Pacis inire bonæ ſocialia fœdera poſſunt?
Aſt ubi amicitiæ diſpar cum diſpare cœpit
Fœdus inire, ſubit ſubito nova cauſa querendi,
Et citò pacis opus placidæ mala tædia rumpunt.
Tum Pater omnipotens nullâ ſtimulatus ab irâ
Reddidit; Heus, ſubtili equidem te more beatum
Eſſe cupis, ſocioſque tibi conjungere certos,
Queis ſine nulla tibi ſoli eſt jucunda voluptas.
Quid de me ſentis igitur? videórne beatus
Ipſe ſat eſſe tibi? longo qui ſolus ab ævo
Incomitatus eram, ſocioque in culmine laudum
Nemo junctus erat ſimilis mihi, nemo ſecundus,
Nedum ut fortè parem ſibi vendicet ullus honorem,
Quem ſocium ergo mihi ſociali fœdere jungo,
Exceptis, quibus ipſe animam vitamque benignus
Indulſi, at longè cuncta hæc longéque reſidunt
Inferiora mihi, tibi quam quæcunque per orbem
Imperiis ſuppôſta tuis animalia vivunt.
Dixerat; at ſupplex refero, ſcrutamine nullo,
Mens humana tuæ quam ſint, altiſſime rerum,
Sublimes reſerare viæ, quantumque profundæ,
Sufficit: ipſe in te es per ſæcula cuncta beatus,
Nullius unus egens: at non ita pulvere terræ
Ortus homo, aſt aliquem ſimilem ſibi poſtulat ille
Adjungi,

Adjungi, auxiliumque suæ, & solatia vitæ.
Nulla propagandi tibi causa, quod infinitus
Omnibus omnino es numeris, licet unus & idem.
Ast homo progenie numerosâ ostendat oportet
Quantum deficeret, socio si nemine solus
Viveret; atque alios similes sibi gignere debet,
Ut sua per multos ita diffundatur imago
Suppleat & numerus quod deficiebat in uno:
Hinc meritò in votis hoc illi est, ut sibi præsto
Adsit amor socialis, amicitiæque benignæ.
Tu, nullo adjuncto socio, potes ipse beatus
Vivere, nempe tibi comes optimus unicus ipsi es:
Quod si quando aliquid libeat tibi fortè creatum,
Usque adeo evectum super omnia tollere, ut ipsum
Sit Deus, ac penitus tecum coälescat in unum,
Hæc effecta dare omnipotens tua dextera posset:
Ast ego non istis naturam expellere pronam,
Aut cum istis pariter socialia carpere possum
Gaudia. Fundebam tales ego voce loquelas,
Permissâque mihi sic libertate loquendi
Usus eram, placidâque mihi Deus annuit aure,
Responsumque mihi placido dedit ore benignum.
Hæc ego fatus eram te tentaturus, Adame,
Tentandoque tuæ video nunc mentis acumen.
Non modo bruta, quibus tu nomina vera dedisti,
Cognita cuncta tibi; verum & tibi cognitus ipsi es.
Apparetque tuos qui spiritus incolit artus,
Quod sit imago mei non ullis indita brutis.
Atque illorum ideo consortia spernere justa
Cum ratione queas hominis malè consona menti.
Atque eadem maneat tibi mens; quin ipse priusquam
Ore locutus eras, tacito sic pectore dixi.
Non homini solum esse bonum est: talesque sodales
Associare tibi minime, mihi crede, volebam,
Quos tantum ante tuos oculos adducere visum est,
Tunc ut an apta queas, & idonea noscere quæ sint
Perspice-

Perſpicerem; ſed quæ veniet tibi proxima certè
Dulcis imago tui, ac alter tibi traditus idem,
Auxilium, vitæque decus, requieſque laborum
Eſt placitura tibi, reſponſaturaque votis.
Jamque vel ille loqui, aut ipſe exaudire loquentem
Deſieram; quoniam tandem hæc mea terrea maſſa
Ætheriâ vi victa labat, cui tempore longo
Subſtitit, alloquiiſque vacans cœleſtibus, atque
Spectans humanos longè ſuperantia ſenſus,
Obtenebrata fuit nimio ſplendore, gravique
Opprimitur ſub mole cadens, penituſque fatiſcit,
Auxilioque vocat placidi ſolatia ſomni,
Qui laturus opem levibus mihi devolat alis,
Et ſubitis geminos tenebris mihi texit ocellos,
Hos texit, cellam tamen ille reliquit apertam
Phantaſiæ; hæc ſenſus interni eſt janua, per quam,
Membra licet ſopita forent, ſpectare videbar,
Atque haurire etiam pulchræ ſpectacula formæ,
Quam ſteterā ante vigil, quæ tum incurvata feneſtram
In lævo reſerat latere, & coſtam inde revellit
Spiritibus ductis vitali à fonte calentem.
Latum vulnus erat, ſubito ſed carnibus illud
Mox tegitur, coiitque ingens, mora nulla, cicatrix.
Tum coſtam ille novam in faciem formamq; reduxit,
Ipſa ſuis manibus, manibus formantibus ejus
In mediis, mox, ecce, animal ſe oſtendere cœpit,
Forma viro ſimilis, ſed ſexu diſtat ab illo,
Et pulchra uſq; adeo eſt, totum ut quæcunq; per orbem
Pulchra fuêre ſuam ſint viſa amittere formam,
Aut ea cuncta in eâ ſimul agglomerarier unâ;
Atque ejus niveis in vultibus, unde fluebat
In pectus dulcedo meum nova, tempore ab illo
Qualis nulla animo fuit antehac cognita noſtro.
Illa ore ambroſio latè ſpirabat amorem,
Atque cupidineas diffudit in omnia flammas.

At

At mox in tenuem ex oculis evanuit auram,
Meque tenebroſa ſeptum caligine liquit.
Tum ſubito evigilans illam deprendere conor,
Quæ modo viſa fuit quam ni reperire daretur
Cætera cuncta animo ſunt frivola gaudia noſtro.
Cum ſubito illa mihi ſeſe inſperata videndam
Obtulerat, qualem dulciſſima ſomnia nobis
Præbuerant : ornata fuit Cœlique Solique
Omnibus una bonis, & amabile quicquid ubique eſt.
Progreditur ducente Deo, quem nemo videbat,
Voce Dei monſtrante viam, non inſcia ritus
Quo genialis amor colitur, quo fœdera ſancti
Sunt firmata tori : cunctos & gratia greſſus
Concomitata fuit, ſpectabat lumine Cœlum,
Et decor, & ſocialis amor ſe geſtibus ejus
Omnibus inſinuat, dulci mihi corda videnti
Lætitiâ exultant, cogorque ſilentia verbis
Rumpere, & altiſono ſtellas penetrare triumpho,
Jam nova præteritos compenſant gaudia luctus,
Promiſſiſque fides tua ſit manifeſta ſolutis,
O genitor ſine fine bonus, ſine fraude fidelis,
Pulchrorumque dator cunctorum, at pulchrius hoc eſt
Omnibus unum aliis, quod nunc non invidus affers,
Oſque, caroque meo ſpoliata à corpore formam
Accepere novam ; video me ſcilicet ipſum
Ante oculos jam ſtare meos : huic fæmina nomen :
Quippe extracta viro eſt : ideo vir, matre relictâ
Et genitore, tori ſociæ ſe adjunget, & ambo
Cor unum, una caro fient, & ſpiritus unus.
Hos trahit aure ſonos ; & mox, duce numine quanquã
Illa adducta foret, fugitivum avertere tergum
Virginei fecêre metus, & conſcia virtus,
Innocuuſque pudor, gaudenſque modeſtia vinci
Mollibus obſequiis, & grata protervia faſtus
Fæminei, cupidumque viri proritat amorem

Averſo

Averſo magis illa gradu: natura pudendo
Crimine pura licet, ſic incitat; hanc ego pronus
Inſequor, illa decus caſti ſervare pudoris
Non ignara, iterum cum majeſtate venuſtâ
Regreditur, verbiſque meis, vultuque benigno
Vincitur: in thalami genialia limina noſtri
Hanc ego duco libens; velutique Aurora recenti
Igne rubet. Talem virgo dabat ore colorem,
Cœlum, atque ætherii radiantia ſydera Cœli
Hunc gaudent celebrare diem, pariterque benignis
Deſuper aſpiciunt oculis, & ſuavibus afflant
Effluviis, Tellus totos renovata per artus
Lætitiæ dat ſigna ſuæ, dant undique montes
Aerii, volucrumque greges plausêre canori.
Et Zephyri placido ſpirantes lene ſuſurro
Grata per umbriferos modulantur ſibila ramos,
Et nitidas fudêre roſas, ac dulcia ligni
Germina odoriferi jactatis leniter alis.
Donec noctis avis jam connubialia lætis
Fœdera carminibus celebrat, noſtroſque hymenæos
Concinit, atque jubet properare ad culmen Olympi
Heſperon, & Thalami genialem accendere flammam.
Terreni, ecce, ſtatus tibi gaudia cuncta retexi,
Et quodcunque aliquâ noſtram dulcedine mentem
Incitat, inque aliis multa oblectamina rebus
Invenio, ſed quæ minimum faciunt momentum,
Seu mihi fortè frui datur his, ſeu fortè negatur
Motibus & nullis animum vehementibus urgent,
Quales delitias viſus cum nare palatum
Fructus, herba, roſæ ſalebriſque carentia prata,
Et volucrum in ramis modulamina grata miniſtrant
At longè hîc aliter; lumen mihi namque videndo
Vincitur hîc, tangendo manus; primique tumultus
Hic animi cœpêre mei, quem nulla movere
Aut ſuperare meæ potuerunt gaudia vitæ,

Hic

Hic ego victus eram fateor, victuſque trahebar
Sub juga: fæmineæ tanta eſt violentia formæ,
Aut aliquid fortaſſe in me natura reliquit
Non bene munitum, talique obſiſtere telo,
Quo valeam, nullo clypei tutamine velor.
Aut noſtro lateri nimiâ gaviſa rapinâ
Plus ſatis eripuit, vel plus ſatis addidit illi
Externi decoris, quanquam minus indidit intus:
Præcipuum natura ſibi non deſtinat illam
Eſſe ſcopum, & cedit mihi mentis acumine, cedit
Dotibus internis animi, quæ gloria prima eſt.
Et minus externâ artificem, qui fecit utrumque,
Aſſimulat ſpecie, & vultus gravitate verendi
Imperium, quo cuncta animalia bruta reguntur
Exprimit illa minus, tamen huic, ubicunq; propinquo,
Tot circumſiliunt veneres, & tanta venuſtas
Omni ex parte oculis ſemper datur obvia noſtris,
Virtutiſque adeo propriæ ſibi conſcia viſa eſt,
Ut quodcunque animo cupiat, quodcunque loquatur
Præ cunctis prudens, ſapiens, juſtumque videri
Incipiat, nec laude minùs bonitatis haberi.
Illius ante oculos veneranda ſcientia celſo
Præcipitat dejecta gradu; ſapientia, poſtquam
Incipit illa loqui, cunctas amittere vires,
Stultitiæque parum fatuæ differre videtur.
Atque illam ratio cum majeſtate ſequuntur
Perpetuæ ſemper comites, quaſi condita prima
Illa foret, non poſterior, causâque prioris.
Nobilitas generoſa animi, præclaraque virtus
Gratius hoc ſtatuêre ſuas in corpore ſedes.
Tunc ſacer Ales ait, rugatâ fronte ſeverus,
Tu cave naturam falſis reprehendere dictis
Quæ ſua ſunt facit hæc, igitur tua ſint tibi curæ,
Scilicet ut deſit ſapientia nulla timendi
Cauſa ſubeſſe poteſt: non te prius illa relinquit
Hanc

Hanc nisi destituas tua cum res indiget ejus
Auxilio. Dum tu nimio dignaris honore
Inferiora tibi quæ te quoque judice cernis;
Quid tibi mirũ adeo est? an formæ externa venustas?
Membra externa equidem pulchra, & speciosa fatendũ
Subsidiis & amore tuo dignissima, nec non (est
Obsequiis, at non dominari in te quoque verum est.
Suspende hanc tecum in trutinâ, nec lumine privet
Cæca cupido animum ne possit cernere verum:
Nil etenim prodesse magis, nihil esse videtur
Utilius quam mens meritæ sibi conscia laudis:
Quo magis ergo tibi tua laus, tua gloria nota est,
Te magis illa sibi caput esse fatebitur, & te,
Submittens sua cuncta tibi, reverenter habebit,
Cui tantum formæ decus est, ut magna voluptas
Hoc tibi sit, cui frons tantæ gravitatis, ut illam,
Quam tibi junxit amor, socio digneris honore,
Quæ sua rite videt, tua cum tibi rite videntur,
Quod si tanta tibi videantur gaudia tactus,
Quo sese soboles hominum fœcunda propagat,
Ut cunctas alias superent te judice mundi
Delitias, tamen hæc etiam communia genti
Quadrupedum quadrare, tibi fateare necesse est,
At minimè brutis animantibus illa voluptas
Unquam indulta foret, si quid comprenderet in se
Quod gentem humanam meritis sibi subdere dignũ est
Imperiis, trepidoque animum vexare tumultu.
Quicquid in hac lecti socia est, quod amabile cernis
Esse vel humanum & lege haud rationis aberrat,
Illud ames, nam laudis amor dignissimus hic est,
At non immoderati animi vesana cupido,
Quippe hic verus amor non est, penetralia cordis
Intima purgat amor, & magna capessere mentem
Incitat, atque suam sedem in ratione locavit:
Judicio pollet, scala est quoque commoda, qua tu

Nixus ad ætherium possis ascendere amorem,
Ne pecudum ritu mergare libidine tetra,
Quare inter pecudes consors tibi nulla reperta est.
Rursus Adamus ad hæc ; subitum cui protinus ignem
Subjecit rubor & calefacta per ora cucurrit ;
Nec tam forma decens externaque gratia, nec tam
Gaudia concubitus cunctis communia brutis,
Quamlibet humani venerer mysteria lecti,
Atque huic connubio sua non reverentia desit ;
Perculsere animum mihi, quam tot ubique leporum
Millia, tot charitum cunctos comitantia gestus
Illius, & pariter cunctas comitantia voces,
Queis dulcis miscetur amor & blanda voluptas,
Concordes testans animos, animamque duobus
Unam in corporibus geminam sibi ponere sedem.
Harmoniam hanc in conjugio spectare, canorem
Harmonicum quam audire magis jucunda voluptas.
Non tamen hæc mihi corda domant;quæcunq; voluptas
Hinc mihi proveniat clara tibi voce retexi,
Sed minimè victus subigor domitusve fatiscor,
Plurima cum varios incurrunt obvia sensus.
Liber, & interea mihi quæ sunt optima visa,
Hæc probo,quæque probo cura est mihi justa sequendi.
Non tibi culpa amor est, etenim tu dicis amorem
Sydereas aperire domos & pandere Cœlum.
Sis bonus ergo mihi, precor, O facilisque roganti
Si concessa rogo : sanctæ super æthera vitæ
Ecquid amant ? quibus & signis testantur amorem ?
Vultibus an solis ? an & hæ sibi se quoque jungunt
Tangendo, aut aliis tactum rationibus æquant.
Cui tum subridens vultu, sacer Angelus inquit,
Purpureas imitante rosas, qui verus amoris
Est color, Hoc tibi scire sat est, nos esse beatos,
At sine amore aliquem nemo videt esse beatum.
Quæcunque in membris sine crimine pura voluptas
Corporeis

Corporeis capitur, nam tu quoque crimine purus
Factus eras, & nos pariter sentimus eandem
Nobiliore modo: nullus nos dividit artus,
Nec nostris membrana aut membrū amplexibus obstat,
Non arctis adeo jungit sibi nexibus aër
Aëra, spirituum quam cum natura piorum
Spiritibus commixta piis sine labe cohæret.
Ac dum se penetrant nihil hinc nihil inde resistit,
Ut caro carni, animæque animis ubi connectuntur,
Sed mihi tempus adest abeundi, en Phœbus in undis
Mergitur occiduis trans pulchra rosaria regni
Hesperii, viridesque æterno gramine campos;
Hoc, remeare, dato sum jussus in æthera signo.
Fortes este animis vos, ac in amore secundo
Ambo simul placidam fœlices ducite vitam.
Unum illud tamen admoneo, præque omnibus unum;
Semper amato Deum sincero pectore, semper,
Cui parere amor est, quicquid jubet aut vetat ille
Observa, legemque animo reverere sacratam!
Et cave ne mentem, stimulante libidine fœda,
Devius error agat per vim, cogatque patrare,
Libera quod per se fugit horrescitque voluntas.
Dedecus atque decus vita exitiumque tuorum
Te penes, in te omnis domus inclinata recumbit;
Ergo cave: si tu steteris mihi gaudia mille,
Cœlicolisque dabis cunctis: sta firmiter ergo:
Stare, aut præcipitem subito traxisse ruinam
Pro libitu tibi nempe tuo est concessa facultas,
Omnibus exactus numeris, ad opes alienas
Ne fuge, cuncta fugans irritamenta malorum.
Hæc ait & facturus iter surrexit, at illum
Alloquitur tali voce ac benedicit Adamus;
Quandoquidem sic hora vocat, nunc æthere missus
Hospes ad æthereum redeas fausto omine regnum,
Quippe minister eras ad nos legatus ab illo

Cujus ego immensam bonitatem admiror, adoro.
Tu mihi lenis eras, dictuque affabilis, ergo
Semper honoratum grato te pectore habebo.
Tu vero humano generi præbere benignum
Perge animum, dulcesque itera persæpe recursus,
Jamque vale dicto, viridem liquêre recessum;
Angelus astra, suum thalamum repetivit Adamus.

Finis Libri Septimi.

Para-

Paradisus Amissus.

Liber Octavus.

HActenus exposui vitæ millena prioris
Gaudia, cum Deus ac divino à numine missus
Angelus, alternas homini conferre loquelas,
Et sociare toros, & eisdem accumbere mensis,
Ac vernis epulari opibus persæpe solebant,
Sermonumque iterare vices; at comica tandem
In tragicam vertenda lyram; nam turpiter illinc
Diffidit, violatque fidem gens nostra rebellis:
Hinc alienati sævit furor iraque Cœli,
Arma manu, dirasque ferens in crimina pœnas,
Tristitiæ ingentes cumulos, barathrumque dolorum,
Supplicium primi sceleris scelus omne secutum est,
Morsque comes sceleris, mœrorq; anteambulo mortis.
Flebilis ille labor, sed nobiliora canuntur,
Heroique pedis potius dignanda cothurno,
Quam ferus Æacides, rabida qui turgidus ira
Ter circum Iliacos agitaverat Hectora muros,
Aut tumidus raptaque furens pro conjuge Turnus,
Neptuníve trucis furor, aut Junonis acerbæ,
Quorum alter populi fuerat mala pestis Achivi,
Hæc Veneris soboli tristes meditata ruinas.
Si modo materiam non dedecorantia præbet
Carmina syderei, mihi quæ favet incola regni,
Musa sacrata, polo mihi quæ sub nocte relicto
Sponte redire solet, venientem & pellere somnum

Materiam dictando novam torpentis in aurem,
Carminaque ex facili non præmeditata ministrat,
Ex quo hæc materies Heroa in carmina risit,
Lecta diu, seróque manu perarata trementi.
Non pugnas regumque ducumque & tristia bella
Condere fert animus, veteres quæ sola Poëtæ
Victuris soliti fuerant committere chartis,
Sola linenda cedro & lævi servanda cupresso
Crediderant: sævas equitum confingere turmas,
Agminaque infestis animis coeuntia gaudent,
Cum tamen interea patientia, gloria major,
Martyriique decus nullis celebrata camœnis,
Et neglecta jacent longis oppressa tenebris.
Nec ludos mea musa cupit, nec dicere cursus,
Nec pictas auro phaleras ostroque tapetas
Cornipedum, qui fræna truces spumantia mandunt,
Aut equitum clypeos claro fulgore micantes,
Concursusque equitûm gladiis hastisque ruentum,
Structaque magnifico convivia lauta paratu
In domibus latè rutilo radiantibus auro.
Namque humiles tantum artifices ea cura requirit,
Non opus hoc, opifexve Heroo nomine dignus.
His, nescire ego quæ fateor, nec scire laboro,
Altius ipse aliquid calido sub pectore volvo,
Quod mihi jure queat titulum nomenque Poëtæ
Addere, ni gelidæ regio fors pœne sub Ursæ
Sydere, vel mundi senium, vel nostra senectus
Canitiesque avidæ prohibent molimina pennæ,
Ac certè prohibere valent, si fortè priorem
Destituat comitem nostram sub nocte per aurem
Quæ resonare solet dulci sacra musa susurro.
Jam Phœbus caput abdiderat, Phœbique secutor
Hesperus, inducens pallentem temporis horam,
Quam tu nec tenebras, nec possis dicere lucem;
Sed cum luce tamen dubiæ confinia noctis.
Jam per Horizontem nigras expanderat alas,

Hinc

Hinc atque hinc piceis horrens nox atra tenebris,
Cum Satanas, nuper nitido qui Edenis ab horto
Terga dedit, metuens Gabrielis verba minacis,
Jam dirum meditando ſcelus ſibi pectora firmans
Depoſitoque metu redit, impavidusque futuri.
Nocte fugam rapuit, media ſub nocte redivit
Emenſus terræ ſpatium, nam tempora lucis
Inſidioſa fugit, quoniam qui lucis habenas
Temperat illum Uriel tacitè prorepere cernens
Admonuit Cherubos vigili in ſtatione manentes.
Atque ita cum magno damno atque dolore repulſus
Septem continuas medio ſine lumine noctes
Occultum tranſegit iter : ter circulus illi
Æquator peragratus erat, quater inde Boötes
Inter utrumque polum trajecto quoque coluro,
At nocte octavâ rediens regionis in illâ
Parte, ubi nec portæ fuerant, neque pervigil agmen,
Furtivâ venit ille viâ, neque cernitur ulli.
Ante locus quidam fuerat, (ſed tempore longo
Jam periit, quanquam rigidi non dentibus ævi
Tritus erat, ſed triſte ſcelus, crimenque malignum
Cauſa perire fuit ;) ubi vaſto gurgite Tigris
Floricomi exoriens Paradiſi in vallibus imis
Subter humum ſibi pandit iter , penetratq; cavernas
Donec parte ſui ſuperas evectus in auras
Aſtitit ambroſii mediâ fons dulcis in horti
Sede, ſalutiferi lambens confinia ligni.
Hoc pariter Satanas cum flumine viſcera terræ
Atra ſubit, pariter ſuperas emerſit in auras,
Fumiferâ tectus nebulâ, quæritque receſſum,
Quo tutus latitare queat : maris æquora vaſti,
Et latæ rimatus erat regna omnia terræ,
Uſque à floricoma regione Edenis amœnæ
Ultima trans Scythici glacialia frigora ponti,
Limoſamque ultra pigræ Mæotidos undam,
Nec breviore viâ infernas luſtraverat oras ;

Ac tandem Heſperium petit, & pertranſit Orontem;
Nec cœptum dimiſit iter, dum flumina Gangis
Tangeret, & rutilis Indi radiantis arenis.
Sic ille ingentem peragrans luſtraverat Orbem,
Et cuncta omniparæ ſpeculans animalia Terræ
Fraudibus, atque dolis ſerpentem excellere ſolum,
Propoſitiſque hunc poſſe ſuis aptare videbat.
Dumque animum nunc huc celerem nunc dividit illuc,
In parteſque rapit varias, perque omnia verſat,
Hæc alternanti potior ſententia viſa eſt.
Hunc legit eximium fraudis ſceleriſque miniſtrum,
In cujus latitans ſinuoſo corpore cæcos
Occultare dolos, & fallere lumina poſſet.
Verſutos quis in angue dolos miretur? in illo
Calliditas nativa viget, non inſcia fraudum.
Si tamen in reliquis adeo fraus callida brutis
Cernitur, extemplo hinc oriuntur ſemina juſtæ
Suſpicionis, habere aliquid latitans alienum,
Satanicoque intus validè torquerier œſtro.
Sic ſtatuit: primo gravidum tamen ille dolorem
Exonerat, triſtique has edidit ore querelas:
O ſimilis Terra alma polo: quin forſitan alto
Anteferenda polo; ſedes digniſſima Divis:
Quippe ut poſterior, perfectior eſſe videris.
Nam quis poſt meliora Deus pejora crearet?
O Cœlum terreſtre, alii circum undique Cœli
Te volitant, flammiſque ſuis tibi lumina præbent,
Lumina luminibus ſuperimpendentia denſis,
Quæ, quantum video, ſoli tibi cuncta miniſtrant,
Virtuteſque ſuas, radioſque in te ſimul unam
Conglomerant. Velut in medio Deus æthere centrũ eſt,
Diffunditque ſuas tamen ille per omnia vires,
Sic quoque tu centrum es, cui nempe tot orbibus orbes
Impliciti, lucemque ſuam, vireſque miniſtrant.
Quicquid enim virtutis habent, in ſe tamen ipſis
Nil pariunt, ſed cuncta tuo ſub viſcere, tum quæ
Nata

Nata solo, sed fixa solo radice tenentur,
Herbarum, fruticumq; genus, nemorumq; virentum,
Tum quæ flexibiles animati corporis artus
Sponte movent, mutantq; locum, volucresq;, ferasq;,
Cumque ipso quibus est major cognatio Cœlo
Sæcla hominum vitâ, ac sensu, & ratione vigentum.
Quanta ego lætitia, prorsus nisi janua nobis
Lætitiæ præclusa foret, percurrere possem
Omnia quicquid habes, miro discrimine, rerum
Jucunda simul arva fuga, simul æquora verrens,
Littoraque, & latos scopulos, rupesque cavatas,
Antraque sævarum latebris horrenda ferarum,
Et fluvios, vallesque cavas, atque ardua Terræ,
Umbrosasque comas nemorum, camposque jacentes?
Sed tamen hic blandam requiem, portumque salutis
Mî nusquam reperire datur: quo gaudia nostros
Stant plura ante oculos, plures mihi corda dolorum
Exagitant stimuli, quoniam contraria fatis
Omnia læta meis jam sunt, pejusque veneno
Redditur omne bonum, nec in altas aeris auras
Si remeare mihi detur fœlicior essem.
Sed nec in his terris, nec in æthere degere cordi est,
Ætherium nisi fas bello mihi vincere Regem.
Attamen interea mihi specula nulla refulget
Hinc curas relevare meas; solatia damni
Sunt hæc sola mei socios habuisse malorum,
Quamvis damna mihi longè hinc graviora redundent.
Namque necem cumulare neci mea sola voluptas,
Exitiumque aliis, diramque inferre ruinam.
Hunc tamen imprimis meditor, nisi fata resistant,
Perdere, jacturámve pati compellere duram
Cunctorum, quæcunque manu formata potenti
Concelebrare suæ jussit præconia famæ.
Hæc mihi si obtigerit subita convulsa ruinâ
Destruere, hujus erit consors simul ipse ruinæ,
Una salus ambobus enim est, unumque periclum.

Ergo

Ergo hæc vaſta dabo, & latè ſimul omnia perdam,
Ut dirum exitium laxa cervice vagetur.
Hinc decus, hinc ſurget mihi gloria ſcilicet ingens
Semideos inter ſtygios, quod lucis & umbræ
Curriculo exiguo ſimul omnia perdere poſſem,
Queis ille Omnipotens (namq; hunc ita nomine dicunt)
Sex numero luces, totidemque impendere noctes
Fingendis compulſus erat; quis noverit autem
Tempore quam longo hæc animi in penetralibus imis
Præmeditatus erat? quanquam haud fors longius illo
Tempore, cum Angelicæ, duce me, pars magna ca-
Servili reſoluta jugo ſpoliverat illum (tervæ
Cultorum ingenti numero: nunc ergo furore
Ille tumens, pœnæque avidus, damnique dolorem
Accepti relevare parans, ſeu priſtina virtus
Jam periit, gentem Angelicam qua condidit olim,
(Si tamen hujus erat non mendax gentis origo)
Seu noſtrum ut ſtimulis animum magis acribus angat;
Ille animal luteæ ſtatuit de pulvere terræ
Et facere & factum ad noſtros attollere honores,
Et vili quamvis humilique ab origine cretum
Ætheriis ſpoliis, ſpoliis circumdare noſtris.
Nec fecit ſecus ac ſtatuit, tellure creatum
Finxerat ille hominem, vaſtæque hæc omnia terræ
Regna tenere dedit manſuram in ſæcula ſedem.
O pudor! hunc terræ dominū vocat; huic quoq; gen-
Angelicam ſervire jubet, noctesque dieſque (tem
Circum hunc flammiferos jubet invigilare miniſtros,
Horum oculos metuo, ſtudeoque evadere denſa
Obtectus noctis nebula, piceiſque tenebris,
Et paſſim dumos virides, paſſimque pererro
Sylveſtres umbras nemorum, ſi qua mihi detur
Serpentem ſomno poſitum deprendere, cujus
Furtim incluſus ego ſinuoſo in corpore, tutus
Meque ſimul fraudeſque meas abſcondere poſſim.
Heu ego quam celſo cecidi de culmine lapſus!
Qui modo divinas ſperabam aſcendere ſedes, In

In celsoque Dei solio considere, cogor
Viscere me vacui ratione recondere bruti,
Qui mihi visus eram divûm potiturus honorem.
Quo tamen erubuit sese demittere fervens
Ambitionis amor studiumque immane nocendi.
Quicunque alta volunt ascendere oportet ad imum
Serius aut citius posito descendere fastu.
Primâ fronte quidem dulcis vindicta videtur,
Post fit acerba gravemque sibi parit ipsa ruinam.
Quin pariat, pereatque suis confixa sagittis,
Dummodo lethiferi transmittat acumine teli
Altius ire licet nequeat, qui proxima nobis
Vulnera dat, facibusque novis livoris adurit
Delicium Cœli, domino nova gaudia præbens
Pulvere factum hominem, sobolem livoris iniqui.
Quem bilem ut nobis magis ulceret, edidit atro
Pulvere, jure igitur livorem ulcisceře livor.
Hæc ait, & tectus nebula dumosa per arva
Perque lacus liquidos humili se corpore volvit,
Sicubi nocturnâ reperire indagine possit
Serpentem: hunc somno positum deprendit in orbes
Contortum & vario sinuatum corpora flexu.
Fraude doloque caput plenum in medio eminet altè,
Non umbras inter nemorum, piceove sub antro,
Non lædens, aliosve timens, aliisve timorem
Injiciens, toto proflabat pectore somnum,
Gramineo in campo recubans: penetravit in ejus
Os Satanas, brutosque movens in pectore sensus,
Aut capite, humanæ rationis acumine brutum
Imbuit; interea placidum turbare soporem
Noluit Auroræ, donec rubor Æthera tingat,
Jam super Edenis rorata rosaria dulcis,
Ambrosiam latè spirantia matutinam
Aurea manè novo radios lux fudit Eöos.
Omnia cum pariter vitale videntia lumen
Artifici tacitas magnâ telluris ab ara

Obtulerant

Obtulerant laudes, gratis & odoribus ejus
Naribus insinuant; tum vir cum conjuge carâ
Progressi tacitis aliarum adjungere rerum
Laudibus alta suæ gaudent præconia linguæ.
Has ubi voce Deo laudes dixêre, per hortum
Floribus exultant nitidis, ac lenibus auris
Aurorâ radiante novâ dulcedine plenis.
Proxima cura fuit tunc materiesque loquendi,
Quâ ratione operi crescenti impendere lucem
Expediat; crescebat opus, longéque duorum
Vicerat ille manus vasti labor arduus horti.
Ac primum Eva suo sic infit voce marito:

Hortus, Adame, vides nostrum sine fine laborem
Postulat, & flores, plantæque, herbæque recentem
Fertilitate suâ curam sine fine requirunt.
Jucundum hoc opus est, manuum sed copia major
Hic sociam nisi jungat opem, novus, ecce, labori
Additur usque labor, & luxuriantia frustra
Germina conamur studiis compescere junctis.
Quicquid fulcimus, vel nectimus, atque putamus
Sole micante, iterum nox una aut altera vincit,
Atque opera assiduæ deridet inania dextræ.
Crescit in immensum labor hic, nunc ergo monenti
Aurem adhibe, hæc animi nunc est sententia nostri.
Si tibi fortè placet, mecum partire laborem,
Tu quocunque animus vocat aut res, dirige gressum,
Sive Amerina paras lentæ retinacula viti,
Sive hederæ, quo scandat, iter tibi pandere cordi est:
Hæc ego dum tenerâ permixta rosaria myrto
Perlustrans usque ad medium Titana laboro.
Namque ubi tota dies junctos nos detinet ambos,
Alter in alterius dum jactat lumina vultum,
Risus & intuitus medium persæpe retardant
Officium, dulcesque moras nectendo diurnum
Sermo abrumpit opus, quamvis hoc mane recenti
Cœperimus, sic cœna redit non debita, tardis.

Cui tum reſponſum placidis ita reddit Adamus
Vocibus; Eva, meæ comes una & maxima vitæ
Gloria, præque aliis longè dulciſſima rebus;
Hæc rectè tua lingua refert, laudandaque certè
Sunt animi conſulta tui, quæ ſedula quæris,
Quâ ratione operi, quod nobis Rector Olympi
Imperat ætherii, fœlicem imponere finem
Nos deceat: meritoque meo celebrabitur ore
Laus tua: fœminei magis ecquid amabile ſexus
Eſſe poteſt, quam cura domus materna, animumque
Inflammare ſui pietatis amore mariti?
At Deus haud noſtro impoſuit juga triſtia collo,
Gaudia nec mediis vetat interponere curis.
Membra cibo, alternis animum recreare loquelis,
Aſpectuque ſinit, riſuque levare laborem.
Riſus enim rationis opus, brutoque negatur.
Hinc amor ipſe capit vires, amor optima rerum
Maxima ſuppeditans noſtræ ſolatia vitæ.
Non etenim durus labor, at jucunda voluptas,
Atque voluptati ratio comes addita, noſtræ
Meta ſcopuſque fuit, præſcriptaque regula vitæ.
Ne dubita noſtris manibus nos poſſe duorum,
Quantum opus eſt ſervare vias, dulceſque receſſus
A ſylvæ immunes latebris nemorumque tenebris,
Donec opem nobis ſoboles numeroſa miniſtret.
Si tamen immodici congreſſus tædia gignunt,
Non breve diſſidium invideo, dulcedine mirâ
Mens ubi ſola manet fruitur, conſortia paulum
Intermiſſa animis redeunt gratiſſima noſtris.
Sed me ſollicitudo trahit, ne, ſi procul abſtes,
Fors inopina tibi damnum ferat. Aliger hoſpes,
Ut noſti, admonuit, quam ſævus & horridus hoſtis
Immineat noſtro capiti: nos eſſe beatos
Ille dolet, quanquam ipſe miſer per ſæcula duret.
Ille dolos, dirumque nefas in pectore verſat
Triſtia damna parans, miſerumque inferre pudorem,

Nec procul haud dubiè vigilat, si occasio detur
Quam cupido captat studio, nos nempe seorsim
Diversis reperire locis, queis retia junctis
Nulla parare potest, nulloque attingere telo,
Dum nos alterno auxilio studioque tuemur,
Sive studet nostros animos avertere sancti
Lege Dei, blandive faces extinguere amoris,
Quo nihil illum aliud stimulis magis urget acutis
Invidiæ, quodcunque videt, mœretque videndo;
Sive aliud magis horrendum, sub corde volutat,
A latere illius ne abscedito, qui tibi vitam
Munere dat, cupidéque datam servare laborat.
Imminet uxori si dedecus atque periclum,
Tuta & honesta viro juncta hæc manet; ille timenti
Præsidio est, sociúmve mali se adsciscere gaudet.
Illum virgineâ cum majestate tuetur
Eva decens, mixtumque irâ manifestat amorem,
Dulcibus ora modis in talia verba resolvens:
O soboles Cœli atque soli, cui subdita tellus
Integra, novi equidem, nobis gravis imminet hostis.
Indiciisque tuis hoc indiciisque beati
Hospitis addidici superam redeuntis in aulam,
Dum post terga steti viridi contecta sub umbra,
Flore suos claudente sinus sub vesperis horam,
Sed labefacta fides in te ne nostra fatiscat,
Inque Deum, poteras ulla formidine mentem
Sollicitare tuam, nobis quia perfidus hostis
Nocte dieque inhiat? de te nil tale verebar.
Illius attonitam tibi non violentia mentem
Terrificat, nam luctus atrox, lethumque tremendum,
Per quem ad nos penetret aditum non invenit ullum.
Hosticus ergo furor cessat poteritve repelli;
Fraus inimica tamen timor est, patet ergo timorem
Inde venire tuum, nostram ne callidus hostis
Forte fidem violet, validumve infirmet amorem.
Suspicio unde tuam queat ista invadere mentem

De consorte tori, quæ te tibi carior ipso est?
Rursus Adamus ait placido sic ore benignus:
Orta Deo, simul orta viro, non obvia morti
Fœmina, nam fœdo tibi pura à crimine mens est.
Non abitus inhibere tuos, mea vita, laboro,
Suspiciosa animum quasi diffidentia nostrum
Vexet; at hostis atrox ne te licet irritus ullis
Appetat insidiis, nam queis licet irritus ullos
Iste struit laqueos, illorum nomina fœdis,
Quanquã indigna, notat maculis, quasi non foret illis
Firma fides, nulloque dolo violabile pectus.
Quin generosa tuam mox indignatio mentem
Corriperet, meritasque animum stimularet in iras,
Si quisquam hac tentet te fraude lacessere, quamvis
Fraus fructu hæc caritura foret: ne, quæso, dolori
Sit mea cura tibi, quod te servare pudendis
Immunem à maculis, ignominiaque laboro.
Causa timoris adest tibi si datur obvius uni
Hostis atrox, nam vix simul aggredietur utrumque,
Aut si aggressus erit, forti huic ego corde resistam:
Neve dolos fraudemque animi contemne maligni,
Ille dolosus erat, poterat qui fallere gentem
Angelicam; neve auxilium contemne alienum.
Virtus quæque tui vultus à lumine vires
Accipit usque novas: ego, me dum lumine spectas,
Plus sapio, plus invigilo, plus robore præsto;
Quod si corporeo sit opus mihi robore, te nos
Aspiciente, pudor vires & conscia virtus
Eriget, erectasque simul glomerabit in unum:
Cur non ergo eadem tibi me spectante cieret
Vis animum? cur non potius commune periclum
Me subeunte subis, bene cui tua cognita virtus?
Talia dicta dedit, quæ cura domestica, nec non
Conjugialis amor sibi tum suggessit: at Eva,
Indubitare suæ fidei quia credit Adamum,
Blandiloquâ sic voce refert: Si sors ea vitæ est,

Hostis

Hostis ut exiguo teneat nos limite clausos,
Callidus & violens, simili tutamine dum nos
Deficimur, quocunque loco datur obvius, ecquid,
Dum stat ubique pavor, nos possumus esse beati?
Damna scelus nequeunt præcedere: quamlibet hostis
Turpia probra jacit laqueos, & retia sternens,
Ceu laqueis nos ille suis involvere posset,
Nostra haud inde potest maculis fœdare pudendis
Nomina; quin tali opprobrio sibi dedecus ipsi est.
Hinc igitur quæ causa fugæ? quæ causa timoris?
Nam noster geminatur honos ubi proditur hostem
Nos falsis oneràsse probris; pax intus abundat,
Testaturque suum Deus applaudendo favorem.
Et quid firma fides, quid amor, quid candida virtus
Laudis habent, sævis nisi sunt expôsta periclis,
Robore nixa suo, nuda auxiliis alienis?
Absit ut artificem mundi, sapientia cujus
Non unquam labefacta fuit, tu crimine fœdo
Condemnes, quasi nos omni non ille timore
Jusserit esse procul junctos, pariterque remotos:
Sors ea si nostra est, malefirmo est credita fulcro;
Nec Paradisum equidem Paradisi nomine dignor.
  Rettulit irâ igitur callidâ stimulatus Adamus,
Optima sunt, mulier, statuit quæcunque voluntas
Sacra Dei; nihil imperfectum, ulláve notatum
Labe creat divina manus, nedum quibus auræ
Particulâ ætheriæ luteos animaverat artus.
Hos procul à sævis subduxit in alta periclis,
Externoque timore procul: si læditur usquam,
Læditur intus homo: tamen hoc vitare periclum
Ille potest: nullam patitur, nisi sponte, ruinam.
Nulla voluntatem omnipotens servilia jussit
Jura pati, cui dux ratio est, ideoque necesse est
Libera sit, nulloque jugo cervice prematur.
Recta creata fuit ratio, tamen illa jubetur
Intento vigilare oculo, ne forsitan ullum

Fallat

Fallat eam vitium ſpecie virtutis & umbrâ,
Cum ſit triſte habitu, vultuque, & veſte ſeverum.
Neve voluntatem cæcatam à tramite recto
Seducat, jubeatque Dei contraria juſſis.
Non dubitata fides, ſed amor me blandus amicos
Inculcare jubet monitus: tu nos quoque noſtri
Officii pariter iterumque iterumque moneto.
Firmi ſtamus adhuc, ſed præcipitare repente
Poſſumus, occurrat ratio ſi forſitan ulli
Flagitio, hoſtis atrox falſi quod fucat honeſti
Tegmine, ſic poterit laqueis incauta teneri,
Hoc niſi, uti monita eſt vigili prævertat ocello.
Cur, ſatius vitanda tibi, tentamina quæras?
Sponte ſuâ hæc veniunt, nullo quæſita labore,
Quæ mihi juncta potes vitare, aut pellere ſaltem.
In pietate cupis conſtans & firma videri?
Morigero tum ſis animo, namque altera virtus
Quo fuerit monſtranda modo, niſi pignore certo
Illa probata foret? ſed ſi venientia ſponte
Tentamenta duos minus inventura paratos
Quàm te unam memori monitus hos mente tenentem
Fortè putas, i, tende gradum; nam te tua certè
Hæc magis abſentat præſentia, libera nî ſit.
Has hominum primus genitor dedit ore loquelas,
Propoſitum tamen Eva premit, dulcique marito,
Talibus ora ſonis ſubmiſsâ mente reſolvit.
Permiſſam libet ire viam, libet ire parato
His monitis animò, ſed quæ modo verba cadebant
Ore tuo, nos poſſe duos commune periclum
Ex improviſo, & minimè reperire paratos,
Hæc mihi dant animos, hoſtis vix (credo) ſuperbus
Debiliora ſuæ petet ipſo in limine pugnæ:
Sin ita, major erit pudor atque infamia victo.
Hæc dixit, niveamque manum, connexa virili
Quæ fuerat manui, placidè, geſtuque pudico
Subduxit, leviterque volavit Oræadis inſtar,

Vel Dryadis, comitisve tuæ, vaga Delia, turbæ
In nemorum tenebras : sed nec circumvolat ipsam
Gratia tanta Deam, quanta hanc,quocunque locorum
Fœmineos movet illa gradus : sed non tamen arcum
In manibus gerit illa suis, humerove pharetram,
Noctivagæ de more deæ, suspenderat ullam.
Tunc opus haud armis pugnacibus, arma sed illi
Sarcula sunt, rastrique graves, longique ligones ;
Sive opus humanum, seu forsan ab alite sacro
Sunt allata homini jussu Rectoris Olympi.
Par ea visa Pali, Pomonæque æmula vultum,
Pomonæ, cum terga Deo fugitiva dedisset
Ambiguo ; & roseæ Cereri sub flore juventæ,
Virginitas dum pura, Jovi illibata, manebat.
Jlle diu cupidos visu fugientis ocellos
Oblectat, sed iter tamen illam abrumpere cœptum,
Inque suos remeare sinus & brachia mallet,
Sæpe redire cito monuit, sæpe illa spopondit
Sub mediam remeare sua in penetralia lucem
Ordine dispositis capienda ad prandia rebus,
Carpendamque, fames epulis cum exempta, quietem.
Heu miseris decepta modis ! subitique recursus
Falsa heu, Eva, tui vates ! heu exitus atrox !
Haud unquam reperisti in floricomo Paradiso
Ex illo dulces epulas placidamve quietem.
Quippe inter sylvas & odora rosaria sævis
Effera vis odiis stygii se abscondit averni,
Ut rumpat venientis iter, vel sorte beata
Te spoliet, vacuamque fide & pietate remittat.
Quid ? quod ab Auroræ primo fulgore rubentis
Egressus Satanas, serpentis corpore tectus,
Ceu serpens merus ille foret, loca lumine lustrat
Omnia, bina hominum quærens exempla, ut in illis
Omnia sæcla hominum pariter venientia perdat.
Hos passim per prata virentia, perque recessus
Umbrosos nemorum, pulchra & violaria, dulces
Inter

Inter aquas, queis densa salix circumsita, quærit;
Quærit utrumque, tamen magis ille optaverat Evam
Semotam reperire viro, & sine vindice solam.
His vero optatis inhiet licet ore patenti,
Quando hæc rara avis est, vix sperat posse potiri.
Speque fideque tamen majus mox accidit; Evam
In mediis videt ecce rosis sub nube latentem
Ambrosiâ, hic flores tenui jam caule labantes,
Aurum, ostrumve licet, vel purpura tinxerit illos,
Demisere caput, pluvio velut imbre gravatum.
Hos fulcire igitur myrto parat illa virenti.
Ipsa tamen florum longè pulcherrima, nescit
Se nunc esse suo procul à fulcimine, cui mox
Atra procella aderit, tempestatesque tremendæ.
Jam propior propiorque venit multosque viarum
Transversim tractus peragrat, quos undique densis
Cedrus odora comis vel palma aut pinus obumbrat,
Nunc manifestus erat sinuosa volumina versans,
Nunc latet alternæ subter viridantia sylvæ
Brachia, nunc densis medium se in floribus abdit
Omni in colle sitis; niveæ fuit hic labor Evæ.
Dulcior ille locus quam fictus Adonidis hortus,
Fabula carminibus veterum notissima vatum,
Hortus & Alcinoi, placido qui acceperat olim
Hospitio Laërte satum: vel vinea dulcis
Illa tua, O Solomon, ubi mutua gaudia tecum
Filia Niliaci carpsit generosa tyranni.
Ille locum, dominamque loci magis ille stupescit.
Ut quem longa dies populosa incarcerat urbe,
Ut primum æstivi rediviva crepuscula Phœbi
Paulatim incipiunt densas tenuare tenebras,
Et revocare diem, mox urbe excedit, & agros
Contiguos errore vago villasque revisit.
Atque voluptatem tunc obvia quæque ministrant:
Graminis herba virens, sata læta boumque labores
Naribus insinuant; visis quoque lumina vaccis

Lanigeriſque ovium gregibus captiva tenentur.
Ridet ager : ruriſque ſoni, ruriſque colores,
Aures atque oculos rapiunt dulcedine mirâ.
Interea ſi fors oculis datur obvia virgo,
Flaventes ſpecioſa comas, greſſuque ſuperbo
Sylveſtres imitata Deas, quæ jam ante placebant
Hac viſâ magis illa placent, atque hæc magis illis,
Atque voluptates in ſe una recolligit omnes.
Tali lætitiâ ſerpentis pectora palpant
Avia denſa roſis Evæ nemoralia, quæ nunc
Unica manè novo, nullo comitante, pererrat.
Ingens frontis honos, divinaque gratia, formæ
Angelicæ ſimilis, ſed mollior, utpote ſexum
Non mentita ſuum, & recti ſibi conſcia virtus,
Quique omnes geſtus, omnes decor illius actus
Inſequitur, furiaſque truces, iraſque retundunt
Serpentis, blandéque inhibent, dulcique rapinâ
Flagitiis ſpoliant medio in molimine cœptis.
Quippe malo malus iſte ſuo nudatus in illâ
Hæſit, & exiguo ſtupidè bonus intervallo
Paulùm inimicitiis poſitis, & fraude malignâ,
Invidiâque, odioque truci, ſtudioque nocendi.
Orcus at, in medio ſemper qui exæſtuat illo,
In medio licet ille polo conſideret, illam
Lætitiam facit eſſe brevem, duplicantque dolores
Gaudia viſa graves, ſibi quod videt illa negari.
Antiquumque odium, vetereſque recolligit iras,
Nequitiamque animi ſic excitat ille maligni.
O animi conſulta mei, quo devia tandem
Me rapitis ? metaque procul deerrare petita
Cogitis immemorem fuerit quæ maxima longæ
Cauſa viæ ? nempe huc odium mihi cauſa venire eſt.
Non amor, ambroſii non credula ſpes Paradiſi
Pro Stygis horrendæ tenebris, & nocte profundâ,
Spéſve voluptatum, nam nunc mea magna voluptas
Deſtruere, atque hilares lachrymis mutare triumphos.

Prætereunda mihi non eſt occaſio præſens,
Quæ nunc arridet vultu mihi læta ſereno.
Sola ſtat, ecce, dolis atque obvia fæmina noſtris,
Atque remota ſuo (latè omnia cerno) marito.
Illius ingeniumque capax, vireſque valentes,
Impaviduſque animus, robuſtaque corpora, quamvis
Pulvereo fabricata luto, formidine mentem
Sollicitant, vexantque meam. Formidine juſtâ
Hic mihi corda movet, vacuus cum vulnere vivat,
Non ego: Tartarei tantum nox atra barathri,
Luctificuſque dolor minuerunt robora, quamvis
Sedibus in ſuperis adeo mihi firma fuerunt.
Formoſa illa quidem eſt, divinæque æmula formæ,
Atque ipſis adamanda Deis, non terror in illâ eſt,
Quamvis ipſi etiam terror gravis inſit amori,
Vultibus & niveis, odium niſi fortius inſtet,
Terribiliſque furor ſub imagine tectus amoris;
Quâ jam illi meditor ratione inferre ruinam.
Sic ait humani generis ſæviſſimus hoſtis
In ſerpente latens, hoſpes malus, atque ita greſſus
Dirigit ille ſuos, pulchramque accedit ad Evam;
At non pronus humi, velut illo à tempore ſemper,
Et ſine fine ſolet: ſed in altas aëris auras,
Erigit in varias ſurgentia corpora ſpiras,
Gyrum & continuo ſuperans petit ardua gyro.
Criſtatumque caput ſupereminet; atque pyropi
Lumina cœruleas radiant imitantia flammas.
Fulgida colla micant, rutilo ſuccenſa metallo,
Colla inter medias altè radiantia ſpiras,
Spiras, quæ per humum viridem volvendo redundant.
Forma decora fuit, meritumque accendit amorem.
Non alius ſerpens oculis fuit ullius unquam
Viſus amabilior; non in quos Cadmus in oris
Illyricis converſus erat cum conjuge carâ;
Non, Epidaure, tuus, non in queis priſca vetuſtas,
Ammoniumque Jovem, Capitoliumque videbant,

Quorum clam veniens tenebrosâ nocte subegit
Alter Olympiadem, gravidam sed fecerat alter
Illam, quæ tibi mater erat, qui, principe pulso
Pœnorum, extuleras sublimen ad sydera Romam.
Ac primum obliquos graditur sinuatus in orbes
Tanquam aditum cupiat, verum importunus haberi
Non cupiat, simulatque gradu transire propinquo.
Ut puppis, Domini dextra moderante periti,
Littora cum ingreditur, sinuosive ostia rivi
Obliquata sinus simul & moderamine verso
Jam liquidum convertit iter, quia vertere ventos
Cogitur: haud alio sinuans vestigia flexu,
It redit ante oculos Evæ, variansque recursus
Illecebris hanc ille suis captare laborat:
Illa intenta operi, nemoris moti aure sonorem
Ipsa immota trahit, varios nam fingere lusus,
Illius ante oculos animalia cuncta solebant,
Obsequiisque avidis accurrere promptius, illis
Quos hominum ex facie dea sæva potentibus herbis
Induerat Circe in vultus ac terga ferarum.
Jamque metu sensim posito, coram ille videndum
Se dedit, at vultu interea mirantis in illam
Respicit, obtutuque hæret defixus in uno:
Signaque facta pedum cœnoso in pulvere lambit.
Lusibus innumeris tandem gestuque loquaci
Attrahit Evæ oculos, voto vafer ille potitus
Gestit ovans, linguamq; movens bruto ore trisulcam,
Aut vocem in vacuis effingens forsitan auris
Talibus incautam parat irretire loquelis.
Ne mirare, precor, superis æquanda benigno
O Regina animo, tibi si mirabile quidquam
Forsitan esse potest, quæ tam mirabilis ipsa es,
Nec trahat ira animum, socio, quod, nemine, gressum
Huc propius propiusque feram, nec terrear alto
Frontis honore tuæ, quam nunc magis esse verendam
Efficiunt sylvæ tacitæ, nemorumque recessus.

Effigies

Effigies O viva Dei cui cuncta benignus
Ille fruenda dedit vitale videntia lumen:
Omnia te attonitis animis animalia spectant,
Oblectantque avidos inhiando in te, Dea, visus.
Quæ nusquam melius, nisi ubi simul omnia cernunt,
Cerneris: at vacuæ deserta hæc avia sylvæ
Quid nisi bruta colunt ratione carentia, quæ te
Virtutesque tuas minime discernere norunt.
Quid te præterea nisi vir videt unicus? & quid
Unicus ille tibi est? digna es super astra videri
Tu Dea mixta Deis, tibi se prosternere debent
Agmina flammiferæ numerum superantia turbæ.
Talia tentator verbis prælusit amicis
Callidus, atque aditus animum sibi pandit in Evæ.
Voce licet stupefacta foret, tandem illa regessit
Attonito perculsa animo: quidnam hæc nova monstra
Significant? brutumne humanas promere voces
Humanique animi sensus? ego bruta prioris
Nescia credideram, mundi quibus ille perennis
Rex iterare dedit certos tantum ore sonores,
An ratione tamen careant hæc omnia, nuto.
Hanc etenim vultuque suo gestuque videntur
Prodere, te serpens jamdudum vincere nôram
Fraudibus atque dolis animalia cætera, sed non
Audieram humanas antehac te expromere voces;
Hæc igitur tu nunc iterans miracula, narra
Qua ratione tibi ex muto proferre loquelam
Posse datur; nec non cur tam mihi factus amicus
Præ reliquis, quæcunque oculis sese obvia passim
Quotidie dant bruta meis: age, dicito, quæso,
Namque audire aveo tanti miracula monstri.
Subdolus huic iterum tentator talia reddit:
O Regina, novum cui Rex dedit Ætheris orbem,
Eva decora, mihi facile est tibi prodere verbis,
Quæ rogitas, æquumque tibi est parere jubenti.
Par aliis brutis viridem tondentibus herbam

Ipſe ego nuper eram, tantummodo vilia curans,
Vilis ut eſca fuit; tantum hæc duo nota fuerunt
Sexus & eſca: aliud nihil altius ipſe petebam.
Donec ego campos virides dum fortè pererro,
Tandem ſeſe oculis arbor procul obvia noſtris
Poma oſtro decorata gerens, aurique metallo
Obtulerat, cui tunc propius me ardore videndi
Admoveo; Ambroſium ramis diffudit odorem
Illa ſuis, raptumque magis dulcedine ſenſum
Exhilarat mihi, fœniculum quam ſuaviter halans,
Aut plenum uber ovis ſaturæ, ſaturæve capellæ,
Quas non agna ſuis petulans, hædusve labellis
Attigit: ad pulchros, ſtimulante cupidine fructus,
Queis avido ore inhio, properè, mora nulla, propinquo,
Nam ſitis atque fames, valida irritamina, pomis
Concita odoriferis mihi corda libidine pungunt.
Tunc ego multiplicans ſinuoſa volumina, truncum
Muſcoſum aſcenſu ſupero, vix tu (vel Adamus)
A Terrâ poteras imos contingere ramos
Illius, uſque adeo ſublimis in aëra ſcandit.
Brachia ſpectabant animalia cætera circùm
Arboris aëriæ, ſimilique ardore remotis
Fructibus illa procul inhiant, quos tangere non eſt.
Jamque ſuper medii reſidens ego brachia ligni
Divitiis onerata ſuis, non carpere ceſſo
Ad libitum veſcique meum, nam gaudia nulli
Antehac tanta cibi dederant; neque fluminis hauſtus:
Hic ego dum ſedeo ſpoliis lætatus opimis,
Intima noſtra brevi penitus mutata videbam;
Jam mihi donata eſt ratio, nec voce carebat
Lingua diu, aſt eadem exterius mihi forma manebat.
Ad ſpeculanda animum magni myſteria mundi
Ardua tendo meum, tenebriſque immerſa profundis,
Et, quæcunque polus ſublimis & infima tellus,
Atque aer medio poſitus dedit obvia noſtris
Contemplanda oculis, ſtudio perluſtro ſagaci:

Pulchraq; cuncta quidē, ſimul & bona cuncta videbam,
Verum in te ſimul omne bonum, pulchrumque coïre
Reſpicio, haud aliud ſimile eſt, aliúdve ſecundum
Vultibus, O formoſa, tuis: hæc cauſa coëgit
Me ſenſim propius propiuſque accedere, fixis
Ut te luminibus ſpeculer, te pronus adorem,
Omnia viva regens regina ac arbitra mundi.
Talia dicta dedit Satanæo concitus œſtro
Anguis, at Eva ſtupens, fraudumque ignara regeſſit,
Immoderata tuæ ſerpens præconia linguæ
Arboris indubitare facit virtutibus illis,
Quas tu primus eras expertus. At hæc ubi creſcit?
Fare age,quamq; procul diſtat? nam plurima creſcunt
Ligna Dei ambroſio circumcirca in Paradiſo,
Diverſos fœtus parientia, maxima nobis
Nunc quoq; pars ignota manet: tam largus abundat
Proventus, ſupereſt pomorum copia major
Noſtrâ intacta manu, ramis oneroſa decoris
Sarcina, nec poterunt decerpi hæc omnia, donec
Naturam exoneret manuum vis magna novarum.
Subdolus ergo refert animo gaudente Ceraſtes:
O Dea, recta via eſt, ſpatiis nec diſſita longis,
Ultra myrtorum ſeriem, ſuper æquora campi,
Propter aquæ rivum, generoſa hæc eminet arbor.
Si nemus exiguum miſtâ quod balſama myrrhâ
Efficiunt, tranſire libet, niſi me tibi forſan
Dedignare ducem, duce me ſiſtêre petito
Mox, mora nulla, loco. Quin, duc, age, rettulit Eva.
Ille ruit celeres ſubito ſinuatus in orbes,
Tranſverſumque facit rectum vafer ille videri,
Promptus in omne ſcelus: ſpe criſta attollitur altè,
Lætitiâque novâ radiat: ſic nocte vagatur
Materiâ pingui exoriens erraticus ignis,
Quam denſant tenebræ, circumdant frigora, tandem
Sæpe agitando rapit ſpatioſam in fomite flammam,
Quam, ſic fama, ſolet genius comitare malignus

Illa

Illa per aërios fallaci lumine campos
Cursitat, erronemque vagum seducit in altum
Nocte silente lacum, aut sparsas per prata paludes,
At mediis miser ille vadis immersus inhæret
Urbe domoque procul. Tali splendore refulget
Anguis atrox, nostræque trahit vestigia matris,
In laqueos, vetitique ostendit germina ligni,
Germina dira, mali caput exsecrabile nostri.
Hæc ubi visa, duci tum talibus illa resolvit
Ora suo: heu vano piget indulsisse labori,
O serpens, labor hic fructum haud mihi protulit ullū,
Quamlibet hic fructus ingens sit copia; cujus
Te penes esto fides quam sit miranda potestas,
Mira quidem, si tale bonum producere possit.
Sed Deus hoc vetuit gustare aut tangere lignum,
Divinæ illa fuit lex unica filia vocis,
Nos etenim nobis quoad cætera lex sumus ipsi,
Insita quippe animis ratio pia jura ministrat,
Cui tum sic animo serpens ait ille doloso.
Au quid ais? mundíne patrem potuisse vetare
Omnibus ex hujus ne passim fructibus horti
Pro libitu vesci liceat, quanquam undique tellus
Quicquid alit, quicquid vacuum ferit aëra pennis,
Imperiis latè subjecerit omnia vestris?
Eva refert immunis adhuc à crimine: fructum
Omnem pro arbitrio licitum est decerpere nostro,
Excepto hoc uno, quod in his nos crescere ramis
Cernimus ambrosii medio in gremio Paradisi.
Dixit enim omnipotens, gustare aut tangere lignum
Hoc veto, vel mors dira trahet vindicta rebelles.
Vix ea dicta dedit, Satanæ cum audacia crevit
Major, at hanc zeli velo atque ardentis amoris
In genus humanum catus ille obtexit, & iræ
Sympathicæ, cœpitque novum jam sumere vultum,
Haud secus ac vario curarum fluctuet æstu
Turbidus, atque tamen curam gerit ille decori,

Tanquam

Tanquam aliquid fari incipiat magno ore sonandum.
Ut cum Cecropiis orator clarus Athenis,
Aut Romæ rerum Dominæ, decoraverat olim
Eloquii quas fama duas, cum dicere primum
Cœperat, ille oculos paulum tellure moratos
Sustulerat, calidæ fecitque silentia turbæ
Majestate manus, expectatoque resolvens
Ora sono causam subito, quia juris & æqui
Plenus amore, moras male fert, properavit ad ipsam,
Sic stans aut sinuans sese, aut trabe rectior exstans
Tentator plenus furiis ita protinus infit.
O sacra, O sapiens, sapientem O reddere præsens
Planta decora animum, & rerum secreta revelans,
Nunc in me interius patefit tua magna potestas,
Quæ mihi non tantum rerum cognoscere causas
Posse dedit, sed nosse vias quibus omnia fingunt
Artifices, clarum queis dat sapientia nomen,
Quorum fama volat magni super ardua mundi.
O Regina, novi cui subsunt omnia mundi,
Ne vanis moveare minis, mortémve pavescas
Vos etenim mors nulla trahet, mors nulla præhendet.
Nam quæ causa foret mortis? num germina ligni
Formosa hæc vetiti, capit unde scientia vitam?
Disce meo exemplo minitantia spernere verba,
Hunc ego jam fructum tetigi, tactumque comedi,
At vivo vigeoque tamen, dumque alta capesso,
Vita inventa mihi est potior, quam fata dederunt.
Ergo homini an poterunt brutis concessa negari?
Usque adeóne Dei poterit stimulare furorem
Culpa levis? quin vos potius mirabitur ille
Non mortis timuisse minas, quin acribus ambo
Quæratis studiis, animo haud formidine fracto,
Quod vitam possit facere & servare beatam,
Nempe bonum nosse atque malum discrimine certo.
Nam bona nosse bonū est: quin & mala noscere multū
Expedit, ut vitare queas, ubi nota patescunt.

Haud-

Haudquaquam ergo Deus poterit vos lædere salvâ
Justitiâ, & nisi justus erit, Deus esse nequibit.
At si non Deus est, sancti quæ causa timoris,
Obsequiive manet? Mortis timor ipse timorem
Hunc removere potest. At quæ tum causa vetandi est?
Quæ? nisi uti timidis sibi sic devinciat ille
Obsequiis, vanâque trahat formidine captos,
Qui sua sacra colunt. Oculos namque illico vestros,
Quos ita perspicuos, tenebris licet undique septos,
Creditis, expulsis tenebris fore novit apertos,
Vosque Deis similes, dignoscere sacra profanis,
Dignandosque ideo sacris & honore Deorum,
Quamprimum ederitis vetiti de germine ligni.
Nam fore vos Divûm similes pia jura requirunt,
Interiore mei cum parte simillimus ipse
Mox homini extiterim, natura hæc bruta recepit
Humanam, ergo homines evadent illico Divi.
Sic adeo vobis moriendum ut munere mortis
Vos exuti hominum, Divûm accipiatis honorem.
Mors nihil hoc pejus paritura optanda profecto est,
Intentata minis quamquam fuit illa severis. (sint
Quid natura Deûm est? homines quin hanc quoq; pos-
Sumere, si his licitum est epulas quoq; carpere Divûm?
Dii primi fuerant; ideoque hanc forsitan ansam
Fallendi arripiunt, quasi cunctis postmodo natis
Fons & origo forent. Tamen hoc dubitabile verum est,
Judice me, pulchram hanc tellurem lumine Phœbi
Calfactam omne genus video producere rerum,
Hos nihil: at si fors hi cætera cuncta creârunt,
Unde bonum atq; malum hæc arbor discernere donat?
Ut qui ex hac comedit, sapientia protinus illi
Injussu Divûm adveniat? Num crimen habendum est,
Humanam ingreditur si fortè scientia mentem,
Nam quid vestra Deo nocuisse scientia? vel quid
Hoc lignum poterit, si regnat in omnia solus,
Invito conferre Deo? num lividus ille est?

Aut

Aut habitare poteſt cœleſtia pectora livor?
His certè his promptum eſt; aliis quoq; noſcere cauſis
Innumeris, opus eſſe tibi hoc mirabile pomum
Carpere. Diva hominis latitans ſub imagine, ſume,
Sume libens, pulſaque procul formidine guſta.
Conticuit tandem factoque hic fine quievit.
Verba hæc plena dolis in pectora protinus Evæ
Vim faciunt: fixis fructum hunc ſpectavit ocellis,
Quem vix (uſque adeo pertentat lumina) tutum eſt
Cernere, & attonitas ea vox reſonare per aures
Blanda videtur adhuc, falſi quam fucus honeſti
Pinxerat, atque oculos veri ſub imagine luſit.
Interea medium fax aurea ſcandit Olympum,
Atque accenſa fames dulci inflammatur odore
Germinis ambroſii quod nunc, quia tangere, nec non
Guſtare illa animi ſtimulata cupidine cæco eſt,
Lumina fixa moræ dudum impatientia torquet.
Sic adeo inſiſtit, ſecumque ita corde volutat:
Magna tua haud dubiè eſt, fructus longè optime, virtus;
Quanquam homini ſubtractus eras; laudemq; mereris
Cujus guſtus, ad hanc mea quem patientia lucem
Diſtulit, heu! nimium; primo quoq; tempore muto
Poſſe loqui dederat, docuitque impervia verbis
Antehac ora tuam celebrare ac pandere laudem.
Quinetiam qui te vetuit contingere, laudes
Non tacet ille tuas, quoniam te nomine lignum
Noſſe bonum atq; malum, quod dat diſcrimine certo,
Dixit, at ille tuum vetuit tentare ſaporem,
Hinc deſideriis animum majoribus uror.
Cum dare poſſe ſciam te quæ mea poſcit egeſtas,
Nam bona non poſſunt niſi cognoſcantur haberi,
Aut ea habes, quaſi non habeas, tibi cognita nî ſint.
Quid niſi nos ſcire & ſapere, innumeriſque potiri
Nos vetat ille bonis? at non ego talia certè
Juſſa moror, ſed ſi rigidis mors aſpera vinclis
Nos cohibet, ſæviſque ligat poſt fata catenis,

Quid juvat hæc animi libertas intima noſtri.
Qua nos cunque die lignum violabimus Illud
Hac minitatus erat, metuendam immittere mortem:
An moritur ſerpens, qui pomum hoc dulce comedit?
Ille tamen vivit, loquitur, cognoſcit, & alta
Jam ratione uti & recto diſcernere pravum
Jam didicit, rationis inops licet ante fuiſſet.
Ergo inventa fuit nobis mors horrida ſolis?
Aut nobis Deus ille cibos, qui lumine mentem
Illuſtrare valent, prohibet? brutiſque reſervat?
Sic, ut opinor, habet; tamen una hæc beſtia ligni
Quæ primum auſa fuit vetiti tentare ſaporem,
Inventum illa bonum non invida prodidit author
Fraude carens, fraudiſque haud ſuſpicione laborans,
Inque homines vultumq; gerens animumq; benignum.
Quid timeo? aut potius quænā eſt mihi cauſa timoris
Cognita? quippe boni premit ignorantia mentem
Craſſa meam, pariterque mali, mortiſque Deique;
Legis item, culpamque comes quæ pœna ſequatur.
Hic medicina viget morbis, panacæa venenis
Omnibus, Ambroſii pomum illud amabile ligni,
Dulce aſpectu oculis, cupido quoque dulce palato,
Intima corda valens animo donare ſagaci.
Quid vetat ergo manus ad odoriferam panacæam
Porrigere, atque epulis animum cum corpore gratis
Paſcere? ſic dicens avidam temeraria dextram
Porrigit, & vetiti ſpoliis diro omine ligni
Veſcitur. Extemplo ſentit ſua vulnera tellus.
Mota loco natura gemit, parteſque per omnes
Tum labefacta ſuæ dedit horrida ſigna ruinæ.
Conſcius at ſerpens nemorum clam rurſus in umbras
Occultum prorepſit iter; facile hoc fuit illi,
Nam tunc tota ſuo fuit Eva intenta Palato,
Huic uni vacat, atque aliud non reſpicit ullum.
In fructu arboreo nunquam percepta voluptas
Tanta ac talis erat: de ſe ſi creditur ipſi

Seu

Seu verum hoc fuerat, ſeu forſan imagine veri
Luſa fuit, dum ſpes animo jam paſcit inanes,
Ac dea viſa ſibi divum ſibi ſpondet honores.
Illa ſedens vetitâ cupide ſe ingurgitat eſcâ,
Toxica miſta cibis tam dulcibus inſcia ; tandem
Purpureo ceu plena mero, prolutaque vinis,
Exultans animis effatur talia ſecum.
Virtute O pretioque arbor mirabilis, omnes
Inter floricomi poſitas gremio in Paradiſi
Optima, quæ tenebris latuiſti huc uſque ſub imis,
Et tua poma velut fruſtra producta gerebas.
At poſthac mea cura tibi devota manebit
Quotidie, referamque tuas ego carmine laudes
Fœcundoque tuos ſpoliabo pondere ramos,
Auroræ quoties rubor Æthera ſparget Eöum :
Donec paſta tuâ multumque diuque diætâ
Aſſimulem ætherios, qui norunt omnia, divos.
Quamlibet invideant alii quæ non dare poſſunt,
Hoc dare ſi munus poterant ubicunque volebant,
Quod niſi fallor ego, haud horto creviſſet in illo.
Lauſque ſecunda tua eſt, longa experientia, rerum
Pandis in obſcuros aditum, tu diva, receſſus,
Optima dux, tenebris huc uſque immerſa fuiſſem,
Tu niſi, coram oculis portatâ lampade noſtris,
Quas habitet latebras veneranda ſcientia, prodas.
Me quoq; fortè tegunt latebræ, Cœlũ, ecce, remotũ eſt
Sublimique loco poſitum ; vix omnia numen
Inde videre poteſt, terris quæcunque geruntur.
Forte aliis curis alio tunc ille ſeverus
Arbiter averſam tenuit cum lumine mentem,
Innumeris vigilum comitantibus undique turmis.
At quo more mei veniam obvia rurſus Adami
Vultibus? anne mora poſita nova gaudia pandam?
Participemque boni faciam non invida tanti?
Anne bonum hoc potius ſoli mihi ſōla reſervo
Et ſine rivali potior? ſic ſcilicet, in me

Quo carui, ſupplere licet, ſic corda mariti
Jam tepefacta mei majoribus urere flammis.
Æqualique ſedere loco, vel forſitan ipſo
Altius ire viro; res non indigna petitu.
Inferiore loco poſitus quis liber habetur?
Sed tamen, an fœlix ego ſim, ſatis anxia nuto:
Quod ſi fortè Deus temerati crimina ligni
Vidit? & horrifici feriet me vulnere lethi?
Tunc meus in tenues vaneſcet ſpiritus auras.
Atque aliâ fœlix cum conjuge vivet Adamus,
Me ſtygiis mersâ in tenebris & nocte profundâ.
Hic mea corda quatit, ceu mors foret obvia, terror.
Nunc igitur certum eſt ſocium conjungere Adamum,
Proſpera ſive mihi veniant, ſive aſpera fata.
Illius urit amor rapidis mea pectora flammis;
Illi adjuncta comes mortes ego mille ſubirem,
Vita at vita mihi non eſt, ſi avellor ab illo.
Sic ait, avertitque gradum, lignumque reliquit,
Virtutem venerata prius, quæ intrinſeca ligno eſt,
Unde hæc poma valent comedenti infundere mentem
Ætheriam ætherio Divûm manantia ſucco.
Interea donec redeuntem expectat Adamus,
Floribus è variis pulchram huic parat ille corollam,
Ornamenta comæ nitidæ, pretiumque laborum,
Agricolæ quali Cererem diademate cingunt.
Gaudia jam longæque moræ ſolatia ſperat,
Pectora ſæpe tamen jam tum præſaga tremiſcunt.
Inſtantiſque mali prænuncia ſigna dederunt.
Ergo daturus ei ſeſe obvius exit eâdem,
Quâ tulit illa ſuo greſſus abjuncta marito
Aurorâ radiante novâ: lignumque neceſſe eſt
Prætereat vetitum: dilectam hic repperit Evam,
Quæ tardo remeare gradu jam cœperat: ejus
Ramus ineſt manibus ſpecioſo germine ridens,
Qui modo lectus erat, dulcemque effudit odorem.
Ut videt illa virum, greſſu pernice propinquat,

In medioque ſedens patet excuſatio vultu,
Quam ſic melliſluæ profert dulcedine linguæ,
Mirabaris, Adame, moras dulciſſime longas?
Quot, te abſente, fui ſtimulos ego paſſa dolorum?
Qualibus acer amor nunquam antehac pectora punxit,
Qualibus acer amor nunquam dehinc pectora punget.
Quam tua ſollicitos, mea vita, abſentia luctus
Parturiat ſum experta ſemel temeraria, ſed nunc
Haud mihi tale libet poſthac feciſſe periclum.
Cauſa tamen miranda fuit, quod me modo tantæ
Detinuêre moræ: non hæc, ut fama, periclum
Arbor habet, nullamque parit guſtata ruinam,
Aſt oculos aperire poteſt, & reddere Divos.
Tale dedit nuper ſpecimen, nam callidus anguis,
Seu liber legum imperio, ſeu ſpernere leges
Auſus erat, ſacrâ direptis arbore pomis
Se ſatiat, ſubitoque haud morti obnoxius ille eſt
Factus, at humanam pariter cum voce loquelam
Nactus erat, mentemque meam dulcedine vocis
Traxerat ille ſuæ, vetiti ut non amplius ipſa
Suſtineam cohibere manus à germine ligni:
Effectuſque habuit ſimiles in me quoque; cernunt
Clarius, ecce, oculi, nuper caligine ſepti.
Creſcit in immenſum mihi ſpiritus, altaque ſperant
Pectora, divinumque aliquid ſpirare videntur:
Illud amore tui vehementibus expeto votis,
Aſt ego tale bonum ſine te contemnere poſſem.
Optatis potiendo bonis me crede beatam,
Si te participem video: faſtidia gignunt
Te ſine; tu vetiti pariter dulcedine ligni
Participa; par ſors, paria & nos gaudia jungunt,
Ut par junxit amor, ne ſi ſapor hic tibi deſit,
Altior ipſa gradu tibi me ſejungere cogar,
Et ſero eſſe Deam pigeat, præcluſaque lethi
Janua perpetuum luctus extendat in ævum.

Hos tunc Eva ſonos dedit, & ſpem fronte ſerenat,

Conſcia ſed ſubitum traxerunt ora ruborem.
Contrà ubi vox Evæ, ſcelus hoc teſtata pudendum,
Auribus attoniti trepidis ſe ingeſſit Adami.
Aſtitit ille pavens albo & ſine ſanguine vultu,
Arrectæque comæ, gelidusque per oſſa cucurrit
Horror, membra novus ſolvit formidine torpor.
Sertaque pulchra manu ſubitò torpente remiſit,
Et lapſæ cecidere roſæ, & vox faucibus hæſit.
Ac tandem ſecum his interna ſilentia rupit;
O Cœli, Terræque decus, quanquam ultima, certè
Optima divinorum operum, quodcunque videtur
Concipitúrve animo ſacratum, dulce, bonumque,
Quicquid divinum vel amabile mundus habebat,
Hæc tibi ſoli inerant, inerant ſimul omnia ſoli,
Perdita nunc eheu! ſubitò male perdita nunc es,
Et priſcum ſpoliata decus, devotaque morti.
Heu tanta unde tuam traxit veſania mentem,
Ut tibi non legem domini violare, ſacrique
Poma negata timor fuerit contingere ligni.
Impoſuit tibi fraus inimici dira latentis,
Meque ſimul ſubitâ deſtruxit teque ruinâ.
Nam tecum ipſe ſimul moriar, lethique ſubibo
Limina, certa animo ſedet hæc ſententia noſtro.
Quæ mihi vita foret ſine te? ſi mutua amoris
Colloquiique tui ſolatia fortè negentur,
Hæc loca ſola iterum an denſis horrentia ſylvis
Incolerem? aſt aliam ſi nunc Pater Ætheris Evam
Fingeret, atque aliam noſtro de pectore coſtam
Surriperet, tamen æterni tu amiſſa doloris,
Tu mihi cauſa fores, longum lugenda per ævum.
Me validâ natura trahit compage ligatum,
Nam tua de noſtrâ caro carne eſt, os quoque noſtro
Factum eſt oſſe tuum; commune unumque periclum,
Una ſalus ambobus erit: fortuna ſecunda
Aut adverſa cadat, non te mihi diſtrahet unquam.
Hæc ait, ac veluti mœſtos ſolatia luctus

Cum

Cum relevant, æstusque animi curæque residunt,
Certus iniqua animo patienter ferre modesto,
Talibus ora modis dilectæ solverat Evæ.
Ausa es triste nefas, Eva O temeraria, teque
Offerre horrificis voluisti ignara periclis.
Non metus omnis abest, si lumina germine sacro,
Sacro, hoc quippe Deus prohibet contingere pascas.
Quantù igitur gustare scelus, quod tangere, sacrū est?
Quis vero infectum quod factum est reddere? vel quis
Præteritum revocare potest? non ipse deorum
Omnipotens Genitor, non inviolabile fatum:
Forsan non moriere tamen, non tam grave forsan
Gustata hæc arbor scelus est, quia scilicet illa
Prægustata fuit serpentis ab ore dolosi,
Jamque profanatos licitum est decerpere fructus.
Sed neque gustando moritur, sed nunc quoque vivit,
Vivit, ut aiebas, humanæque æmula vitæ,
Brutorum omne genus superans, jam gaudia novit.
Spem facit hoc nobis, parili quoque more potentem
Nos nostrum supra ire genus gustando saporem!
Nempe deos vel semideos exinde futuros.
Nec mihi credibile est magnum, qui cuncta creavit,
Artificem, licet ille minas alto ore tonârit
Horrificas, subitis nos perdere velle ruinis,
Nos, qui præstamus reliquis animalibus, & quos
Sublimi locat ille gradu, quibus ille creatum
Omnipotente manu totum subjecerat orbem:
Cuncta creata igitur nobis labentibus unà
Labentur, similemque trahent convulsa ruinam.
Ergo opifex opus ipse suum, si credere fas est,
Perdet, & ædificans, atque ædificata repente
Dejiciens, peraget vanum sine frugela borem.
Non ita: namque alium divina potentia mundum
Ut fabricare queat, non nos idcirco abolere
Mox subito volet exitio, ne forte triumphos
Hostis acerbus agat, rabidæ neu toxica linguæ

Evomat insultans vultuque, & voce procaci.
Quam pede consistunt tremulo, quos ille favore
Prosequitur, nutantque super titubantia fulti.
Cui diuturnus erat favor hic ? me perdidit, & mox
Perdidit ille hominem ; quis proximus ergo sequetur ?
Non se ita ridendum dabit hostibus ille superbis.
At mea juncta tibi semper fortuna manebit :
Pœna utrumque simul feriet caput unica, si mors
Est patienda tibi, vitâ mihi dulcior ipsâ
Mors veniet : validis adeo natura catenis
Me vinctum trahit usque meis ; tua scilicet à me
Omnia cum veniant, hinc tu mea jure vocaris.
Conditio nos una manet, quæcunque futura est,
Hoc fati neque jura vetant, nam nos sumus ambo
Una caro ; si tu pereas, ego sponte peribo.
Dixit Adamus, at his tum talia rettulit Eva ;
O clarum, O stabilis documentum insigne favoris,
O imitandus amor blandi mihi jure mariti !
Quamlibet inferior cum sim tibi, dulcis Adame,
Virtutes imitando tuas post terga relinquar.
Glorior esse tui lateris me parte creatam :
Et mihi lætitiæ est quod nos duo dixeris unum,
Cor unum,unam animam,geminis licet insita membris,
Quandoquidem tibi certa sedet sententia, ne mors,
Aut si quid gravius morte est, nos dividat unquam,
Quos conjunxit amor, & conjugialia jura,
Mecum eâdem pœnâ, mecum quoque crimine eodem
Participare simul : si forsan crimen habendum est,
Ambrosium fructus vetiti gustare saporem.
Hujus enim virtus (virtus ea jure vocanda est,
Quippe bono fluit usque bonum) manifestat amorem,
Vel casu vel sponte tuum tam pignore certo,
Qui nunquam ante adeo claro splendore refulsit.
Terrificos licet ille sonos alto intonet ore,
Non metuo, exitiumque licet fatale minetur :
Sin metuam ; ipsa malis caput obvia sola dedissem,

Nec

Nec te participem feciſſem criminis hujus,
Sed potius ſola oppeterem, quam fraude malignâ
Te pœnæ, ac ſceleris ſocium mihi jungere vellem,
Præcipuè cum tam fidi mihi pignus amoris
Tam nuper dederis, fidi & conſtantis amoris,
Cui nunquam par ullus erat; contraria vero
Talibus eventis video; non triſtia fata,
Sed mihi vita venit melior, pulſiſque tenebris,
Lumina clara micant, nova ſpes, nova gaudia ſurgunt,
Guſtus & uſque adeo divinus, ut ante palato
Cuncta admota meo nunc ſint quaſi nuda ſaporis.
Me ſequere ergo ducem, mi Adame, & ſomnia mortis
Terrifica aërios jubeas ferre irrita ventos.
Talia dicta dedit, colloque humeriſque mariti
Circumfuſa ſui pendet, lætoque rigavit
Imbre genas, ſtabilemque viri celebravit amorem,
Qui ſibi non ullâ voluit ratione revelli,
Deſpiciens iramque Dei, mortiſque timorem.
His igitur meritis ut conſona præmia reddat,
(Talis amor meruit tali mercede rependi)
Formoſa abripiens furtivo germina ramo
Munificâ dedit illa manu, nec diſtulit ille,
Conſcia corda licet moveant turbata tumultus
Jam vetitis veſci dapibus, manifeſtaque patrat
Crimina, fæmineo mentem excantante veneno,
Viſcera telluris rurſum intremuêre dolores
Paſſa novos, gemitumque dedit natura ſecundum,
Luctu oppreſſa novo, Cœli quoque triſtis imago
Lurida ſollicitis oſtendit lumina terris.
Fulmineique globi reſonant, & nubila largis
Imbribus humani generis flevêre ruinam.
Interea impavidus cupidè ſua replet Adamus
Viſcera, nec primo ſceleri ſcelus addere rurſus
Horruit Eva, ſui demulcens corda mariti.
Jamque, mero tanquam madidis, laſciva reſultant
Pectora, jamque ſibi divinam increſcere credunt

Virtutem, & ſubitas ſperant ſibi ſurgere pennas,
Queis volitent ſuper aſtra poli, terraſque jacentes
Deſpiciant: ſed mox lignum inviolabile vires
Prodidit, ecce, alias: inceſto pectora amore
Polluit: ille ſuam laſcivo lumine ſponſam
Reſpicit, & ſimiles oculorum hæc projicit ignes,
Alternâ indomitas ſtimulante libidine flammas.
Donec Adamus in has cœpit prorumpere voces:
Nunc, O Eva, tuum ſtupeo formoſa ſaporem
Vivacem & vegetum: pars hic, ſapientia, ſenſus
Non eſt parva tui: communi voce ſaporis
Omnia ſenſa ſolent animi conſultaque dici,
Judicioque ferunt ſapidum pollere palatum.
Debita jure tibi eſt hodierni palma laboris,
Tu reperiſti epulas hodie non ante repertas.
Mille voluptates amiſimus hei mihi ſacri
Sollicitas cohibendo manus à germine ligni,
Viximus ambo antehac vacui dulcedine guſtus.
Quod ſi inſit vetitis adeo jucunda voluptas,
Non male contigerat noſtris, nec inutile rebus
Annumerata decem vetitis ſi ligna fuiſſent.
Nunc age ludamus ſaturi, nam ludere tempus,
Cum lautis epulis amor eſt compreſſus edendi.
Non tua tam facies animum mihi perculit unquam,
Ex quo viſa mihi fueras, deſponſaque primum
Innumeris decorata bonis; vehemente fruendi
Uror amore tui: jam pulchrior eſſe videris,
Quam quondam: hoc vetiti donum eſt mirabile ligni.
Sic ait, atque oculis & geſtibus incitat Evam;
Illa viri blandum intuitum, geſtuſque loquaces
Spectat, & alternas jaculatur lumine flammas.
Ille manu prenſam tenet illam, & ſponte ſequentem
Denſa ſub umbriferæ perducit tegmina ſylvæ.
Procubuere ſimul: ſtratumque his molle miniſtrant
Colle ſuper viridi, flores, violæque, roſæque,
Et pulchri aſphodeli, cum purpureis hyacinthis,

Quâ non floricomæ pars mollior altera terræ,
Floridiorque fuit : pariterque hic mutua carpunt
Gaudia, & alternum cupidè satiantur amorem,
Mutua signa sui sceleris, miserumque levamen :
Dum sopor illapsus placidis sine murmure pennis
Victa cupidineo prostravit corpora lusu.
Jamque ubi mortiferi fervens violentia pomi,
Quæ furtim internos animi fallacibus umbris
Abripuit sensus, & imagine lusit inani,
Despumata fuit, crassisque vaporibus ortus
Turbidus ille sopor, quem conscia somnia miris
Terruerant sub nocte modis, utrumque reliquit.
Languida membra levant, quasi blando impervia som-
Alter in alterius jactantes lumina vultum, (no,
Longe aliter quam spes fuerat blandita adapertos
Inveniunt oculos, animis caligine pressis.
Jam procul aufugit pietas sibi conscia recti,
Qua modo, ceu velo, tecti mala nulla sciebant.
Jamque timore carens fiducia, vivida virtus,
Nativumque decus, nativaque gratia formæ
Aufugiunt pariter plenosque pudore relinquunt.
Vela parant, sed vela parant conamine vano ;
Vela haud ulla valent tantum celare pudorem,
Qualiter Herculeis, Sampson Danita lacertis
E gremio Syriæ, somno aufugiente, puellæ,
Cum caput extulerat, præcepsque in bella ruebat,
Senserat ablatum pariter cum crine vigorem.
Sic illi nudi, ac vacui virtute vetusta
Confusique diu resident, pallore pudendas
Aspergente notas, tacita sine murmure lingua,
Donec in has voces compulsa resolverat ora,
Quanquam Evâ non ipse minus pavefactus, Adamus,
Heu hora atra fuit, quâ tu modo vocibus hujus
Vermiculi, misera Eva, dabas fallacibus aurem,
Quocunque addidicit nostras autore loquelas
Ille referre suæ miro simulamine linguæ

Quæ modo vera dedit nostræ præsagia cladis,
Sed falsâ illusit melioris imagine fati.
Nunc oculos nobis, fateor, reperimus apertos,
Nosq; bonum pariterq; malum jam nosse, repertum
Nosse malum, amissumque bonum discrimine duro.
Proh! quam pestiferos tulit illa scientia fructus?
Quæ nos nativo decore, & pietatis amore,
Simplicitate, fide spoliat, nudosque reliquit.
Et fœdis veteres maculis aspersit honores.
Vultibus in nostris jam sedem dira libido
Figit, & indiciis sese manifestat apertis:
Hinc mala multa fluunt; pudor hinc nativa malorum
Progenies, matremque suam præcedere monstrat.
Quâ Divos, Divûmque patrem, dehinc fronte videbo,
Quos ego tam lætis oculis spectare solebam?
Imparia ætheriis jam sint hæc lumina formis,
Quæ nimio tam illustre decus splendore retundit.
O mihi si liceat soli, sociisque sine ullis
Degere in arboreis sylvæ impenetrabilis umbris,
Quas neque Sol, neque Luna suo splendore revisunt,
Semper ubi in medio tenebrosa crepuscula Phœbo.
Me tegite aëriæ prius, cedrique comantes
Ramorum densis tenebris me involvite, quas nec
Sol violare queat, niveo nec Cynthia vultu.
Sed nunc, in mediis medicina hæc optima damnis,
Mecum age communis tegimen commune pudoris
Dispice, quo liceat partes velare tegendas;
Lignum insigne aliquod patulis & lævibus umbris,
Quas, ubi consuimus, lumbis aptare licebit,
Ut circumposito lateant hæc inguina velo.
Ne novus hospes ibi sedeat pudor, atque utriusque
Ora rubore notet probris confusa pudendis.
Talia consuluit: junctis mox passibus ambo
In densas umbras nemorum gradiuntur, & illic
Eligitur ficus; non quæ vulgata per orbem
Fertilitate suâ est; sed cognita gentibus Indis

Hæc in Malabarâ Terrâ, Terrâque decanâ
Diffundit ſeſe patulis denſiſſima ramis,
Quorum extrema ſolum curvata cacumina tangunt,
Deinde ſolo defixa manent, & in æthera rurſus
Vi propriâ nituntur, & ardua ſcandere gaudent,
Progenies circa mediam numeroſa parentem.
Alternïſque altas faciunt amplexibus umbras,
Dantque vias latè varias, quibus aſſonat Echo.
Decolor Indus ibi, pecoris cui cura tuendi,
Sæpe fugat Soles rapidos, & frigora captat,
Obſervatque greges denſæ ſub tegmine ſylvæ,
Qua longinqua fuit multa via ſecta ſecuri.
Hinc patulas legêre comas, quæ corpore lato
Tegmina Amazonii referunt ingentia ſcuti.
Et lectas junxêre ſimul pingui arte ſuendi,
Heu! miſerum tegmen ſceleris, meritique pudoris
Quam diſpar veteri, nudo & ſine veſte decori,
Huic ſimili cinctos conſpexerat Americanos
Tegmine, multa facit quod pluma aggeſta, Columbus,
Dum reliquas partes nudi ſine lege vagantur,
In nemorum latebris per cinctas æquore terras
Undique, & umbriferis per conſita littora ſylvis.
Sic tecti, ex aliquâ velatum parte pudorem
Crediderant, at nullam animo cepêre quietem.
Diſcubuêre ſimul: tum largis ora rigârunt
Fletibus, atque oculis non tantum decidit imber
Aſſiduus, ſed tempeſtas jam pectore in imo
Horrida, turbineæque furit vis ſæva procellæ.
Suſpicio, ira, odium, diſcordia, bella gerebant,
Impulerantque animum ſubito fervere tumultu,
Qui ſedes modo pacis erat, nunc area belli.
Nunc ratio non ſceptra gerit; nunc cæca voluntas
Non ſe circumagi patitur rationis habenis.
Jamque cupidineis ſedet utraque vincta catenis,
Atque utramque ſuis pedibus veſana libido
Suppoſuit; trepido cordis durante tumultu,

Vultum alium vocemque gerens, miſerandus Adamus
Hos dedit ore ſonos, iterumque ſilentia rupit:
O utinam noſtris dederis tu vocibus aurem
Morigeram, mecumque ſimul contenta fuiſſes
Uno eodemque manere loco, prout ipſe rogavi;
Cum primum invaſit te inſana libido vagandi
Infauſto hoc oriente die; duraſſet utrique
Proſperitas primæva, at nunc ſpoliamur uterque
Omnibus, ecce, bonis, nudi atque pudore repleti.
Nullum igitur poſthac labor iſte fatiget inanis
Quærendi unde ſuæ fidei tentamina ſumat,
Talia qui incipiunt ſtudiis tentamina vanis
Quærere, priſca fides jam tum labefacta fatiſcit.
Eva refert, quam tunc cito culpa objecta momordit,
Acer Adame, tuis quæ verba elapſa labellis?
Hoc igitur vertis vitio mihi? meque vagandi
Arguis inſanâ ſtimulante libidine nobis
Interitum peperiſſe gravem, qui obtingere poſſit
Si mihi tu junctus pariter comes ipſe fuiſſes.
Vel te forte eadem fallax traxiſſet imago,
Si tu illic fueras, aut illo tempore ſerpens
Hic fuerat; nullam poteras diſcernere fraudem
In ſerpentinæ verbis & voce loquelæ,
Quando inimicitiis antehac nos inter & illum
Cauſa haud ulla data eſt: mihi cum ſua retia ſternat,
Ergo tuo an nunquam lateri dirimenda fuiſſem?
Quin potius manſiſſem illic in carcere priſco
Expers lucis adhuc, nec tali prædita vultu.
Cur tu, cum fuerim tibi ſubdita, nulla ſeveris
Imperiis mihi jura dabas, ne abſcedere poſſem
Jam tibi præviſis caput objectura periclis?
Tu nimium facilis pauca objectare volebas,
Concedens, etiamque probans, etiamque remittens.
Si tibi tum hoc animo firmum immotumque ſederet,
Nec caderem ipſa, meam nec tu ſequerere ruinam.
Ad quam tunc iræ facibus ſtimulatus Adamus:

Hic

Hic amor ergo tuus, noſtroque hæc reddis amori
Præmia, quem indiciis ego prodideram manifeſtis,
Eva ingrata tibi, cum tu modo ſola ruinam
Traxiſti? & poteram ſine te ſine fine beatus
Vivere; ſponte tuæ ſocium tamen ipſe ruinæ
Me dederam: at nunc opprobriis onerare pudendis,
Nequitiæ ceu cauſa tuæ ſceleriſque fuiſſem,
Me potes? imperiis quoniam non ipſe ſeveris,
Judice te, tunc uſus eram? quid defuit ergo?
Præſcius admonui, dixique inſtare periclum,
Atque hoſtem laqueos tacitum tibi ſternere cæcos.
Quid præſtare ultra potui, niſi cogere vellem?
Libera nata nequit cogi hac regione voluntas.
Sed tum vana tuam rapuit fiducia mentem,
Haud ullum tibi perſuadens inſtare periclum,
Materiámve tibi majorem hinc ſurgere laudis.
Quin, ut credibile eſt, virtutum ego fortè tuarum
Immodicus mirator eram, nullamque putavi,
Cæcus amore tui, tibi poſſe inſtare ruinam.
Sed tunc me (dolet heu!) temerarius abſtulit error:
Crimen id ergo meum eſt:& tu quoq; crimine damnas.
Talia fata viros eheu! miſeranda præhendunt,
Fæmineis ubicunque nimis virtutibus illi
Confidunt, vacuamque ſinunt à lege maritam.
Non frænum illa libens patitur, ſed libera fræno
Si ſine lege ruat, damnumque hinc triſte ſequatur,
Ipſa viri nimios tum prima accuſat amores.
Sic illi alternis fruſtra abſumpſere querelis
Tempus, at interea neuter ſua crimina damnat,
Nec rixis poſuere modum, metamve querelis.

Finis Libri Octavi.

Para-

Paradisus Amissus.

Liber Nonus.

INterea facinus ſceleratum, immane, malignum
Patratum à Satanâ Paradiſi in dulcibus hortis,
Quoque modo in ſerpente latens perſuaſerit Evæ,
Eva viro, vetiti fructum divellere ligni,
In Cœlo patuit; nam quid vitare tuentis
Cuncta poteſt oculum, vel fallere cuncta ſcientis
Corda Dei; ſapiens & juſtus in omnibus ille
Non inhibet dirum Satanam, ne aſſultet Adamo,
Cui vires validæ, nec vi compulsâ voluntas.
His armis, ne fraude ſcelus, ne robur apertè
Exitium crudele ferat, munitus abundè eſt.
Semper enim nôrant, ſemper quoque mente tenere
Debuerant memori, ſcelus eſſe hunc carpere fructum,
Quicunque hoc jubeat: tamen hi ſprevêre verendi
Juſſa Dei, pœnaſque luunt (quam jure!) ſeveras,
Innumeriſque malis, ſcelerumque voragine merſi.
Præſidium angelicum revolavit in æthera rurſus
Attonitum, mutumque metu, quia deſuper inſtat
Mors homini, cujus meritam flevêre ruinam:
Mirati huc ſtygio ſubtili fraude tyranno
Occultas patuiſſe vias: ubi nuncius atrox
Attigit aſtrigeri radiantia limina regni,
Omnia corda pavent, omnes dolor obruit ingens.
Mœſtitia ætherios tum primum lurida vultus,
Sed leni pietate tamen commixta notavit,

Unde

Unde nec ætheriæ violavit gaudia vitæ.
At vigiles circum reduces millena ruebant
Millia Cœlicolûm nitidis radiantia flammis,
Scire avidi humanæ cauſamque modumque ruinæ.
Hi vero ad ſolium ſubito, mora nulla, verendum
Accelerant, & ritè ſuo ſe munere functos
In vigili ſtatione probant: tum Rector Olympi,
Divûm hominumque Parens, ſacræ de viſcere nubis,
In medio tonitru ſic voce ſilentia rupit.
  Angelici, pia turba, chori mihi circumfuſi,
Voſque poteſtates, quarum pia cura, laborque
Succeſſu caruêre bono; ne pectora veſtra
Humani exitium generis miſerabile vexet.
Solvite corde metus, omnem ſecludite curam
Hæc etenim clades, hoc lamentabile fatum
Non poterat veſtris ſtudiis, curáve repelli;
Hoc ego præmonui tunc præſcius ipſe futurum,
Cum primum horrifici caput iſte voragine ſtagni
Improbus extulerat, ſtygioque emerſit Averno.
Tunc (meminiſtis enim) ſum talia voce locutus:
Nunc ferruginei tangent ſcelerata tyranni
Cœpta ſcopum, & falſis hominum gens credula verbis
Exitio horribili peritura eſt, atque repentè
Omnibus orba bonis ſubitam tractura ruinam.
At non decreti fatum inviolabile noſtri
In ſcelus hoc torrentis aquæ, vel turbinis illos
More fruentis aget; nulliſque obnoxia frænis
Libera ſponte ſuâ, ſtabitque, cadetque voluntas
In trutinâ ſuſpenſa pari libramine juſto.
Sed jam tum, ecce, gravem traxit miſer ille ruinam;
Quid niſi reſtat eum meritis affligere pœnis,
Quodque minatus eram, lethali figere telo:
Deſpicit ille minas, quoniam uno haud protinus ictu
Præcipitatus erat: ſed quæ dilata fuerunt,
Sentiet eſſè ſibi tamen hæc patienda, priuſquam
Flammiferum heſperiis Titan caput obruat undis.

Non sic justitia, ut bonitas contempta redibit.
Judicis at partes quis suscepturus in illos
Ibit ? & ante suum compellet stare tribunal ?
Quis ? nisi tu nostris vicibus qui fungere jussus ?
Judicium omne etenim rerum, quæcunque geruntur
In Cœlo simul atque solo Stygiisque tenebris,
Arbitrio, mi nate, tuo committo regendum.
Hinc igitur certis facile est cognoscere signis
Justitiam bonitate meam, moderamine dulci,
Miscendam, & placidæ coituram fœdere pacis :
Tu quia jussus abis homini jus dicere lapso,
Tu, qui hominem vehementer amas ; qui pacis amicæ
Interpres miserum redimes, barathrique tremendi
Sanguinis ipse tui pretio de fauce revelles,
Postquam homo factus eris, luteosque subiveris artus.
Hæc dixit genitor, dextrâque à parte videndum
Exhibet ille suum claro fulgore decorem :
Et natum super irradiat splendore corusco,
Ac lumen sine nube suum diffudit in illo.
Exprimit ille suo totum simul ore parentem,
Divinúmque micans, placido sic pectore fatur.
Est, æterne Pater, tua cura, tuusque, quid optes,
Explorare labor, mihi jussa capessere fas est.
Imperiis parere tuis, Rex magne, parabo,
Quodcunque in terris, vel in æthere jusseris usquam,
Ut tu me solito natum amplectaris amore,
Utque æterna tibi maneam sine fine voluptas.
Jus illis dicturus eo, telluris in orbe
Queis sedem dederas, qui legem haud spernere sacrā,
Nec pedibus tua jura suis calcare timebant.
Sed quicunque meo dicentur jure nocentes
Judicio, caput ipsa meum censura sequetur,
Perpetiarque volens alienæ vulnera culpæ,
Suppliciis decreta meis cum venerit hora.
Sponte hæc ante tuos vovi, Pater optime, vultus,
Nec piget incœpti, nec nunc ea vota retracto :
Judicium

Judicium ergò mihi licitum eſt lenire ſeverum,
Qui caput ipſe meum tam atrocibus offero pœnis,
Sed cum juſtitiâ bonitas ita miſta coïbit,
Ut placido has pateat connexas fœdere jungi,
Et tuus in vacuos abeat furor iraque ventos.
Judicium hoc cunctis, niſi ſontibus hiſce duobus,
Cernere quippe nefas, noſtrum vel adire tribunal.
Tertius illorum melius damnabitur abſens,
Quem fuga cœpta reum peragit, legique rebellem,
Serpentem at ſcelus hoc vanum eſt urgere fateri.
Hæc ubi dicta dedit, ſolio ſe tollit ab alto,
Conſpicuus fulgore decus referente paternum.
Jura, magiſtratuſque, throni, ſanctique ſenatus,
Atque poteſtates variæ comitantur euntem,
Uſque ad ſydereæ radiantia limina portæ.
Unde per Edenem nitidam, terraſque per omnes
Proſpectus latè patuit: mox devolat illuc.
Prævertit Zephyros levitas divina, nec illam
Temporis hora notat ſubitis rapidiſſima pennis.
Jam procul à Cœli mediâ regione remotus
Phœbus in Heſperias properat deſcendere lymphas.
Jamque auræ ſolitam placidæ rediere ſub horam;
Aëriaſque plagas dulci mulſêre flabello,
Temperiemque ſequi ſolitam confinia noctis
Evigilare jubent, blandumque referre teporem.
Tum tepidis auris tepidus magis ille propinquat,
Manſuetus pariter judex, paciſque miniſter.
Jam, quocunque pedem tulerant, cœpere per hortum
Vocem audire dei paſſim ſua terga ſequentem,
Vocem, quam attonitas levis aura advexit ad aures,
Sole parante polum rediture reddere nocti.
Ut vocem audierant, trepidâ cum conjuge conjux
Præcipitem rapuêre gradum, curſuque citato
Protinus arboreas pavidi fugêre ſub umbras.
Fit propior propiorque Deus, tum murmure vaſto
Clamat, Adame, ubi tu latitas, qui huc uſque ſolebas

Ad reditus gaudere mei prænuncia ſigna:
Non placet hic ſolus quod nunc, te abſente, relinquor,
Obvius ante mihi qui ſponte venire ſolebas.
Conſpicuúſne minus venio? quæ occaſio te nunc
Urget abeſſe procul, noſtroſque horreſcere vultus?
Quæ nunc te mora lenta tenet? mox, impero, prodi.
Prodit & Eva comes pariter, ſed tardior illo,
Labe notata prius fuerit licet illa, animique
Turbati trepidos vultu prodente tumultus
Aſtiterant. Amor haud apparet mutuus illic,
Inque Deum non ullus amor diſcernitur illic:
Verum illic ſceleris ſibi mens malè conſcia diri,
Et pudor, & terror, præcepſque inſania ſeſe
Prodit, & ira, odiumque ferox, fraudeſq; malignæ.
Tum trepidans, linguâq; trahens titubante loquelam
Hos breviter pavido ore ſonos effudit Adamus.
 Vox tua in ambroſio reſonans venerabilis horto,
Attonitum terrore novo trepidare coëgit,
Et quia nudus eram, fugi, latebraſque petivi.
 Tunc judex placido ſic reddidit ore benignus.
Tu vocem ante meam perſæpe audire ſolebas
Lætus, & haud ullâ trepidans formidine mentem,
Unde novus venit iſte pavor, ſtudiumque latendi?
Quis tibi te nudum ſine veſte incedere dixit?
Paſtus an es vetiti pomum inviolabile ligni?
 Ad quem, ſollicito ſic pectore fatur Adamus:
O Cœlum! heu! miſerè turbatus & anxius aſto,
Judicis ante mei vultus, hac luce verendos:
Nam vel pœna mihi ſubeunda eſt integra ſoli,
Vel pœnæ facienda comes pars altera noſtri,
Solamen, requieſque meæ dulciſſima vitæ.
Quæ dum fida manet, nec conjugialia rupit
Fœdera, defectus alios, culpaſque minores
Extenuare, viri vel diſſimulare benigni eſt.
Sed me dura domat lex, inviolabile fatum
Quod mandat, fierique jubet parere neceſſe eſt.
Ne

Ne scelus & sceleris pœna intolerabilis unum
Involvantque caput, mergantque voragine vastâ.
Sin reticere velim, latebras tua lumina nostras
Mox retegent, vacuumque scelus velamine reddent.
Hæc mulier quam tu dederas mihi munere, vitæ
Auxiliumque meæ, & solamen dulce laborum;
Quam blandæ charites circumvolitare solebant,
Et decor eximiæ, divinaque gratia formæ;
Unde venire mali mihi nil ego posse putabam,
Quæ quicquid faceret hoc ipso nomine rectum,
Ipsa quod hoc faceret, solitum fuit usque videri.
Hæc mihi de ligno dedit, hac ego dante, comedi.
Tum Pater Ætherii graviter sic fatur Olympi.
An Deus illa tuus fuit, ut contempseris alti
Jura Dei, quoniam illa Deo contraria jussit?
An tibi dux vitæ, vel te sublimior illa
Facta aut sorte pari est, ut blando illius amore
Exueresque virum, celsoque à culmine temet
Dejiceres, qui factus eras sublimior illa,
Quam de te simul & pro te mea dextera finxit
Qua potior longè tua gloria, cui Pater orbis
Omnibus ornatum voluit te excellere rebus?
Illa ornata quidem est, formosa & amabilis illa,
Atque decora, tuum, fuit, ut mereatur amorem,
Non dare jura tibi; laus illi magna, quod esset
Apta regi, sed non moderari juris habenas:
Hoc tibi munus erat, si tu tibi cognitus esses.
Hæc ubi fatus erat, paucis ita dixerat Evæ.
Heus mulier, quali maculâsti crimine dextram?
Eva repente scelus pudibunda ac mæsta fatetur.
Non tamen ore loquax stererat, vultuque procaci
Judicis ante sui faciem, sed talia dicta
Plena pudore dedit, confusaque crimine vultum,
Me serpente dolo circumveniente, comedi.
Quod simul Omnipotens audit Deus, illico damnat
Serpentem, quamvis animal rationis inane est,

Nec transferre poteſt objectum crimen in illum,
Unde coactus erat ſceleri ſervire pudendo,
Præſcriptamque ſibi naturæ rumpere legem.
Jure tamen damnatus erat, quia turpia facta
Fecerat, & penitus naturæ diſſona legi.
Plura haud ſcire hominis, quoniam non plura ſciebat,
Intererat, nec erat magis excuſabile crimen.
In ſerpente tamen Stygium tunc ille Tyrannum,
Qui ſcelere ante alias prior atque immanior omnes,
Devovet, & dubiâ verborum ambage minatur,
Myſtica verba loquens ; ita res tempuſque popoſcit ;
Atque ita ſerpenti triſtes denunciat iras,
Atque tremenda ſuæ jaculatur fulmina linguæ,
Tu quia fraude tuâ ſcelus hoc immane patrâſti,
Jam ſuper omne genus pecudum,ſuper omne ferarum,
Immenſo quaſcunque ſinu gerit undique tellus,
Tu devotus eris ; per humum tu corpore prono
Volvêre, & luteo ſaturans te pulvere, vinces,
Dum tibi vita manet, miſero jejunia victu.
Fæmina perpetuis ſaxo te exerceat armis,
Fæmineumque tuo ſemper cum ſemine ſemen
Bella geret ; caput ille tibi calcando malignum
Obteret ; ipſe levi huic perſtringes vulnere calcem.
Vaticino ſic ore refert Regnator Olympi.
Quæ tum effecta dedit, Mariæ cum filius (Eva
Illa ſecunda fuit) lætus conſpexit Ieſus
Præcipitem Satanam, latè qui temperat orbem
Aërium, celſo quaſi fulgur ab æthere labi.
Cumque è marmoreo devictâ morte ſepulchro
Prodiit, & lætos Stygiâ de gente triumphos
Egit, & infernas duxit poſt terga catervas,
Captivaſque tulit vacui per inania mundi :
Quanquā hæc regna forent Stygio ſuppôſta Tyranno
Quem tandem noſtris pedibus dabit ille terendum,
Ille, caput qui peſtiferi calcare ceraſtæ
Ante minatus erat, preſſamque illidere plantam.

Talibus

Talibus inde sonis trepidam se vertit ad Evam:
Accumulabo tuos conceptâ prole dolores,
Luctisonosque tibi gemitus sæpe exprimet infans,
Dum sibi rumpit iter primas in luminis auras.
Arbitrioque tui fies subjecta mariti,
Imperioque in te dominabitur ille superbo.
Deinde aliis trepidum pœnis ita damnat Adamum.
Tu quia blandiloquæ jussis uxorius Evæ
Morigeratus eras; vetitique à germine ligni
Nolebas inhibere manus; licet ipse severis
Imperiis hæc verba darem: ne hoc vescere ligno.
En devota jacet propter tua crimina tellus:
Quæ toto vitæ spatio tibi sæpe dolores
Parturiet, frugumque feret cum munere mistos.
Grandia sæpe quibus mandaveris hordea sulcis,
Infælix lolium, & vacuæ nascentur avenæ.
Pro molli violâ pro purpureis hyacinthis
Carduus, & spinis surget paliurus acutis.
Et passim herbiferi vesceris germine campi,
Et multo sudore madens alimenta parabis,
Donec in hanc terram, tibi quæ natalis origo est,
Tu redeas, iterumque tua in primordia cedas:
Pulvere factus eras, fies quoque denuo pulvis.
Hos dedit ore sonos, alto qui venit Olympo
Dicere jus homini, pariterque à morte tueri,
Avertitque procul lethalis vulnera plagæ,
Hoc aliter ventura die; tum tegmine nudos
Hos astare videns in apertis aëris auris,
Qui mutandus erat vicibus remeabilis anni,
Commiseratus erat, nec dedignatur ad illos
Serviles adhibere manus, ut quando suorum
Servorum ille pedes cinctus mantile lavabat.
Sic Pater ille domus vestivit pellibus ambos
Lanigerarum ovium, seu fortè occiderat illos,
Sive novo veterem supplevit tegmine pellem:
Ut serpens posita pariter cum pelle senectâ

Luxuriare ſolet, ſquamâque nitere recenti.
Veſtiit ille ſuos indulgentiſſimus hoſtes :
Nec pecudum tantum ſpoliis externa tegebat
Membra, ſed internas maculas, quæ pectora fœdant,
Juſtitiæ tegit ille ſuæ ſub tegmine pulchro,
Eluditque oculos pretiosâ hac veſte paternos.
Tum celer ille Patri revolavit in æthera rurſus,
Inque Patris gremio priſco de more reſedit.
Huic jam placato, licet ipſe hæc omnia norit,
Omnia quæ obtigerant, memorat, nos inter & ipſum,
Suppliciterque preces hominum pro gente remiſcet.
Interea prius ac homines ſe crimine fœdo
Spurcaſſent, tulerantque gravem pro crimine pœnam ;
Alter in alterius jactantes lumina vultum
Impietas Stygiæ, Thanatuſque ad limina portæ
Conſedêre ſimul, nigrantia limina, quæ nunc
Stant reſerata, procul ſævas jaculantia flammas
In chaos immenſum, Stygis ut Rex tranſiit illac
Impietate fores reſerante : ac talibus illa
Tunc Thanatum alloquitur: cur hic,mi nate,ſedemus ?
Cur lenta ſine fruge mora torpeſcimus ultro
Alter in alterius figentes lumina vultu,
Dum Satanas noſter genitor nunc ſuaviter ævum
Tranſigit, atque alios peragrat fœliciter orbes,
Noſque ſuam caram ſobolem meliore locare
In regione parat ; fruitur nunc ſorte ſecundâ
Haud dubiè, ſi fata forent improſpera, rurſus
Huc rediturus erat ſubito victricibus armis
Ultorum, atque odiis rabidoque furore repulſus.
Haud alius pœnæ locus atque ultricibus iris
Aptior hoc barathro eſt, Stygiique voragine regni.
Ipſa mihi videor jam nunc per membra vigorem
Accepiſſe novum, ſubitaſque aſſumere vires,
Ac pennis volitare novis, longéque nigrantis
Ultra extrema vadi mihi regnum accreſcere viſum eſt :
Quicquid id eſt, mentem tacitâ dulcedine noſtram

Quod

Quod movet; harmonicam forsan natura creavit
Sympathiam; aut facit hoc vis quædam arcana ligando
Res similes, quanquam longè latéque diremptas,
Arcanisque viis arcanum extendit amorem.
Tu vero, umbra, mihi comes indivulsa sequeris;
A Thanato impietas nescit scelerata revelli:
Ne tamen illius reditum via gurgitis hujus
Invia fortè moras varias nectendo retardet,
Difficile experiamur opus plenumque periclis
At nostris pariterque tuis benè convenit illud
Viribus: immensam vastum hoc per inane platæam
A barathro hoc superas mundi melioris ad oras
Proxima regna polo, Satanæ jam subdita sceptris
Ducere; pignus erit meriti memorabile nostri,
Militiæ gratum Stygiæ, cum libera facta est
Hinc remeare aut fors etiam migrare facultas.
Nec dubiam vagus error aget; me scilicet illuc
Arcanis violenta trahit natura catenis.
Mox hos umbra sonos macilenta & pallida reddit.
Perge, age, quæso, sequar, cupidos, age, dirige gressus,
Quo tua fata vocant, & quo tua prona voluntas
Provocat, atque ardens animi vigor incitat alti.
Cur dubitas? quocunque ibis, quocunque redibis,
Ibo, redibo comes, nec me via fallet euntem,
Qua gressus præiêre tui: vis insita semper
Me tua terga sequi & stimulus nativus adurget.
Quid? quod odora meas tetigêre cadavera nares,
Accenduntque famem, stomachumq; cupidine vellunt.
Obvia præda caret numero, victum omnia spondent
Undique viva mihi, gelidam redolentia mortem,
Nec cœptis obero, aut abero, quæ concipis alto
Pectore, consiliis operaque juvabere nostra.
Hæc ait, atque avidis tum naribus haurit odorem
Pestiferum, quem cuncta dabantanimalia terræ,
Interitus præsaga sui, mortisque futuræ.
Ut cum turba rapax volucrum secat aëra pennis

Immensis spatiis volitans examine vasto,
Ad campos ubi structæ acies ad bella, priusquam
Conseruêre manus: etenim præsentit odorem
Fundendi veniente die per bella cruoris.
Sic mortem hæc pallens atque horrida forma futuram
Prævidet, & patulis captavit naribus auras,
Pestiferumque sagax, sua pabula, sentit odorem.
Tunc ambo è stygiis foribus cœpêre profundum
In chaos, in vacui tenebras & inania regni
Diversis properare viis, & robore vasto,
Robur enim vastum fuit his, maris æquora tranant.
Quicquid ubique vident solidum, vel quicquid ubique,
Quod picis in morem ad digitos lentescit habendo,
Jactatum tumidi vada per violentia ponti,
Hoc omne addensant, manibusque hinc inde duabus
Propellunt in Tartarei nigra ostia regni.
Ut duo cum adversi super æquora cronia venti
Bella gerunt latè, & glacialia culmina volvunt,
Unde aditus perforam ultra clauduntur Eöi,
Atque Cathaianas prohibent attingere terras.
Saxificâ gelidâque manu de more tridentis
Percussit Thanatus congestæ pondera molis:
Sic stabili stant fixa loco velut altera Delos.
Cætera Gorgoneo facit ille rigescere visu,
Sulphureoque simul limo: lectam undique vastam
Ad Stygis infernæ religant confinia molem,
Inferni spatiis æquantem limina vastis;
Spumiferique super sinuant ferventia ponti
Æquora, & immensum faciunt concrescere in arcum
Mœnia ad usque novi custode vacantia mundi,
Jam Thanato donata truci: latusque, secundus,
Mollis, inoffensus patet inde regressus ad orcum.
Sic Xerxes (ita parva licet componere magnis)
Memnonii egressus formosa palatia regni,
Libera Graiorum servili ut colla capistro
Subdat, Achæmeniis descendit ad æquora Susis,

Europamque Aſiæ longâ compagine junxit,
Tranſivitque pedes rapidum ſuper Helleſpontum,
Æquoraque innumeris petit indignantia plagis.
Jam pons æſtiferi ſuper ora immenſa profundi
Ingens ductus erat, vaſtumque immanis Abyſſi
Emenſus ſpatium tumidas ſupereminet undas
Pendenti in longum ſcopulo, qui incœpit ab illo
Uſque loco, Satanas ubi primum à limine cœpit
Tartareo tentare fugam per inane profundum,
Donec, ubi feſſas primum requieverat alas,
Tandem extrema novi tetigiſſet mœnia mundi.
Omnia jam rigidis firmo ex Adamante catenis
Omnia nexa manent, nimiumque tenaciter hærent.
Jamque coïre vident hujus confinia mundi,
Et Cœli Angelici : procul hinc à parte ſiniſtrâ
Sulphurei ceſſere lacus inamabile regnum,
Treſque viæ viſæ tribus his perducere regnis.
Jamque viam inveniunt quæ terræ duxit in orbem,
Et patefecit iter Paradiſi in mœnia dulcis.
Cum ſubito aligeri Satanas radiantis adinſtar,
Ecce, viam ſcindit Centaurum & Scorpion inter,
Lanigerum igniferis dum Sol inviſit habenis.
Diſſimulatus erat propriam tunc ille figuram,
Cara tamen proprium ſoboles, mora nulla, parentem
Agnoſcunt, aliena licet velamina cinctum.
Ille Eva tracta in laqueos clam repſit in umbras
Arboreas, mutatque ſuam tum denuo formam,
Obſervans quid fata parent, quo tendere pergant.
Exultatque animo duplicari priſca renidens
Gaudia, ſucceſſuſque novos ſucceſſibus addi.
Nam maleſana ſuum pellexerat Eva maritum,
In laqueoſque trahit, quibus ipſa ignara tenetur.
Hos ſcelerum fixos ſimul ille voragine ridet,
Certanteſque ſuum fruſtra velare pudorem.
At patris Æterni ſimul ac deſcendere natum
Dicere jura videt, trepido pede territus illinc

Aufugit, haud ſperans meritas evadere pœnas
Perpetuò, ſed ne ſubitam ſibi dextera plagam
Divina imprimeret, ſubito commota furore.
Hic ubi terror abit; iterum ſub nocte redivit;
Jamque videns ubi par infauſtum ac triſte ſedebat
Alternis ſua fata gemens miſeranda querelis:
Hos avidâ bibit aure ſonos; interque querelas
Quæ ſibi pœna foret patienda intelligit, at non
Illam inſtare tamen, ſed multa in ſæcla remitti.
Ergo redit Stygias laturus læta ſub undas.
Jam ripam ad vacui pervenerat ille Barathri,
Et pœne attigerat pontis jam extrema ſtupendi.
Ante expectatum ſibi vultu occurrere læto
Progeniem videt, ecce, ſuam, duo pignora cara.
O qui complexus! O gaudia quanta fuerunt!
Patrem inter ſobolemque, Pater complectitur illam,
Illa Patrem, facie genioque ſimillima Patri.
Maxima ſed Stygio vaſtus pons iſte tyranno
Lætitia eſt; pontem hunc immoto lumine ſpectans
Aſtupet, obtutuque hæret defixus in uno.
Donec eum impietas, vultum fucata nocentem,
Alloquitur tandem, & taciturna ſilentia rumpit.
   Hæc tua ſunt, Genitor, tua ſunt hæc inclyta facta,
Quæ tu nunc oculis ita ſuſpicis omnia fixis,
Atque trophæa tuæ ſunt hæc celeberrima dextræ.
Nam ſimulatque meo præſago corde putabam,
Corde meo, dulci pariter quod fœdere tecum
Conſpirat, curaſque graves & dulcia tecum
Gaudia partitur, tibi proſpera cedere fata,
Aſpectu manifeſta tuo, telluris in oris,
Me natumque tuum Genitor mora nulla tenebat,
Te licet oppoſiti dirimant divortia mundi,
(Tres adeo nos fata jubent concurrere in unum)
Quin pariter Stygii ſubito de ſede Barathri
Per tam immane chaos vacui per inania Regni
Corriperemus iter, ſectati ſigna tuorum

Clara pedum, unde recens erupit trames, ubi ante
Introitus via nulla dabat, via nulla recursus.
Vincula, tu nobis adimis, quos ante tenebant
Ferrea claustra domus Stygiæ, tu robora nobis
Suppeditas huc ferre gradum, viresque ministras
Metiri vacuum spatioso hoc ponte profundum,
Densis obsessum tenebris & nocte tremendâ.
Legibus, ecce, tuis ingens hic subditur orbis:
Jam tibi regna dedit tua clara ac vivida virtus,
Regna tuâ non facta manu, prudentia tandem
Jam tua sanguinei penitus damna omnia belli
Fœnore cum multo reparat, tristesque ruinas.
Multaque in ætheriis tulimus quæ vulnera regnis
Vulneribus pensata datis, quasi nulla fuerunt.
Hic Regnator eris, licet haud regnaveris illic.
Illic ille (etenim cecidit sic alea belli)
Regia sceptra gerat claro diademate cinctus;
Dummodo regna novi sponte hæc ingentia mundi
Abdicet, atque tuo imperio subjecta relinquat
Quandoquidem pœnam hanc sceleris jubet esse patrati.
Et tecum imperium & vasti moderamina mundi
Dividat: ille poli fulgentia lumine puro
Templa colat, seseque tuo secludat ab orbe.
Aut iterum incipiat tecum concurrere bello:
Hujus enim majore thronum quassare tumultu
Nunc poteris, quia major adest fortuna nocendi.
Cui ferrugineus sic rettulit ore Tyrannus:
Filia pulchra, & tu pariter mi nate, neposque,
Pignora jam vestri generis manifesta dedistis,
Prognati à Satana, (namque hoc ego nomine vero
Glorior, æTherio Regi implacabilis hostis;
Cujus ego celsum solium subvertere, & ipsum
Ætheriis, si fata sinant, detrudere regnis
Molior:) ac in me meritum admirabile vestrum est
Præ cunctis, qui regna habitant inamabilis Orci.
Tam propè sydereæ qui nunc radiantia portæ

Limina

Limina magnificos animo gaudente triumphos
Ducitis, atque meis junxiſtis veſtra trophæis.
Regnū unum ex orbe hoc facitis, ſtygioque barathro,
Regnum unū (quanquā hæc fuerant duo diſſita nuper)
Undique contiguum, pedibuſque meabile noſtris.
Ergo ego dum piceas peragro ſecuriter umbras
Per veſtrâ conſtrata manu firmiſſima ſaxa;
Ad ſocios Stygii proceres, regeſque Barathri
Nuncia grata ferens verſi jam in proſpera fati,
Ut mecum pariter communia gaudia carpant,
Multaque lætificos ut agant poſt dura triumphos,
Hac vos ambo via tot veſtros ite per orbes,
Declivemque gradum Paradiſi in mœnia dulcis
Tendite; vos illic pariter fœliciter ambo
Vivite, & omniparæ pariter regna omnia terræ
Imperio, aëriaſque plagas frænate ſuperbo,
Præcipuéque hominem, qui regnat in omnia ſolus.
Hunc veſtris primum pedibus ceu vile ſcabellum
Subjicite, ac tandem Stygiæ demittite morti.
Vos mihi ſubſtitui & vaſtum latè undique mundum,
Ecce, dedi vobis magnâ ditione tenendum,
Et tribuo validas facienda ad fortia vires.
Scilicet à veſtrâ vi concurrente duorum
Jus hæc in nova regna meum atque potentia pendet;
Regna hæc tabifico data per ſcelus obvia letho
Fraudibus, ingeniique cato molimine noſtri.
Quod ſi veſtra valet conjuncto robore virtus,
Non timor eſt Stygii, ne res malè cedat averni.
Ite igitur, ſociaſque ſimul conjungite vires.
Hæc ait his, & abire ſinit; tum protinus illi
Mœnia vaſta poli nitidis denſiſſima ſtellis
Pervolitant, ſparguntque procul lethale venenum.
Tum verò attonitæ palleſcunt undique ſtellæ,
Horreſcuntque vagi ſubito nigrore planetæ:
Parte aliâ Satanam reducem via vaſta ſtupendi
Pontis ad horrifici perduxit limen averni.

Hinc atque inde chaos reſonavit murmure vaſto,
Tartareaſque fores fremitu pulſavit inani
Jugiter, & tumidis invaſit clauſtra procellis.
Per portam Satanas, non ullo obſtante, patentem,
Et vacuam cuſtode pedem tulit; omnia latè
Deſolata videt; nam queis ea credita porta eſt,
Deſerta ſuperas ierant ſtatione ſub auras.
Cætera turba tenent Stygii penetralia regni,
Et Pandæmonii vigilant ingentia circum
Mœnia; magnifica hæc urbs eſt, ſoliumque ſuperbum
Luciferi, ſic dictus erat de nomine ſtellæ,
Cætera cuncta ſuis hebetat quæ ſydera flammis.
Haud ſecus Angelicas inter quondam ille catervas
Eminuit, Cœloque jubar diſperſit Eöum.
Hic omnis legio vigili in ſtatione manebant,
Conſilium at proceres regni de rebus habebant,
Solliciti ne fortè ſuum fata aſpera regem,
Detineant, vel iter cogant abrumpere cœptum.
Ille ita diſcedens præceperat; hi quoque promptis
Obſervant præcepta animis, & juſſa capeſſunt.
Tartarus armiferos veluti, ſæva agmina, Ruſſos
Trans latè obductos hyberno vellere campos,
Aſtracanâ fugiens volucrem prævertitur Eurum.
Bactrius aut populus trepidâ formidine pulſus
Cornibus à niveæ Turcarum in gente Dianæ,
Undique Aladulos vaſtat cultoribus agros,
Casbenam, Taurímve fugâ dum attingere certat.
Haud aliter picei numeroſa hæc turba barathri,
Turba expulſa polo, ſuperiſque à ſedibus exul
Ultima regna Stygis ſpatio excurrentia vaſto,
Horrentes ſine ſolè domos, deſerta reliquit.
Metropolinque ſuam vigilum latè undique cingunt
Agminibus, reditumque ſui Rectoris anhelant.
Ille acies tranſit medias, neque noſcitur ulli
Vultu habituque latens minimâ de plebe quiritis,
Perque fores Stygiæ non ulli viſilis aulæ

Se

Se turbæ insinuat, soliumque ascendit in altum,
Quod textum est niveo variè rutiloque metallo,
Regificúmque micat sublimi in culmine fixum.
Discubuit paulum, atque oculos circumtulit altos,
Undique cuncta videns, nulli tamen ipse videtur.
Tandem ceu media vultum ille è nube coruscum
Extulerat, stellæ similem, stellæve nitorem
Qui superet, quantumque decus permittitur illi
Post lapsum, quantoque licet fulgescere fuco,
Cunctorum ante oculos dat clarâ in luce videndum.
Agmina tum Stygiæ subito fulgore catervæ
Attonitis stupuêre oculis, lætique videbant
Principis ora sui, votis quem sæpe petebant;
Lætitiamque suam vastis clamoribus omnes
Significant, proceresque ruunt, conclave relicto,
Lætitiâque pari & paribus clamoribus illi
Gratantur reduci: tunc ille silentia dextra
Imperat, & cupidas his vocibus arrigit aures:
Sceptra, potestates, virtutes, regna, thronique,
Non tantum vobis veneranda hæc nomina jure
Competere, ast opibus bene consentire paratis
Testificor, nam nunc redii spe faustius ipsa,
Ut vos è Stygii tenebrosâ hac sede Barathri,
Hac tristi sine sole domo, rigidoque tyranni
Carcere ducam; alacres igitur celebrate triumphos.
Nunc habitanda novi do vobis mœnia mundi,
Sydereo pœne æqua polo, mihi parta labore
Duro ac difficili, magnis mihi parta periclis.
Hæc habitate simul, sceptrisque hæc subdite vestris.
Longa referre mora est quot mira & magna peregi,
Dum per inane chaos, vacui per vasta profundi
Æquora nec spatio nec fine coërcita certo
Rumpebam violentus iter: sed nuper ibidem
Impietas Thanatusque unito robore latam
Constravêre viam, vestrasque quæ ferre phalanges
Possit, & armiferæ radiantia millia turbæ.

Ipse

Ipse labore gravi trans intractabilem Abyssum
Ignotum eluctabar iter : vacuoque profundo
Mersus eram æternæ, vastâque voragine noctis,
Quæ mihi dum trepidant, sua ne secreta patescant,
Opposuêre suas penetranti hæc invia vires :
Fixaque terrisono testantur fata tumultu.
An referam inde novi penetrârim ut mœnia mundi
Cujus in ætheriis facta olim est mentio regnis ?
Fabrica pulchra illa est, speciosa, & florida, cunctis
Undique plena bonis ; hominemque creavit in illa,
Fixit & in mediis Paradisi nobilis hortis :
Cui nostrum exilium dederat vixisse beatè.
Hunc blandis mea lingua dolis dulcique veneno
Autoris violare sui venerabile fœdus,
Quodque magis mirum est florentis germine ligni
Pellexit, jamque ætherius Pater horridus ira
Hunc hominem mundumque novum scelerique neciq;
Dat prædæ atque adeo nobis : procul ergo periclis,
Anxiferoque metu procul atque doloribus ægris
Hic habitare, atque hic passim ire redire licebit
Ad libitum, inque hominem pariter dominarier ipsum,
Omnia quem decuit dominari in cætera solum,
Confiteorque etiam sententia tristis ab illo
Dicta mihi fuerat ; quin haud mihi dicta, sed angui
Bruto hæc ipsa fuit, cujus sub imagine tectus
Traxi hominem in laqueos linguæ dulcedine nostros.
Nempe atrox odium & tristes denunciat iras,
Queis hominem ipse petam, atq; homo me sine fine vi-
Hujus ego calci dabo vulnera, sed mihi contra (cissim;
Conteret ille caput, sed non quo tempore dictum est.
Triturámne pati, aut graviorem ferre dolorem
An dubitas, si mundus erit pro vulnera merces.
Et quid adhuc ultra superest, nisi surgere, Divi,
Mox, ut mille novi carpatis gaudia mundi.
Hæc ubi dicta dedit, paulum stetit, expectando
Lætificos audire sonos, hilaresque triumphos ;

Cum contra innumeræ mox edunt ſibila linguæ
Undique, ludibriis quaſi proſcindatur apertis :
Res ea mira quidem viſa eſt, mirarier autem
Non vacat hanc ; ſibi mox magis admirabilis ipſe eſt,
Vaſtus enim ſubito tenuatur acumine vultus,
Inſitaque in medias coaleſcunt brachia coſtas ;
Cruraque in alternos orbes coëuntia, tandem
Dejiciunt in humum, ac toto jam corpore verſus
Immanis ſerpens in longam tenditur alvum.
Ille quidem ſibi ſe vano luctamine certat
Excutere indignans, propriamque reſumere formam.
Sed premitur majore manu, vultuque in eodem
Quo ſcelus admiſſū eſt, ſceleris quoq; reddita pœna eſt
Ille quidem cupit ore loqui, aſt alterna triſulcis
Lingua triſulca dedit reſpondens ſibila linguis.
Nam ſerpentinos pariter jam tota caterva
In vultus converſa fuit, quia nempe miniſtram
Suppeditavit opem ſceleri, aſſenſuque probavit.
Perſonat horrificis aulo undique tota ſuſurris,
Quos dederant formis variis monſtra horrida, paſſim
Innexas capiti per humum volventia caudas.
Scorpius, Aſpis atrox, dira Amphisbæna, Ceraſtes
Corniger, Hydra ferox, Ellops, ſitibundaque Dipſas.
Non tot Gorgoneo tellus conſperſa cruore
Monſtra tulit, medióve Ophiuſa interſita ponto,
Vaſtâ at mole alios medius ſupereminet omnes
Ipſe draconis habens majori corpore formam,
Quam Python, Phœbi radiis quem Pythia tellus
Limoſo calefacta ſinu generaverat olim,
Nec minus ille alios ſuperabat viribus omnes,
Quem circum agglomerant ſimul, & comitantur euntē
Effuſi in campos longè latéque patentes,
Pars ubi apoſtaticæ pulſæque ex æthere turbæ
Cætera juncta ſtetit circumdata fortibus armis
In ſtatione ſuâ, & vanâ ſpe concita turget.
Namque redire ſuum multâ cum laude Tyrannum,
Undique

Undique lætifico circum resonante triumpho
Sperabant: hæc læta sibi spectacula spondent:
Sed spectacla oculis multum diversa repente
Attonitis objecta vident: serpentibus atris
Undique squalet humus; subito tremor occupat artus,
Sympathicusq; pavor: nam quod modo mente videbant
Attonitâ, nunc se fieri mirantur idipsum.
Arma repente cadunt, clypeus cadit, & cadit hasta,
Mox ipsi cecidêre super, mox dira novarunt
Sibila, mox diram rapiunt contage figuram.
Par erat impietas, ideo par pœna secuta est,
Atque ita plausus erat horrenda in sibila versus,
Et pro lætificis sonuerunt fœda triumphis
Opprobria, asperguntque suo sibi dedecus ore.
Haud procul hinc lucus subito caput extulit altum,
Ut primum hi cæpêre novas assumere formas,
(Hoc etenim, pœnâ ut plectat graviore rebelles,
Jusserat ipse Pater magni Regnator Olympi.)
Florida poma gerens, illum referentia fructum,
Quem Paradisus habet, laqueum, quo ceperat Evam
Tentator: cupido figunt hic lumina vultu.
Proque uno vetito sibi mille assurgere ligno
Ligna novam cladem, atque novum paritura pudorem
Crediderant: sed cum sitis intoleranda famesque,
Utraque missa licet sæva in ludibria, vexent
Hos graviter, nequeunt animos cohibere furentes,
Quin cupidè in densos per humum volvantur acervos,
Atque catervatim lignorum brachia scandant,
Considеantque super virides vasto agmine ramos
Densius anguineo furibundæ crine Megæræ.
Pomum avidè carpunt formosum & amabile visu,
Quale bituminеæ crescit prope flumina terræ,
Arsit ubi quondam ætheriis Sodoma undique flammis.
Hoc tamen illusit graviusque ac durius illo,
Illud enim subito in cineres tangendo solutum est,
Hoc manet ut fuerat donec semel ore receptum est,

Aſt ubi jam guſtando gulam ſedare parabant,
Pro fructu cineres crepitant ſub dentibus: ergo hos
Mox ſtrepero ore ſpuunt: tamen ipſa hac ſæpe moleſtã
Hi ratione famem atque ſitim lenire retentant;
Sæpe cavos iterum rictus fuliginis atræ,
Et cinerum plenos diſtorſerat acer amaror.
Uſque adeo toties laqueo capiuntur eodem.
Non ita captus homo eſt, tantum vice ſimplice lapſus,
Quo lapſo tamen altiſonos egêre triumphos.
Sic tulerant varios iterumque iterumque dolores,
Tabenteſque fame & fundentes ſtridula ſemper
Sibila donec eos tandem Pater ætheris alti
Paſſus in antiquas iterum remeare figuras.
Hæc certos patienda dies imponitur illis
Annua pœna, aliquos niſi forſan opinio fallit.
Ne nimium humani generis peperiſſe ruinam
Exultent, nimiumque hominis de clade triumphent.
Sed tamen in gentes longè latéque profanas
Diffudêre ſuam per poſtera ſæcula famam,
Atque per ora volat veterum victoria vatum
Priſtina; ſerpentem, qui nomine dictus Ophion,
Et pulchram Eurynomen (Evam fortaſſe per omnes
Quæ dominata fuit) alti moderamen Olympi
Imperiis tenuiſſe ſuis, quos expulit illinc
Saturnus conſorſque tori longæva, priuſquam
Creta Jovem ediderat primas in luminis auras.
Interea nitidos Paradiſi nobilis hortos
Infauſto tetigêre gradu, Styge nata, gemella
Progenies: prima impietas pervenerat illuc
Quæ poſtquam admiſſa eſt, nunc incola regnat in ipſo
Corpore, & hic certam ſedem ſecura locavit.
Hanc ſequitur, celerique pedem pede fervidus urget
Nondum vectus equo Thanatus pallente tremendus.
Cui ſic impietas polluto dixerat ore;
O Thanate, à Stygio ſtirps altera nata Tyranno,
Qualia Regna vides magnâ ditione tenemus,

Parta labore licet multo, variisque periclis,
Nonne operæ pretium tulimus te judice ? nonne
Degere præstat in his lætum regionibus ævum,
Quam ferruginei vigilare ad limina regni,
Et sine terrore, & sine nomine ; te quoque sævam,
Heu ! semper patiente famem. Mox horrida proles
Impietatis ait, mihi Styx, Paradisus, & alti
Regia clara poli nullo discrimine habentur,
Cum violenta fames mea viscera semper adurat.
Spes ubicunque avidæ mihi præsto est certa rapinæ,
Vita ibi grata mihi est : tamen ampla hæc copia nostræ
Haud immane gulæ satis est explere Barathrum.
Cui tum sic iterum genitrix incesta regessit.
Tu vero his herbis, his vescere fructibus, atque his
Floribus imprimis, posthæc tibi bestia gratos
Omnis ubique cibos, piscesque, gregesque volantum
Sufficiant : atque omne quod irreparabile tempus
Falce metit, patulo ore tibi glutire licebit.
Donec ego humanis residens in gentibus, harum
Mentes, atque manus, vultus, vocesque venenem,
Ut veniant postrema tibi ac dulcissima præda.
Hæc ubi dicta : vias ambo petiêre repentè
Diversas ; unum interea tamen occupat ambos
Officium, subita vel perdere cuncta ruina,
Quicquid ubique trahit vitalem luminis auram,
Vel saltem in gelidi portas perducere lethi
Serius aut citius : videt hæc Regnator Olympi
Omnipotens, altique sedens in culmine regni,
Sanctorum innumerâ circum stipante catervâ ;
Flammiferos tali compellat voce ministros.
Quantus agat stygios furor iraque sæva Molossos,
Cernitis, ecce novum cupientes perdere mundum,
Quem pulchrum pariterq; bonum mea dextra creavit,
Atque huc usque bonus pariter pulcherque maneret,
Nec formâ & bonitate suâ privata fuisset,
Perfidia humani generis nisi limina pandat

His furiis, quæ stultitiæ mihi crimen inurunt:
Hoc faciunt Rector Stygius, Stygiæque catervæ,
Quod penetrare locum patiarque invadere Regnis
Tam similem ætheriis, quodque hostibus ipse superbis
Gratificer, risusque illis & fabula fiam:
Ceu mihi transversum subito torrente tulisset
Ira animum, ac illis moderamina flectere rerum,
Arbitrioque suo dominari in cuncta dedissem.
Bruta tamen Stygii non nôrunt turba Molossi
Se nostrâ in nova regna manu venisse trahentis,
Seque meo imperio & voci parêre vocantis;
Ut sordes avido ore vorent, & stercora lambant
Fœtida, queis scelus humanum latè omnia tinxit:
Donec ubi pœne immodicis rumpuntur ofellis,
Quas rapuêre avidè collectas undique, tandem
Impietas, Thanatusque, inhiansque vorago sepulchri
Uno intorta tuæ, mea lux, nate unice, dextræ
Impulsu per inane chaos, rabida ora Barathri
Æternum claudant Stygii, faucesque tremendas.
Tunc Cœlum atque solum pariter renovata vigebunt
Justitiâ, nullamque ferent post denuò labem:
Hunc sed ad usque diem devotum utrumq; manebunt.
Hæc ait; & circum ætheriæ cecinêre choreæ:
Cantibus altisonis Dominum laudate perennem:
(Copia tanta fuit Domini pia facta canentum,
Murmura ut æquorei superent resonantia ponti:)
Omnia facta tuæ pura & sine crimine dextræ,
Atque animi consulta tui per secula durant.
Quis tenuare tuas ausit, Pater optime, laudes?
Tunc Patris æterni simili quoque carmine natum
Concelebrant, qui post diri atque inamabilis Orci
Humanam rapturus erat de gurgite gentem:
Imperio cujus Cœli nova forma solique
Exoritura fuit sæclis exinde futuris,
Aut ventura poli sublimi à culmine, tales
Ore dedêre sonos, cum Divûm hominumque creator
Dividit

Dividit aligeris sua munia cuique ministris,
Nomine quemque vocans: primum sol vertere cursus
Jussus erat, lucemque suam diffundere mundo,
Ut nimio modo terra gelu constricta rigescat,
Visceribusque sitim nimio modo contrahat æstu,
Utque hyemes gelidæ veniant ex axe Boræo,
Solstitiique dies calidi fundantur ab austro.
Et sua tum niveæ præscribunt munera lunæ;
Præscribuntque aliis motum aspectumque Planetis
Pestiferum, spatiosa poli dum regna pererrant.
Ut nunc quadratâ, interdum sextile figurâ,
Nunc trinâ, adversis positi modo frontibus illi,
Nunc simul agglomerati unâ in regione, malignos
In terram effundant radios, & sydera celso
Fixa polo varias docuerunt tempore certo
Depluere in terram radianti ex æthere pestes:
Et statuunt quæ ex his reducem comitantia Phœbum
Mane, vel Hesperias repetentem vespere Lymphas
Aëra turbarent rapidis quaterentque procellis.
Et varios varias ventos invadere sedes,
Temporibusque jubent certis confundere pontum,
Aëraque & subitis resonantia littora flabris.
Temporibusque jubent tonitru sua flammea saxa
Volvere in aëriis horrendo murmure campis.
Sunt qui illum aligeros dicant jussisse ministros
Bis denis gradibus Phœbæis axibus, & plus
Terrenos removere polos: qui ad jussa parati
Divina, obnixo torserunt robore centri
Obliquâ in regione globum: pars altera vero
Phœbum flammiferas jussum dixêre quadrigas
Tot removere gradus æquantis limite spiræ
Ad taurum, & septem genitas Atlante sorores,
Spartanoque satos geminos de sanguine fratres,
Usque ad flammiferi ferventia brachia caneri.
Hinc ubi conversas iterum deflexit habenas
Declivum molitur iter per terga leonis

Virgineumque deinde caput, libramque bilancem
Usque ab brumalis sidus gelidum Capricorni.
Ut spatiis varium permutet quatuor annum.
Aut aliter toto vernâsset floribus anno
Tellus, atque foret semper nox æqua diei,
Exceptis quorum circos transgressa polares
Terra fuit: sine nocte dies se ostenderet illis
Perpetuus, nullâque tegens caligine mundum,
Dum Phœbus pressas agitans declivis habenas
Ut pensata foret spatii distantia major
Semper Horizontem sua per vestigia gyris
Raderet assiduis, nec nunc repetîsset Eöum
Æthera, & hesperias nunc præcipitâsset in undas.
Sic glecialis hyems, Scythico sic frigora ponto
Pulsa forent, bimæque nives, tumulique gelati,
Bruma Magellanam nec tangeret horrida Terram.
At simulac vetiti pomum inviolabile ligni
Attigerat scelerata manus, Sol vertere cursus
Mox compulsus erat, qualis fugiendo per ortus
Ille Thyestæas fecit trepidare Mycænas.
Sin minus, an poterat tellus habitabilis, omni
Crimine pura licet, rigidæ mala frigora brumæ,
Aut rapidi immodicos cancri vitare calores:
His vicibus quanquam lentis ubi Regia Cœli
Alta objecta fuit, terram & maris æquora cogit
Consimiles variare vices: nunc astra maligno
Intuitu inferiora vident, passimque vapores
Æstiferi, nebulæque atræ contage veneni,
Pestiferisque replent vacuas afflatibus auras.
Nunc Aquilo, & præceps Boreæ violentia terris
A Scythicis, Thracisque volant, & carcere aheno
Perrupto armati nivibus, glacieque rigenti,
Armati horrisonis cum grandinis imbre procellis
Vi validâ sylvasque ruunt, atque æquora versant.
Hinc notus, adversisque gerit fera bella procellis
Fulmineis armata globis cava nubila cogens,
Terri-

Terribilem piceâ tectus caligine vultum
Africus à Terrâ prorumpens Serralionâ.
Hinc tranſverſa fluunt animis, & viribus æquis,
Euruſque, Zephyruſque ferox cum murmure vaſto.
Cœpit ab exanimis adeo furor iraque rebus.
Impietatis item, natu quæ maxima proles,
Inter bruta tulit ſævas animalia mortes,
Improba ſollicitas ſtimulans diſcordia rixas.
Quadrupedi pugnat quadrupes, volucrique volucris;
Et piſcis cum piſce ferox hoſtilibus armis
Prælia ſæva gerit: jam priſtina pabula ſpernunt,
Jam tondere piget viridantes gramine campos:
Alterum & alterius vivunt animalia letho.
Priſca nec in gentem humanam reverentia durat,
Sed fugiunt, vel ſi ſteterant, fera bella minantur
Fronte truci, torvoſque oculos jaculantur in illam.
Hæc ex parte oculis creſcentia vidit Adamus
Damna externa ſuis, denſâ licet abditus umbrâ
Turbidus ille alios foveat ſub corde dolores,
Nam mala cæca animo fuerat perpeſſus in imo
Externis graviora malis, intuſque laborat
Luctibus, & vario curarum fluctuat æſtu,
Exoneratque graves triſti ſic voce querelas.
Heu! ego qui fœlix fueram, miſer, ecce, laboro
Mille malis: ſic ergo novi jam gloria mundi
Maxima, cujus ego fueram modo gloria, tranſit:
Ante beatus eram; ſed nunc maledixit Olympi
Arbiter; hujus ego faciem nunc, ecce, tremiſco,
Quæ modo viſa animum rapuit dulcedine noſtrum;
Sed bene, ſi noſtris hæc ultima meta fuiſſet
Fixa malis: iſtas nam me quoque judice pœnas
Promerui, patererque libens, ſed plura ſuperſunt;
Quicquid ago, quocunque ſitim reſtinguere tento,
Aut relevare famem, quicquid de ſanguine noſtro
Progenitum veniet vitalem in luminis auram,
Omnibus his flamma ætheriæ ſuperimminet iræ,

O quam grata meis vox hæc dulcissima quondam
Auribus insonuit ; numerosam gignite prolem !
Nunc instar mihi mortis habet? quid gignere? quid fas
Multiplicare mihi est, capiti nisi millia nostro
Dirarum sine fine precum jaculanda per ævum ?
Ecquis enim in sæclis vitali luce futuris
Perfruiturus erit, quin cum ter mille malorum
Me fontem sciat esse sibi, me mente malignâ
Devoveat, capitique meo mala mille precetur.
Heu mala multa viro, nostræ qui gentis origo est,
Eveniant, namque has grates debemus Adamo.
Quas grates referemus ei, nisi debita tantis
Vota sinistra malis ? sic præter mille dolorum
Agmina, queis jam tum premimur, dein omnia de me
Quæ prognata, in me gravido conversa repulsu
Sunt ruitura, suum pressuraque pondere centrum,
Fixa suo licet illa loco tum sponte quiescant.
O fortuna fugax ! Paradisi O gaudia dulcis
Vanida, & ingenti brevis emptâ dolore voluptas !
Téne ego, magne Parens, obnixâ voce rogavi,
Ut mihi formatum luteo de pulvere vultum
Humanum indueres ? an te, Deus alme, poposci
Ut me de tenebris traheres, hortique locares
In medio Ambrosii ? mea nullâ ex parte voluntas
Esse mihi dederat, fas ergo & jura requirunt
In veteres iterum cineres revocare, volentem
Reddere cuncta, animo cupido quæcunque recepi,
Cui tot habenda, licet minime quæsita, dedisti ;
Sed certâ sub lege tamen, quam implere necesse est,
Tot bona si retinere velim ; sed robora desunt,
Deficiuntque humeri tanto sub pondere nostri.
His damnis per se gravibus satis atque molestis,
Cur superaddideras longos sine fine dolores ?
Justitiæ reserare tuæ mysteria non est.
Sed tamen ut verum fatear mea sera querela est.
Conditio tunc cum primum est oblata, repelli

Debuit :

Debuit : huic faciles adhibebas protinus aures :
Túne fruêre bono, & de conditione fruendi
Jurgia vana tamen, rixaſque movebis inanes.
Te licet Omnipotens ſine te fabricaverit, ecquid
(Semine nata tuo ſi forſitan improba proles
De vitiis reprehenſa ſuis tibi talia reddat,
Cur igitur tu me genuiſti ? haud ipſe petebam.)
Verba ſuperba animo nati haud patereris iniquo ?
Sed nec ſponte tuâ eſt genitus : quæ cuncta gubernat
Te natura potens fatali lege trahebat ;
At te ſponte ſua Omnipotens Deus ille creavit,
Atque ſibi inſervire bonus te juſſit ab ipſo
Tum tibi ſponte datis, & prœmia larga ſpopondit
Munificus, pœnam ergo illius ſacra voluntas,
Quam tibi cunque velit, jam jure infligere poſſit.
Sic eat : ipſe jugo ſubdo mea colla libenter.
Pœna indicta animo venit optatiſſima noſtro.
Pulvis nuper eram, fiam quoque denuo pulvis
O grata hora mihi ! veniat, quocunque libebit
Tempore : cur miſeræ non rumpit ſtamina vitæ
Mortifera mox ille manu, quando hæc modo noſtro
Ipſa dicata dies letho fuit illius ore ?
Cur vivo, neque adhuc lumen vitale relinquo ?
Cur mihi ludibrio mortem minitatur inani ?
Et pœnam ſine morte meam producere pergit ?
Mors veniat, mihi munus erit, mox fabrica maſſæ
O reddar luteæ, & mutum immotumque cadaver
Quam placidè in gelidâ poſitus tellure jacerem !
Haud ſecus ac infans reclinis ad ubera matris,
Hic ego dormirem, hic placidam ſine ſine quietem
Acciperem : nec vox tonitru mihi ſæva tremendo
Illius ore volans trepidas reſonaret in aures,
Nec mihi terrerent trepidam formidine mentem,
Triſtia majores poſthac minitantia clades
Fata mihi, genitiſque meo de ſanguine natis.
Interea una animam vexat cura anxia noſtram

Ne non omnis ego moriar, ne forſitan auræ
Particula ætheriæ, noſtros qui concitat artus
Non pariter cum carne cadat de pulvere facta.
Quis ſcit, ego gelidi quin fors ſub mole ſepulchri,
Aut alibi clauſus tenebris, & carcere cæco
Vivacem moriturus ero per ſæcula mortem.
Hei mihi! ſi ventura tremo, ſi vera paveſco.
Cur tamen hæc timeam? vitalis ſpiritus auræ
Solus erat ſcelerum maculatus labe meorum.
Quid moritur, niſi quod lumen vitale notatum
Labe trahit? brutum eſt ſine labe & lumine corpus.
Totus obibo igitur, timor ergo faceſſat inanis:
Ulterius quia mens hominis pertingere neſcit.
Si Pater ille Deûm, nullo qui includitur ævo
Fine caret, num hinc ira Dei quoque fine carebit?
Sin careat, non ſic hominum gens ſubdita letho.
Quomodo perpetuas ſine fine ardebit in iras
Erga hominem, cui fata dabunt atrocia finem?
An mortem ſine morte dabit? contraria vera
Sic fierent ſimul atque ſemel: quæ Rector Olympi
Omnipotens præſtare nequit: nec dedecus illi eſt;
Debilitatis enim, validæ non talia dextræ
Signa forent: dum laxa ſuo dat fræna furori,
Finita an ſpatiis plectet Deus infinitis
Temporis? an furor ille Dei durabit in ævum,
Ut ſatiet nullis odium ſatiabile pœnis.
Sic ultra mutos cineres, ultraque perennem
Naturæ legem, ſceleri quæ dabita noſtro eſt
Pœna extenta foret: cauſas accommodat ipſi
Materiæ natura ſuas, nec porrigit ultra.
Quod ſi fortè tamen mortem non unica plaga
Efficiet, ſenſumque mihi non ſubtrahet omnem,
Ut modo credideram deluſus imagine vanâ,
Et mihi reſtat abhinc miſerorum æterna dolorum
Congeries, quæ nunc intra me incepit, & extra
Innumeris vexare malis; nunc hei mihi rurſus

Ful-

Fulmineo revolat graviter timor iste repulsu
In nostrum galea vacuum caput. Hei mihi! mortem
Ipse ego, morsque simul reperimur habere perennem
Conjuncti, manibusque manus, atque oribus ora;
In corpusque duo pariter coälescimus unum.
Nec mihi se soli sociam dedit illa perennem,
Sed genitis de stirpe meâ per sæcula cunctis.
Posteritas mea tota meo pro crimine sacra est.
Qualia linquo, mei vobis patrimonia, nati!
O utinam hæc possem patrimonia perdere solus,
Nec minimam nostro genitis de sanguine partem
Linquere! sic mihi posteritas benediceret olim,
Quem nunc ominibusque malis dirisque sequetur.
Heu! cur tota hominum gens crimine pura periret
Ob noxam, & furias hominis tantum unius? atqui
Crimine pura tamen dici vix illa meretur.
Ecquid enim de me genitum non undique totum
Impurum esse potest, maculisque scatere pudendis?
In genus omne malum late immedicabile serpit,
Quorum tincta meo mens crimine, tincta voluntas
Tendit in omne nefas, scelerumque libidine fervet.
Quomodo stare valent illi quasi crimine puri
Ante oculos vultumque Dei, quem absolvere cogor
Crimine? quicquid ago, quoquo mea lumina verto,
In variis quanquam rationum ambagibus errem,
Et labyrinthæis anfractibus, unica culpæ
Causa probor, scelerisque coarguor unicus esse
Fons & origo mei, pestisque luesque meorum.
O utinam sic ira Dei me vergat in unum!
Quid votis insane petis? tun' debile tergo
Pondera ferre potes terram superantia, totum
Vastâ mole sua longè superantia mundum,
Fæmina dira licet fuerit partita laborem,
Atque oneris mediam tulerit licet hæc quoque partem?
Sic pariter quodcunque petis, quodcunque tremiscis,
Quod fugis aut sequeris pariter spem subtrahit omnem.

Omnia

Omnia te miserum esse probant ante omnia, quicquid
Ante fuit vel post aliis orietur in annis.
Satanicum heu! pœnâque refers & crimine fatum.
Eheu! flagitii mihi mens male conscia diri,
Quali me in barathro, qualique voragine mergis
Venturi mea corda mali formidine vexans?
Pectoraque excidio quatis irrequieta futuro?
Hinc via nulla patet reditus, sed in ima Barathri
Demergor magis atque magis. Sic solus Adamus
Per tacitam altisono lugebat murmure noctem;
Noctem quam tepidi salubris non aura favoni
Afflando gestire facit, velut illa, ruinam
Ante hominis, fuerat dulci consueta flabello.
Sed niger & densâ caligine luridus aër
Horrificam ante oculos animumque objecit Erynnim,
Terrorem ingeminans, atque anxia pectora pulsans,
Consciaque ora scelus gelido pallore colorat.
In gelidâ tum corpus humo prostravit, & illic
Sæpe diem, primas qua luminis hauserat auras,
Devovet, atque etiam mortem tam sæpe morantem
Increpat ille; diem fore culpæ & mortis eandem
Quandoquidē audierat. Cur nunc mors lenta moraris?
Nec mihi ter grato semel uno vulnere, dixit,
Vitam adimis? dictóne fidem constare necesse est?
Aggreditúrve suum lentè divina laborem
Justitia? heu! durā mihi mors nunc denegat aurem:
Nec precibus commota meis miseroque ululatu
Justitia accelerat. Vos colles undique, valles,
Et nemora, & fontes liquidi, gelidique recessus,
Echo longè aliam vestras mihi sæpe per umbras
Antehac, atque alias docui resonare Camœnas.
Hunc simulatque videt miseros miserabilis Eva
Fundentem ore sonos, ubi desolata sedebat;
Fit propior, blandisque gravem lenire dolorem
Incipit alloquiis, & curas demere dictis.
Hanc tamen ille truci vultuque & voce repellit.

Hinc

Hinc procul, O ferpens, procul hinc: tu hoc nomine
Fœdus amicitiæ quæ cum ferpente dolofo (digna es,
Par ipfi fcelere, atque dolis damnabile pangis.
Nil tibi prorfus abeft nifi ferpentina figura
Et color, ut fraudes tacito fub corde latentes
Oftendant, moneantque omnes, ne gratia formæ
Tartareis prætexta dolis fe in retia ducat.
Fœlix factus eram; fic & per fæcula fœlix
Duraffem ifta tuæ nifi dira fuperbia mentis,
Atque infanus amor, ftudiumque immane vagandi
Cogeret à monitis aures te avertere noftris.
Sponte pericla fubis, indignarifque timeri:
Teque aliorum oculis gaudens præbere videndam,
Ipfum non Satanam refugis, quia fcilicet ipfum
Vincere poffe putas: fed mox te callidus anguis
Repperit, inque fuos laqueos trahit illico, tuque
In laqueos me, vafra, tuos (miferabile) tràxti.
Sic tibi fifus eram nimium, veniamque vagandi
Perfuafus concedo tibi, quia nempe fidelis,
Firmaque vifa mihi es, nullique obnoxia damno.
Nec fimulacra boni te nuda & inania vidi
Effe, (licet niteas fpecie virtutis & umbrâ,)
Incurvamque meo coftam de corpore demptam,
Partibus acclinem, fic nunc patet, ecce, finiftris.
O fi ejecta meis quafi cofta fuperflua coftis
Hæc foret! ah! fapiens hominum Divûmque Creator,
Spiritibus qui dat maribus radiantia Regna,
Sydereafque habitare domos, cur ille volebat
Defectum fabricare novum hunc? & fphalma decorũ
Naturæ hac regione locat? nec protinus orbem
Terrenum implevit maribus, velut alta fereni
Regna poli igniferis, ubi fæmina nulla, miniftris?
Aut aliam cur non generandi invenerat artem
Humani generis? non hoc miferabile fatum
Contigerat, non mille aliis poft terra fuiffet
Tota oppreffa malis muliebri ex indole natis.

Ardentique nimis sexus sequioris amore.
Vix reperire viro dabitur per millia gentis
Unam fæmineæ sociam, quæ est apta virili,
Conveniensque animo: sed sorte oblata maligna
Tristia damna feret, vel erit rumore sinistro
Fabula, risum aliis præbens lachrymasque marito.
Aut si quam inveniat, cujus mereatur amorem
Candida forma suum, castæque modestia mentis,
Ipsa repugnabit cupido vincique negabit:
Curret in amplexus tamen inferioris, at ille
Dura hæc fata videns animo torquebitur ægro.
Aut ea si curis respondet, & æquat amorem,
At mens sæva patrum, nimiumque adversa vetabit
Se cupido cupidam juveni sociare puellam.
Aut quam longè aliis cunctis modo prætulit, hosti
Ille suo inveniet subitos sociâsse hymenæos,
Castaque legitimi subiisse hanc fœdera lecti,
Hinc odium atque pudor mentem vexabit acerbus;
Hinc quoque mille malis humana objecta patebit
Vita, & amica bonæ turbabit fœdera pacis.
  Dicta haud plura dedit, faciemq; obvertit; at Eva
Non ita pulsa fuit: lachrymis sine fine profusis
Exululat, sparsisque jacet prostrata capillis
Illius ante pedes, oculis dextrâque precanti,
Et genua amplectens effatur talia supplex:
  Ah! ne destituas me sic, O Adame, misellam;
Nam mihi syderei testis Regnator Olympi,
Quam sit verus amor meus & reverentia, qua te
Prosequor; admisi dirum hoc scelus inscia vafris
Heu! miserè decepta dolis: te supplice vultu
Ecce, precor, genua amplectens, genibusque volutans,
Ne vultus averte tuos, solatia vitæ
Sunt ea sola meæ, nec opem mihi, consiliumque
In mediis renue hisce malis queis mergimur ambo
Suppeditare tuum, mea vis, mea sola potestas.
Si tu destituas, ego quo miseranda revertar,

Quam reperire mihi requiem, curæque levamen
Fas erit? interea miseri dum vivimus ambo
Forsan utrique simul vitam hora brevissima claudet.
Inter utrumque, precor, maneat pax integra, damnis
Junctus uterque sumus pariter, jungamur iisdem
Sic inimicitiis, pariter, fera bella gerentes
Cum serpente truci, quem nobis destinat hostem
Omnipotens, longoque jubet contendere bello.
Ah! ego meta tuo ne sim devota furori
Ob cladem hanc miserā, fatum hoc plorabile, jam tum,
En, perii, atque magis sum te miserabilis ipso.
Offendit tua culpa Deum, ast offendit utrumque
Teque Deumque scelus, nostræque injuria culpæ.
Ergo sydereum repetam conversa tribunal,
Supplicibusque Deum precibus votisque rogabo,
A capite ut deflexa tuo me verget in unam
Pœna gravis, miseræ quoniam tibi causa ruinæ
Una fui, me me ille igitur nunc puniat unam.
 Hæc ait, & largo fletu simul ora rigavit.
Hanc ubi demisso sic pacem exposcere vultu,
Confessumque scelus miseris plorare querelis
Vidit Adamus, eum miseratio tangere cœpit.
Ira furorque brevis subito lentescit in illam,
Quæ vitæ modo vita fuit, modo prima voluptas
Prostratam ante pedes vultu tam supplice, tamque
Formoso, & placidæ renovari fœdera pacis
Implorantem & opem nunc consiliumque petentem
Illius, ante gravem cujus stimulaverat iram:
Prorsus inermis erat, furor omnis abivit in auras,
Mœstaque sic placidis hilaravit pectora dictis:
 Incauta O mulier, dirâque libidine fervens
Ignoti, velut ante, mali, quæ poscis ut in te
Unam tota simul pœna inclinata recumbat.
Fer pœnam prius ipsa tuam: tune illius iræ,
In te tota simul laxis si irrumpat habenis,
Sufficies, cujus minimâ sub parte laboras?

Vix

Vix tu iram scis ferre meam: si immota perennis
Flectere fata Dei possem sperare precando,
Te prior ipse Dei peterem cœleste tribunal,
Altisonisque Deum precibus votisque rogarem,
Ut mox in nostrum caput unius irruat omnis
Pœna utriusque, tuumque absolvat crimine sexum
Viribus exiguis, malefirmo & robore nixum,
Cujus erat tutela mihi commissa: sed, eheu!
Deserui in mediis ego te, mea vita, periclis.
Surge age vesanis non denuo jurgia verbis
Vana ciêre opus est, aut mutua tundere probra.
Quin potius blandum alterni certamen amoris
Aggredimur? si qua liceat relevare laboris
Pondera dura gravis, pariter cui subdimur ambo.
Non hac cœpta die, nisi mens mihi devia veri est,
Mors abitura cito est: testudine tardius ibit,
Et longo est tractura gradum molimine, nostros
Ut luctus mora lenta gravet, cumuletque dolores,
Pœnaque ut in seros, (stirps O malefausta) nepotes
Diffundat sese, & latè in genus omne vagetur.
   Cui tum læta animis ita rettulit Eva receptis:
Dulcis Adame, docet me jam experientia tristis
Ponderis esse meis minimum, te judice, verbis.
Causa utrique gravis fuerant quæ erroris & illinc
Dein utrique gravem subito peperêre ruinam.
Sed bonitate tuâ cum sim mihi reddita, quanquam
Vilis eram, ut fateor, veniâque indigna petitâ,
Quam tua sponte dedit pietas non dura precanti.
Et renovare tuum cum spes mihi surgat amorem,
Qui mihi lætitiæ fons, qui mihi prima voluptas,
Sive ego luce fruar, subeam seu limina mortis,
Non ego te consulta animi cælavero nostri
Intima, quæ secum corda irrequieta volutant,
Quæ nostris medicamen erunt, aut ultima forsan
Meta malis; quanquam gravis, at tolerabilis illa est,
In tot ubique malis, facilique paranda labore.

Quando-

Quandoquidem sobolis tangit nos cura futuræ,
Quæ nostris fruitura malis ab origine prima est,
Ac tandem gelidi ruitura in guttura lethi.
Quam miserum est alios miseros de sanguine nostro
Reddere progenitos : nostrâque à stirpe creatam
Infaustam sobolem sacrato intrudere mundo!
Quæ miseram ut vacuas vitam exhalavit in auras,
Tandem optata dabit tam diro pabula monstro.
Te penes est prolis miseræ venientis in orbem,
Erepto natale, retro convertere cursum,
Dum nondum illa latet gravida genitrices in alvo.
Tu sterilis nunc es, sterilis sine fine maneto
Sic mors dira suam ingluviem satiare nequibit
Nos contenta duos avidam demergere in alvum.
Sed tibi si durum est, atque intolerabile visum,
Mutua dum alloquimur, dum alterno lumine vultum
Alter in alterius cupidi spectamus amantes,
Ritibus à veneris blandæ, amplexuque jugali
Continuisse manus avidas, urique videndo,
Et misera indomitis torqueri pectora flammis,
Præsenti quia nempe bono spes nulla potiri est,
Heu cunctis dolor iste malis quæcunque timemus
Intolerabilior longè & violentior esset.
Ergo ut nos pariter, stirpemque exinde futuram
Immunes præstare malo quod utrique timemus
Possimus, rapiamus iter, mora segnis abesto.
Quæramus gelidi mox ora famelica lethi,
Sin quæsitum aberit ; in nos age fortiter ipsos
Illius intrepidis fundamur munere dextris.
Quid miseros nutrire juvat sine fine timores,
Queis non ulla patet requies, nisi janua mortis?
Quam variis intrare viis, tam lata patescit,
Perfacile est, subitoque necem nece perdere diram.
Hic tacuit, vel certa mori violentia mentis
Vocum abrupit iter, tantusque hanc incitat ardor
Mortis uti roseum mutet pallore ruborem.

Talibus at prudens minimè commotus Adamus
Consiliis meliora animo jam concipit ægro:
Spemque fovere bonam cupiens ita rettulit Evæ:
Vita, O Eva, tibi quia spreta & spreta voluptas,
Hoc facit in te aliquid sublimius esse videri,
Quam tibi quæ contempta jacent, & vilia credis.
Sed quia terribilem mortis vesana timorem
Morte fugare cupis, nihil in te excellere certum est.
Contemptus haud signa tui, sed signa doloris
Talia sunt, quoniam nimium dilecta voluptas
Rapta tibi est, blandæque hoc lumen amabile vitæ.
Sin tibi mors votum est, quia finem imponere tantis
Posse malis, dictamque putas evadere pœnam:
Falleris. Haud dubiè magni gravis ira Tonantis
Talibus instructa est armis, quæ haud viribus ullis
Exuperare, catâ neque fraude evadere cuiquam est.
Quin sic ante suum si tristia fata velimus
Præcipitare diem; scelus haud ita triste piandum est,
Nec meritas vitare licet pro crimine pœnas.
Nec patet hinc portus miseris, requiésve malorum,
Sed magis hoc dudum accensam inflammaverit iram
Ejus, ut æternam post funera vivere mortem
Cogat, & horrificis cruciari in sæcula pœnis.
Mitior ergo via est nobis quærenda litandi,
Quæ pœnè ante oculos mihi sese offerre videtur,
Dum partem recolo vocum, quæ ex ore fluebant
Divino, caput horrendum serpentis acerbi
Seminis esse tui validâ virtute terendum.
Quam misera hæc vindicta foret, nisi nomine serpens
Sit verè Satanas stygii rex dirus Averni.
Qui serpente latens nos in sua retia duxit.
At vindex satis acer erit, qui conteret illum,
Atque pede imposito caput exitiabile franget.
At merita hæc vindicta perit, si propria vitam
Dextra rapit, vel si miseram sine semine vitam
Ducimus, ut tua lingua monet malè provida recti.

Sic

Sic pœnam hostis atrox fugeret, sic sævior in nos
Pœna cadet, duplicemque feretgeminata ruinam.
Ergo facessat amor mortisque, & prole carentis
Conjugii, quia spes utrumque intercipit omnes.
Demonstratque animos odiis irâque tumentes,
Divino quia colla jugo submittere nolunt.
Mente memor reputa quâ mansuetudine judex
Usus erat, quantoque minor data crimine pœna est,
Quantaque promeritam clementia vicerit iram.
Ira furorque oculis aberant, convicia verbis.
Spes erat in cineres subito, mora nulla, resolvi.
Vis ea visa fuit verbi, quæ nomine mortis
Dicta est: at contra superimminet en! tibi tantum
Conceptus dolor, & duri pariendo labores,
Quos infans, ubi natus erit, pensabit abundè,
Lætitiamque uteri cumulabunt pignora fœti.
Meque deinde minis levibus perstrinxit, humumque
Participare levi pœnâ quoque jussit, aratro
Sordida pulvereæ dum rumpam viscera Terræ.
Sustentanda igitur nunc est mihi vita labore,
Ac multo sudore mihi seges annua surget. (est?
Quid nocet hoc? meliórne labor quam ignavia longè
Esca labore venit, pretiumque hoc dulce laboris.
Neu nos acris hyems brumali frigore adurat,
Neve canis nimio cœlestis torreat æstu,
Provida sponte Dei bonitas prævertit utrumque,
Nam propria nos ille manu vestiverat ambos,
Munificâque gravem miscet bonitate furorem.
Ergo sponte adeo cum sit bonus atque benignus,
Quam facile ille suas adhibebit vocibus aures
Supplicibus, capietque animum, mentemq; benignam?
Monstrabitque modos quibus evitare procellas
Horrificas, rigidumque gelu, vellúsque caducum,
Grandineique ictus lapidis possimus, & imbrem.
Omnia quæ pariter super altum hunc fundere montem
Syderei frons, ecce, poli mutata minatur:

Dum notus interea violentibus aëra flabris
Vexat, & alticomæ deveſtit brachia ſylvæ,
Et vernum ambroſii nemoris populatur honorem.
Ergo adverſum hyemē, quæ membra rigentia ſtringit
Frigore, torporemque graves transfundit in artus
Ante diurna ſuos quam fax tegat æquore vultus
Heſperio, & tenebras gelidas nox atra reducat,
Quærendum effugium & blandi tutela caloris,
Quæ ſparſos poſtquam radios collegit in unum,
Ardorem ſubitum flammamque exiſtere cogat;
Suſcipiatque ignem foliis, atque arida circum
Nutrimenta ferat, ſervetque in fomite flammam,
Ablatumque jubar nocturno lumine penſet:
Aut duo collidens ſolidiſſima corpora, cogat
Aëra contritum ſubitos ferveſcere in ignes.
Ut colliſa ſimul modo nubila, pulſáve ventis
Jactabant rapidas contorto vortice flammas,
Queis accenſa abies, lachrymoſo aut cortice pinus
Diffundit calidum longè latéque vaporem,
Abſentiſque poteſt perfungi munere Phœbi.
His uti ille bonus nos ignibus ille docebit,
Nec non mille dabit facilis medicamina, noſtris
Mille malis, nobis quæ crimina noſtra creârunt.
Si duplices cum voce manus tendamus, & ejus
Imploremus opem precibus miſeriſque querelis.
Non metus ergo ſubeſt, quin ducere ſuaviter ævum
Poſſimus, cui mille Deus Deus ille benignus
Gaudia, delitiaſque dabit dum pulvere tandem
Mutemur, placidamque ferat nox longa quietem.
Ergo quid eſſe poteſt melius, quam rurſus ad illum
Ire locum, nobis ubi jus modo dixit, ut illic
Corpora proſternamus humi cum ſupplice vultu,
Confeſſique ſcelus veniam pacemque petamus
Suppliciter, terram lachrymarum rore rigantes,
Et gemitu aërias crebriſque ululatibus auras
Pulſantes, penitus contrito à corde profuſis,

Triſti-

Triſtitiam luctuſque animi teſtantibus ægri?
Illius haud dubiè furor evaneſcet, & iram
Abjiciet, cujus paulò ante in fronte ſerenâ,
Tunc cum iratus erat, cum debuit eſſe ſeverus
Quid niſi blandus amor, bonitas, & gratia fulſit?
Sic vetus ille Pater cui jam ſua culpa dolori eſt,
Nec minor interea miſeram dolor obruit Evam:
Ergo locum repetunt, ubi jus modo dixit, & illic
Corpora proſternunt in humum cum ſupplice vultu,
Confeſſique ſcelus veniam pacemque rogârunt
Suppliciter, terram lachrymarum rore rigantes,
Et gemitu aërias crebriſque ululatibus auras
Pulſantes, penitus contrito à corde profuſis
Triſtitiam atque animi luctum teſtantibus ægri.

Finis Libri Noni.

Paradisus Amissus.

Liber Decimus.

SIC humiles fudêre preces cum supplice vultu,
Supplicibusque animis ante hilasteriòn, unde
Gratia præveniens placidis descenderat alis
Protinus, & rigidum fracto de pectore saxum
Dimovit, carnemque novam succedere jussit.
Jamque sonant mœsti gemitus, quibus imbuit illos
Spiritus omnipotens, volitantque ad sydera cunctis
Ocyus eloquiis, nec majestate precantum
Forma decora caret, gestusque sonusque loquendi.
Nec leviora petunt, quam cum par nobile quondam
(Fabula prisca, sed his tamen horum est serius ævum)
Deucalion dulci cupiens cum conjuge rursus
Humanum reparare genus sub gurgite mersum,
Consilium implorans Themidis se illius ad aras
Jecit humi, gelidoque pavens dedit oscula saxo.
In Cœlum volitant ardentia vota, nec illinc
Aërii pepulêre noti, nec decipit error:
Irrumpuntque fores alti violenter Olympi,
Immensis spatiis celeri subvecta volatu.
Jamque sacerdotis manibus perfusa sabæo
Thure, quod exhalat rutilo radiata metallo
Ara recens, latè fragrant, & grata propinquant
Ante oculos, soliumque patris: tum hæc filius illi
Obtulit exultans, placidisque ita vocibus infit:
Ecce, Pater, quales frugum jam Terra ministrat
Pri-

Primitias, ortum dedit his tua gratia primum,
Indita menti hominis, gemitusque precesque pudicas,
Quas in thuribulo hoc rutilo, tuus ille sacerdos,
Exhibeo ante tuos oculos cum thure remistas:
Semine nata tuo contrita in pectora jacto
Germina odoriferos longè superantia fructus,
Quoscunque in nitidis Paradisi nobilis hortis
Ipse labore suo poterat producere, nondum
A primâ statione suâ delapsus Adamus,
Nec scelerum tinctus maculis. Nunc illius aurem
Suppliciis adhibe, gemitus quoque respice mutos:
Quandoquidem voces, quas debeat ille precando
Fundere, non novit liquidò, sed nescius errat.
Illius ipse preces fundam tibi nomine, cui sum
Dulce patrocinium, scelerisque piacula diri.
Cuncta opera illius quæ sunt bona, quæ secus, uni
Uni adscribe mihi, meritum namque altera nostrum
Perficiet, proque his dabitur mea vita piandis.
Sim tibi gratus ego, & gratas tua gratia reddat
Has hominis tibi primitias, animumque quietum
In genus humanum accipias, mentemque benignam.
Vivat homo ante tuos oculos, tibi fœdere junctus
Pacifico, ad numerum, quem tu das, ille dierum
Perveniat, licet innumeris noctesque diesque
Obsessus patet usque malis, fata aspera donec
Pœna indicta homini, quam non mea tollere cura est,
Sed levigare, hominem meliora ad gaudia ducant,
Et sede in meliore locent, ubi sanguine tandem
Turba redempta meo mecum per sæcula deget,
Atque voluptates, æternaque gaudia carpet.
Et mecum, unum ego ceu tecum, coälescet in unum.
Cui tunc æquævus genitor sine nube serenus:
Quæque petis, pro quoque petis, cape, nate, quod optas.
Nam quæcunque petis nostræ sunt consona menti,
Consilioque pio, quod ab ævo in corde revolvi.
Hunc tamen ulterius Paradisi in dulcibus hortis

Lex data naturæ prohibet sacrata morari.
Hæc elementa etenim non obvia dentibus ævi
Materiæ nequeunt mixturam admittere crassæ
Undique pura, hominemque infectum crimine turpi
Ejiciunt, longéque suo secedere cogunt
Limite, tabifici tinctum contage veneni.
Crassus uti crasso traducat in aëre vitam
Mortalesque cibos comedat, qui corpora morti
Objiciunt, pœnæ sceleris, quod in omnia, quicquid
Undique mundus habet, sparsit lethale venenum,
Hunc primum duplici decoratum dote creavi
Fœlix factus erat; vitam quoque morte carentem
Duxit, at infœlix cùm crimine redditus esset,
Altera dos illi miseram per sæcula vitam
Traxisset; nisi mortem illi mea cura parâsset.
Mors idcirco malis medicina erit ultima cunctis
Illius; & varios perpessam sæpe dolores,
Purgatamque fide factisque fidelibus illi
Vitam ubi mors rapuit, fracto post ille sepulchro
Rursus perpetuæ meliora ad gaudia vitæ
Terra polusque simul cum sunt renovata, redibit.
Sanctorum ergo choros pariter glomeremus in unum,
Quotquot ubique habitant immensa palatia Cœli:
Hos ego judicium minimè celavero nostrum,
Quo genus humanum manifesto in crimine prensum,
Leniter argueram, quanquam mihi jure severo
Angelicæ damnata fuit pars ante catervæ,
Vinctaque Tartareis nigro in Phlegetonte catenis.
Dum reliqui primâ firmi in statione manebant,
Et magis inde meâ firmi virtute vigebant.
Dixit & obticuit: vigili tum signa ministro
Filius ipse dedit flammâ radiante corusco.
Increpat ille tuba clangoribus æthera rumpens:
Forsitan hæc eadem super alta cacumina sinæ,
Descendente Deo, sonuit, forsanque sonabit
Rursus ubi ætherius judex in nube serenâ

Dicere jus veniet, ſceleriſque coarguet orbem.
Tum Cœlum Angelico reſonat latè undique flatu :
Protinus à nemorum tenebris viridique receſſu
Perpetuis florente comis, vel fonte perenni,
Vel fluvio ſalientis aquæ, quacunque ſedebant
Alternis læti alloquiis, ſtirps aurea lucis
Accelerant circa ætherium glomerata tribunal :
Accipiuntque ſuas pariter quiſque ordine ſedes.
Tunc Pater Omnipotens ſolio ſic infit ab alto :
O mea progenies, Cœli quibus annuo ſedem,
En homo natus humo nobis, ſi credere fas eſt,
Evaſit ſimilis, parilemque aſcendit honorem,
Noſſe bonum pariterque malum, cum germina ligni
Depopulatus erat vetiti : ſed inania jactet :
Jactet abeſſe bonum certis ſe noſcerè ſignis
Nunc, & adeſſe malum, ſi fors ea gloria vera eſt.
Fauſtior at certè fuerat, ſi noſceret unum
Ille bonum, ignotumque malum ſi huc uſque fuiſſet.
Jam dolet atque piget ſceleris, ſupplexque precatur.
Hos in eo motus jam nunc ego concito, verum
Si paulum abſtineo varium & mutabile prorſus
Pectus habet : ne fortè igitur manus illius audax
Poma ſalutiferi rapiat vivacia ligni,
Et comedat, vitamque ſibi comedendo perennem
Protrahat, aut ſaltem vitam ſperare perennem
Auſit, ab ambroſiis removere hunc protinus hortis
Certum eſt, ut rigido terram proſcindat aratro,
Unde exortus erat, locus hic namque aptior illi eſt.
Hæc animo obſerva memori præcepta Michâel,
Selige flammiferos Cheruborum è gente miniſtros,
Quos tibi cunque libet, ſævi fera fulmina belli :
Ne Satanas homini rurſum fallacia ſternens
Retia, vel cupiens vacuas invadere ſedes,
Rurſus, ut ante, queat ſubitos renovare tumultus.
Accelera & nitido Paradiſi è nobilis horto
Pelle utrumque ſimul nigri contage veneni

Infectum: neque te miserorum gratia vincat.
Eque sacro, mora nulla, loco depelle profanos.
Perpetuisque ipsos, & eorum è sanguine natos
Proscribe exiliis æterna in sæcula: sed ne
Pœna labare animos, penitusque fatiscere fractos
Cogeret, hos etenim lachrymis, en, mollibus atrum
Deplorare scelus video; procul horror abesto,
Nec miseras terre trepidâ formidine mentes.
Imperiisque tuis hos si parêre volentes
Videris, haudquaquam solatia neglige mœstis
Suppeditare animis, venturo pectus Adami
Exhilarare bono, ac oriturâ æstate memento;
Ut tibi nôsse dabo: jam fœdera pacis amicæ
Mecum fæmineo renovata in semine narra:
Hoc tu expelle modo miseros, luctuque gravatos,
Sed tamen erectos animo spe pacis amicæ.
Ad latus Eöum Paradisi (Edenis ab oris
Huc via lata patet, facili scandenda labore;)
Invigilare jube Cherubos, ensemque volantem
Undique, & horrificæ jaculantem lumina flammæ
Hinc atque hinc, omnemq; aditum circumdare sævis
Ignibus, accessusque procul removere profanos.
Ne Paradisus abhinc stygiis domus hospita fiat
Spiritibus, spoliumque ex omnibus undique tollant
Arboribus, rursusque hominem seducere tentent
Illecebris, velut ante, novis. Sic ore locutus
Conticuit. Mox declivem celerare volatum
Cœlituum dux, ecce, parat, comitatur euntem
Circumfusa cohors flammis Cherubina coruscis.
Omnibus unus erat vultus, color omnibus unus,
Quorum quisque (equidem mira, at verissima narro)
Ora quaterna habuit, duplicem referentia janum.
Corpora tota oculis circumdata; non tot habebat
Is cui servandam (veterum nisi fabula vatum est)
Tradidit Inachiam Juno furibunda juvencam.
Pervigiles hi sunt oculi, ignarique soporis,

Quos nec Atlantiades pastoris arundine dulci
Vincere, nec poterat medicata fallere virga.
Et jam prima novo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile,
Atque novo virides recreabat nectare campos.
Cum Pater humani generis, venerandaque mater
Jam dederant finem precibus; viresque repentè
Restitui, lætumque vident per membra vigorem,
Spemque redire bonam celsi de culmine Cœli,
Lætitiamque, tamen gelidâ formidine mistam.
Ergo his ille suam solatur vocibus Evam.
Credere perfacile est celso descendere Cœlo
Omne bonum, quocunque frui, quocunque potiri
Possumus, at superi penetrare in limina regni
A nobis potuisse aliquid, vel flectere magni
Pectora sancta Dei, qui res hominumque Deûmque
Æternis regit imperiis, quis credere posset?
Sed tamen hoc præstare preces, hoc pectore ab imo
Unicus effusus gemitus valet, atque perennis
Ascensu superare thronum (mirabile) regis.
Namque ex quo precibus violati numinis iram
Vincere nixus eram, genibus cum pectore flexis,
Visus eram vidisse Deum cohibere furorem,
Atque aures adhibere suas: spes inde refulsit,
Vota precesque meas aditum reperisse benignum,
Pax animo redit alma meo, subiitque benigni
Promissi, hostiles animos, roburque superbum
Seminis esse tui validâ virtute terendum.
Immemor hujus eram nimiâ formidine pressus:
Nunc autem, ecce, mihi surgit spes certa tremendam
Præteriisse necem, vitam rediîsse beatam.
Ergo datrix vitæ, quæ digna es dicier Eva,
Mater ave humani generis, materque animantum,
Quicquid ubique trahit vitalem luminis auram,
Per te vivet homo, vastique animalia mundi
Cætera causâ hominis vitali luce fruentur.

Tum

Tum sic Eva humili vultu dejecta profatur.
Haud equidem talis tituli me dignor honore
Impia, quæ auxilium tibi suppeditare benignum
Debueram, sed te in laqueos & retia traxi,
Debuerat potius vultus aspergere nostros,
Consciaque ora pudor, meritumque infamia nomen
Innumeris cumulata probris: nec tu mihi posthac
Fidere debueras, quoniam sic ante fefelli:
Judicis O quanta est bonitas & gratia nostri!
Quæ modo mortis eram, vitæ nunc dicor origo.
Lausque secunda tua est, hoc me qui nomine dicas
Longè alio dici cum nomine digna fuissem.
Sed nunc arva vocant veterem renovare laborem,
Cui jam instare simul multo sudore madentes
Jura Dei renovata jubent: insomnia quamvis
Tempora noctis erant,nam nunc vaga Cynthia nostros
Haud luctus miserata gradu descendere cœpit
Præcipiti, vultuque polum ridente relinquit.
Ergo alacres rapiamus iter, comitabor euntem
Te quacunque ieris, tibi nec divulsa vagabor,
Quo nos cunque labor hodiernaque pensa vocârint
Jam curis onerosa novis, sed crimine dignis;
Donec in hesperias lampas Titania Lymphas
Præcipitet. Dum nos hæc pulchra rosaria gressu
Carpimus, anne potest ullus labor esse videri
Difficilis? quanquam celso de culmine lapsi
Corruimus, tamen hic ducamus suaviter ævum,
Mœstaque sollicitis relevemus pectora curis.
Sic dixit, sic & votis petit Eva modestis,
Nunc humilem submissa animum, sed fata vetabant.
Prodigiosa dedit variis natura figuris
Signa inter pecudes, volucres atque aëra. Primum
Auroræ ad reditum mixto, pallore, rubentis,
Aëra mane novo subitæ pressêre tenebræ.
Ejus & ante oculos Jovis armiger ardua scandens
Conspexit geminas plumâ fulgente volucres,

Decli-

Declivamque repente viam molitur in illas.
Et qui, sylvicolûm moderatur sceptra ferarum,
Præcipitabat iter celsi de culmine montis,
Venator primus pacis jam fœdere rupto,
Persequiturque levem timidâ cum conjuge cervum,
Par, quo non patulas pergravit pulchrius umbras;
In portam via recta tulit violenter Eöam.
Hunc cursum, aërii qui flamina vinceret Euri,
Dum timor hos properare facit, spes incitat illum,
Respicit, insequiturque oculis intentus Adamus
Multaque dura suo tristi cum corde putabat,
Sollicitâque suam compellat voce maritam.
Jam nova restat adhuc nostræ mutatio sortis
O animæ pars Eva meæ; prædicere mutis
Eloquiis hoc monstra polo demissa videntur:
Venturámve suis monitis portendere mortem,
Cujus abacta fuit penitus formido diebus
Præteritis quia nempe gradum tardâsse videtur.
At quot vita dies ducenda, & qualiter, ecquis
Novit, quodque magis, cineres nos ante fuisse,
Et velut ante, iterum cineres post fata futuros?
Sin minus, hæc se oculis duo cur spectacula nostris
Obtulerant? quorum hoc penna super ardua mundi
Aërium scindebat iter, verum illud arenam
Suspensis libans pedibus violentius alis
Fulminis, aut Parthi jaculo fugiente cucurrit:
Meta utrique tamen simul & semel una petita est.
Cur, non dum Phœbo medias agitante quadrigas,
Eöas hinc atra plagas nox insiat, illinc
In nube Hesperiâ splendor fulgescit Eöus?
Albaque cœruleo diffundit lumina Cœlo
Declivem lentando viam? secumque videtur
Ætherium vectare decus? nec devius illum
Error agit: namque ætheriæ turma aurea gentis
Templo è syd
erio, quod Iaspida lumine vincit,
Jam delapsa fuit Paradisi in mœnia dulcis,

Consti-

Constiteratque super montis sublime cacumen.
Visio rara fuit; sed mens malè conscia culpæ,
Et pavor attoniti lumen tenebravit Adami,
Gloria nulla fuit major : non quando Jacobo
Olim in Mahanaim duo se spectanda dederunt
Agmina, flammiferis ubi campi arsêre catervis.
Nec cum sydereis culmen sublime quadrigis
Fulsit, & obtectum est radiantibus undique castris,
De Cœlo in Syrium jussis descendere regem,
Qui nondum indicto collegerat agmina bello
Perfidus, unum hominem, timidi latronis adinstar,
Incautum superare parans, & sternere ferro.
Tunc Hierarcha sacer Paradisi mœnia dulcis
Cingere flammiferos jussit radiante ministros
Præsidio. Dein solus iter contendit, Adamum
Ut quocunque loco lateat, quocunque recessu,
Inveniat ; nec Adamus eum non vidit euntem.
Ac dum fit propior propiorque hic flammifer hospes,
Talibus ille suam compellat vocibus Evam :
O animæ pars, Eva, meæ, mea magna voluptas;
Grande audire aliquid tibi nunc sperare necesse est,
Quod nos fortè dabit subitæ, mora nulla, ruinæ,
Vulgabítve alias mutato fœdere leges.
Nam nube igniferâ montis velante cacumen
Egressum ætheriæ quendam nunc cerno ministrum
Militiæ armiferum, nec eum de plebe, sed unus
Magnatum est, vel sceptra manu regalia vibrat,
Inque throno ætherii residet super ardua regni.
Hoc vultus gressusque decor testatur euntis.
Non tamen ille truci vultum terrore figurat,
Ne paveam ; sed nec nimium sociabilis ille est,
Ut Raphael, ne fors nimium confidere possem.
Ergo illum subitas ne fortè ardescat in iras
Compellare decet, vultuque & voce verentis.
Tu vero interea tacitis te absconde latebris.
Hæc ait, & mox militiæ dux, ecce, propinquat
Ange-

Angelicæ, non angelica tamen ille figura
Enitet ; humanæ latitat ſub imagine formæ,
Quippe homini voluit ſocias conferre loquelas.
Purpuream nitidis chlamydem ſuperinduit armis.
Non ea tam decorata fuit, cui plurima circum
Purpura Mæandro duplici Melibæa cucurrit,
Nec quam Sarra manu artifici formare ſolebat,
Quam reges magnique duces in pace ſequeſtrâ
Induerant. Oſtro & rutilo, niveoque metallo
Undique picta fuit, veluti cum in nubibus Iris
Milla trahit varios reflexo ſole colores.
Et galea innumeris radians circum undique ſtellis,
Tum reſoluta, dedit vultum ſpectare virilem,
Purpureo validæ vegetum ſub flore juventæ.
Enſem, zodiaco velut in radiante repôſtum,
Terrorem Satanæ, quo viſo horrere ſolebat,
Aptârat lateri, dextrâque haſtile coruſcat.
Pronus humum verſus ſeſe curvavit Adamus ;
Ille gerens regale decus ſtat rectus, & ultro
Incipit adventus cauſas, mandata referre
Numinis. Haud opus eſt ut longâ ambage morer te,
Dum cœleſte tibi imperium, legemque reporto.
Namque tuis placidâ precibus ſe præbuit aure
Omnipotens, mortemque procul ſemovit acerbam,
Præmia juſta tuæ primo quoque tempore culpæ.
Tardavitque leves fati illachrymabilis alas,
Indulſitque tibi Cœli indulgentia multos
Vivere poſſe dies ; ut tu reſipiſcere diſcas,
Utque bonis mille officiis culpa una tegatur.
Atque tuus tandem dominus te à mortis avaræ
Eripiet manibus, lethique à fauce revellet.
Non tamen ulterius Paradiſi mœnia dulcis
Fas habitare tibi eſt : ego nunc te expellere veni,
Ut procul ambroſio Paradiſi dulcis ab horto,
Proſcindas rigido fœcundam vomere Terram,
Unde creatus eras : tibi nam locus aptior ille eſt.

Nec

Nec plura his. Pavidas ut Adami contigit aures
Hæc vox, obstupuit, gelidusque per ima cucurrit
Ossa tremor, sensusque dolor simul alligat omnes.
Cuncta hæc audierat, latebris licet abdita cæcis
Eva; repente igitur misero clamore latebras
Prodidit illa suas, & fæmineo ululatu.
Heu insperatum & letho mihi sævius ipso
Vulnus! an ambrosiis Paradise O consite lignis,
Te, natale solum, lex sæva relinquere cogit,
Et pulchras per prata vias umbrasque virentes?
Heu loca digna Deis! ubi degere suaviter ævum,
Pressa dolore licet, sperabam vana, diesque,
Quot superesse mihi fatali lege daretur.
O nitidi flores, quos non feret altera tellus,
Quos ego mane novo, quos rursum vespere sero
Visebam, teneraque manu nutrire solebam,
Ut primum exertare caput cœpistis in auras,
Et laxos aperire sinus, & cernere Cœlum,
Nomine quemq; vocans, quis vos jam in luminis auras
Eriget, atque suas cunctis dabit ordine sedes?
Quis vos nectareis recreabit denuo lymphis?
Et vos heu thalami genialia limina nostri!
Cui quodcunque oculos visu, vel odore refecit
Ambrosio cerebrum, mea dextera læta ferebat.
Heu quo nunc ego vos animo miseranda relinquam?
Infernique petam deserta hæc arida mundi!
Quomodo in impuro spirandum est aëre nobis,
Qui soliti ambrosium fuimus decerpere fructum?
Angelus at mediis sic intersando querelis
Mollia dicta dedit: vanum procul abjice luctum,
Eva, nec impatiens animo tristisque relinquas,
Quæ merito periêre tuo, nec pectora vexes
Dum quæ non tua sunt, frustra retinere laboras.
Non abitura tamen sola es, comitabit euntem
Vir tuus: hunc decet usque sequi, quemcunque tenebit
Ille locum, natale solo tibi dulcius esto.

Vocibus

Vocibus his animatus erit, mentemque recepit,
Qui modo ſtrictus erat lethali frigore Adamus
Tunc Michäëlem alloquitur, ac talibus infit.
O qui Cælicolas inter regalia geſtas
Sceptra manu, vel fors cunctorum altiſſimus horum es,
Cœlituum tu namque ducum dux eſſe videris ;
Tantus frontis honos, tanta eſt tibi gloria formæ,
Mitibus alloquiis nunc tu mandata dediſti,
Qui poteras linguæ tonitru dare vulnera nobis
Prævia, deinde etiam triſti peſſumdare letho.
Sed quoſcunque alios tibi jam prædicere luctus
Sævaque damna placet, miſcendaque triſtia lætis
Ad mala duratis animis perferre valemus :
Unum illud tamen interea, præque omnibus unum
Pectora noſtra gravat, quod ab his lex aſpera juſſit
Dulcibus ire locis, blandæque receſſibus umbræ.
Quæ jam ſola oculis ſuperant ſolamina noſtris,
Cætera terrarum deſerta & nuda colonis
Tota jacent, nullum hic ſcimus neque noſcimur ulli,
Si decreta Dei poſſem ſperare precando
Flectere, qui præſtare poteſt, quodcunque libebit ;
Non ego ceſſarem aſſiduis clamoribus altum
Sollicitare Deum, ſed noſtra oratio tantum
Contra æterna valet fata atque perennia, quantum
Contra turbineos humanus anhelitus auſtros,
Quorum vi, valido, revolat, referente repulſu
Ejus in os unde exierat ; ſtat ſubdere collum
Imperio juſſiſque Dei, qui cuncta gubernat.
Hæc tamen ante alias cunctas mihi cauſa dolendi eſt,
His quod abire locis jubeor, quia lumine vultus
Ejus abactus ero : namque hæc loca ſæpe reviſens
Ejus adorarem hic numen venerabile, natis
Monſtraremque meis ubi ſe dedit ille videndum.
Hujus in aërio viridantis culmine montis ;
Hac mihi viſus erat poſt ille ſub arbore ; vocem
Illius has inter pinus quondam aure trahebam.

Ad fontem hunc mecum placido fuit ore locutus ;
Cui tunc ausus eram socias conferre loquelas.
Sic ego gramineo de cespite deque lapillis
Flumineis totidem struxissem altaria, sæclis
Ut monumenta forent semper mansura futuris.
Et super hæc, fructusque Deo, floresque tulissem,
Lapsam & odoriferæ lachrymam de cortice myrrhæ.
Illius heu ! vultus ubi lumen amabile cernam ?
Aut ubi signa pedum in mundo inferiore notabo ?
Nam licet iratum fugerem ; quando illius ore
Tum revocatus eram, depulsâ cuspide mortis,
Promissaque mihi numerosâ stirpe nepotum :
Illius extremam dulce est mihi cernere vestem,
Atque remota pedum vestigia lætus adoro.
Tum dux Cœlituum placido sic pectore fatur :
Constat, Adame, tibi Cœlum illius esse solumque,
Non tantum rupem hanc, præsentia cujus ubique est,
Terrarum Cœlique plagas, atque aëris auras,
Et quicquid fruitur vitali lumine replens,
Et virtute suâ latè vegetansque fovensque.
Ille tenenda tibi vastæ regna omnia Terræ,
Atque regenda dedit, donum haud leve : non Paradisi
Ille nec Edenis spatio comprenditur arcto,
Ne tam insana tuam seducat opinio mentem,
Hæc tibi fortè quidem sedes augusta fuisset,
Et tua in innumeras fortassis pignora terras
Hinc dispersa forent ; atque huc simul undiq; cuncti
Te primum celebrare patrem, regemque coîssent,
Ne tamen æternum despera posse parentem
Per valles reperire cavas, camposque jacentes.
Hujus te bonitas, hujus te cura paterna
Proteget, hujus amor te nocte dieque sequetur.
Splendida divinæ sunt hæc emblemata formæ,
Divinique pedis vestigia vivida sunt hæc.
Utque fidem his dictis habeas, & mente quietem
Discessum ante meum capias, ego missus ab alto

Hæc tibi sum, ut referam sæclis ventura futuris
Quæ tibi sunt, ortæque tuo de semine genti.
Expecta mala mista bonis audire: superna
Gratia cum scelere humano certamen inibit.
Hinc tibi discenda est patientia; cumque timore,
Atque dolore pio misceri gaudia debent.
Et moderato animo fortunam utramque ferendum est,
Seu tibi torva venit, vultu seu blanda sereno.
Namque ita jucundum traduces suaviter ævum,
Atque paratus eris transmittere limina mortis,
Cum vocat atra dies. Altum hoc ascende cacumen,
Ast Eva interea (quoniam nunc ejus ocellos
Vox mea compulerat lachrymarum fundere rivum)
Dormiat hic placidam capiens per membra quietem
Inferiore loco, te jam invigilante futuris,
Ut tu dormieras, cum primum hæc luminis auras
Hausit, & eximiæ donata est munere formæ.
Cui tum sic iterum grato ore regessit Adamus:
Scande, sequar, bone dux, quo tu me tramite duces:
Imperioque Dei, quodcunque inflixerit ille
Supplicium, dabo colla libens, dabo pectora pœnis
Obvia: victor ero patiendo, labore quietem
Acquiram, si fortè licet. Tum protinus ambo
Ascendunt, ducente Deo, sublimia montis
Culmina; mons erat hic Paradisi altissimus, unde
Cernere dimidiæ spatium fuit undique terræ.
Longius haud illo dederat sublime cacumen,
Latius aut patulæ regna omnia cernere terræ,
Quod super imposuit stygius tentator Adamum,
Dum peragrat solus pedibus loca sola, secundum.
Metiri hic oculis poterat quocunque locorum
Urbs antiqua recénsve stetit. Quæcunque fuisset
Præclara imperii sedes, aut nobile regnum,
Usque à Cambalicis muris, & sede Cataiâ,
Et Samarchandâ, solioque & sede Temiri
Augustâ, ad Paquinam Sinæi principis aulam,

Hinc ad Agram & Lahoram, magni loca clara Mogulli,
Insulam item, rutilo quæ est nobilitata metallo.
Hic Ecbatanam poterat quoque cernere terram,
Et terram Hispahanam, sedes erat altera Persis
Prima, sed hic solium Persæ tenuêre secundum ;
Et mosco Russi imperium, Bizantiaque arva,
Sultani hospitium, quem Turchestana creavit.
Nec non imperium poterat lustrare Negusi,
Donec ad Ercoum penetrasset lumine portum :
Et loca, quæ exiguis fuerant regnata tyrannis,
Quæ sunt æquorei prope marmora spumea ponti
Consita, Mombazam,Quiloam, simul atque Melindam,
Et Sophalam, (quæ nil Ophyræ differre videtur)
Ad Congo Angolamque australi in limite fixam,
Aut hinc à fluvio nigro usque ad culmen Atlantis,
Regna Almansori fezam, susamque, Morocco
Algiram & Tremisen, Europamque inde patentem,
Et qua Roma potens cunctis latè undique terris
Jura datura fuit, domitrix reginaque mundi,
Forsitan hic illi dives quoque Mexico visa est
Alta Motezùmæ sedes, & cusco Peruvæ
Pulchrum Atabalipæ solium, spoliataque nondum
Guinea Metropolim cujus dixêre dorado
Geryonis soboles : sed Adami amovit ocellis
Membranam, speculanda ad nobiliora Michâel,
Membranam, fallax fructus quem induxerat illis,
Lumina dum gustu forè lucidiora spopondit.
Opticus inde fuit nervus purgatus ab illo
Rutâ atq; Euphrasiâ, (nam multa videnda supersunt)
Ac tres instillat vitæ de flumine guttas ;
Atque adeo Angelicæ medicina hæc vivida dextræ
Interni ingreditur ima in penetralia visus,
Ut jam luminibus clausis cogatur Adamus
Decidere, atque animâ terræ recubare fugatâ.
Contactu at placido tum rursum Archangelus illum
Erigit, atque avidas his vocibus arrigit aures.

Nunc

Nunc patefac oculos, O Adame, & respice primum
Tristia damna, tuo generatæ à sanguine proli
Quæ tua culpa dedit, vetiti quæ germina ligni
Haud unquam attigerat, nec cum serpente rebelli
Conjurata fuit: tamen hoc à crimine primo
Flagitii genus omne trahit, scelerisque maligni:
Transitione tui serpunt contagia morbi,
Inclinantque tuos facta ad scelerata nepotes.
Tunc oculos aperit, campumque aspexit; in illo
Altera pars avido scindi fuit apta colono,
Hic modo demessi passim jacuêre manipli;
Altera pars caulas ovibus gramenque ministrat,
Rusticaque in medio stans ara est limes agello,
Gramineo quæ facta fuit de cespite; quidam
Agricola huc frugum tulerat sudore madescens
Primitias, spicam viridem, fulvumque maniplum
Stantis adhuc segetis: cura haud erat ulla legendi
Munera digna Deo, sed quæ sibi proxima legit.
Proximus huic Pastor vultu gaudente suorum
Secum primitias pecorum, floremque ferebat.
Conspersumque adipem fumis, atque exta Sabæis
Ligna resectat super posuit, nec muneris ulla
Parte vacat, sed more sacro pia sacra ministrat.
Hujus lapsa domo superâ pia dona voravit
Lumine flamma cito volitans, & flumine largo:
Non tamen alterius, quia mens pia defuit illi.
Hinc animo indomitas rabido stimulatur in iras;
Ergo furore tumens dum fratrem affatur, in illum
Telum immane manu jaculatur, & intima rumpit
Viscera mox rigidi necopino vulnere saxi,
Expellitque animam: moribundo hic pallidus ore
Concidit, ac multo vitam cum sanguine fudit;
Illaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.
Tum pavefactus erat, simulatque hæc vidit Adamus,
Flammiferumque vocat subito clamore ministrum.
Doctor amice, pium en! hominem mala fata tulerunt,

Quamlibet ille Patri Superûm pia sacra ferebat.
Hic pietatis honos? animique hæc præmia puri?
Cui tunc attonito attonitus simul ipse Michâel
Rettulit; Hi duo sunt fratres, O Adame, tuisque
Venturi è lumbis: justum impius, ecce, peremit,
Munera grata Deo quoniam fraterna fuerunt,
Delapsisque probata poli de culmine flammis.
Sanguineum tamen hoc tandem sua pœna sequetur
Flagitium, neque post pietas mercede carebit
Alterius, quanquam in mediâ jam morte cruentam
Mandit humum, moriensque suo se in vulnere versat.
Cui noster genitor proh! culpa hæc, causaque culpæ
Jure dolenda mihi est. Mortem nunc lumine vidi:
Ergo viâ hac cineres redeundum est rursus in atros?
Spectaclum O pariter oculis animoque tremendum!
Hunc igitur quanto est gravius sentire dolorem!
  Cui tunc Michâel, primâ sub imagine visa est
Mors humana tibi: varias tamen illa figuras
Accipit, & variis ejus penetratur in antrum
Horrificis nigrore viis, tamen horror in ipso
Multo major inest aditu, ac penetralibus imis.
Namque alios violenta manus, prout ipse videbas,
Atque fames alios, flumenque & flamma necabit,
At plures letho dabit implacata furentis
Flamma gulæ, nulloque cibo satiabilis ardor,
Et furibunda sitis nunquam sedata bibendo
Ante diem in cava busta trahet, namque hinc orietur
Morborum numerosa cohors, anteambulo mortis,
Quæ mox ante tuos sese dabit obvia vultus;
Sic Evæ immoderata fames quot ubique dolores
Humano intulerit generi tibi nôsse licebit.
Pestifer, ecce, locus tristi circumdatus umbrâ
Protinus apparet, nosocomion esse videtur.
Hic passim morbis variis miserabile vulgus
Afflictum jacuit: hos dirum spasma præhendit:
Ast alios horrenda tenent tormenta; aliisque

Intima

Intima corda dolent, hos ebibit arida febris,
Hos interna oriens subito violentia raptat,
Hos prosternit humi rapiens epilepsia præceps.
Ulcera fœdabant alios, sævique catarrhi,
Calculus hos acer cruciat, sed colicus illos
Angor, & hic mediis sitiunt hydropes in undis.
Rheumaque vexatos aliorum fluxit in ortus,
Asthmaque anhelum alios vix respirare sinebat.
Undique jactantur miseri, graviterque gemiscunt,
Et circumsiliens nunc huc nunc cursitat illuc
Dira per innumeros heu ! desperatio lectos.
Mors horrenda super telum regale coruscat,
Sed lentas trahit illa moras, & vulnera differt :
Quamlibet hanc miseri rogitarent sæpius ægri,
Ceu solum his foret illa bonum, finisque dolorum.
Quis rigidos silices, durumque in pectore ferrum,
Aut adamanta gerens oculis ea cernere siccis
Posset ? non potuit, simulatque hæc vidit Adamus.
Sed subito rigat imbre genas, licet editus alvo
Fœmineâ non ille foret. Miseratio pectus
Perculerat, largoque humectat flumine vultum,
Donec discussæ tenebræ, & lux reddita menti est,
Ac primum, ut fari potuit, sic incipit ore :
Sanguinis humani stirps O miserabilis ! O gens
Infœlix ! cui te exitio fortuna reservat ?
Quam melius nunquam lumen vitale videres ?
Heu ! cur vita datur, sic extorquenda vicissim ?
Aut potius cur sic miseris obtruditur ultro ?
Quod si homini mala tot miseram comitantia vitam,
Vita oblata simul fuerat, prævisa fuissent,
Vel mox rejiciremus eam, vel sponte receptam
Abjicere assiduis cuperemus denuo votis.
Heu ! an imago Dei, quæ ad sydera tollere lumen
Sueta fuit, vultuque elato cernere Cœlum,
Sic alto dejecta gradu languescere debet
Inter inhumanos miserè cruciata dolores ?

Cur homo qui sic ore Deum, sic nunc quoque reddit
Pectore, non procul à monstris deformibus istis
Divinæ remanet securus imaginæ formæ?
Illos destituit, sic rettulit ore Michael,
Forma & imago Dei, cum se de culmine celso
Dejicerent, animos stimulante libidine cæcos,
Laxarentque suo jam libera fræna furori,
Ejus & induerent, cui tum servilia colla
Subdiderant, faciem, vitium pecuaribus aptum,
Quod miseram in lethi laqueos attraxerat Evam,
Proritans vetiti stimulansque libidine pomi.
Ergo illos pœna hæc adeo miserabilis urget,
Qua non læsa fuit divinæ gloria formæ,
Ipsorum sed forma informibus obsita monstris,
Aut si ipsi fuerant divinæ imitamina formæ,
Ipsi hæc reddiderant vitiis informia fœdis,
Naturæ quia jura animo sprevêre superbo,
Dumque salutiferæ linquunt compendia vitæ
Corpora tabificis exponunt obvia morbis.
Et merito quoniam divinæ pignora formæ
Insita quæ fuerant sibi non reverenter habebant
Justa, equidem fateor, pœna est, respondit Adamus.
Et mea colla jugo patienter subdere certum est.
Verum an restat adhuc via nulla in limina mortis,
Præterquam tales aditus, ubi mille dolores
Circumstant fremitu denso? an via nulla reperta est,
Qua licet in cineres fato leviore resolvi?
Restat adhuc, placido Michâel reddidit ore,
Restat adhuc via, qua placido decumbere letho
Fas tibi sit, si te rectæ rationis habenis
Rexeris, indomitamque gulam, sævamque bibendi
Si frænare sitim justo moderamine discas,
Donec sæpe novos rediens expleverit orbes
Phœbus, quadrifidum transmittens curribus annum
Sic, matura suis ut poma cadentia ramis
Maternum in gremium recides, facilique legeris

Tunc opera, non convulſus luctamine duro,
Cum venit hora tui matura optandaque fati.
Hæc levis obtingit ſenio mors. Sed tibi primum
Robora purpureæ ſunt tranſmittenda juventæ,
Et juvenile decus vultus & vividus ardor
Sunt peritura tibi, & triſti mutanda ſenecta
Albentes horrente comas, vacuaque vigoris.
Tum tibi torpebunt ſenſus, tum nulla voluptas
Quæ modo te exhilarans animum dulcedine mulcet,
Eſt potienda tibi, nec gaudia rebus ab ullis
Concipiens quaſi truncus eris vel inutile lignum.
Proque vigore tuæ, quo nunc lætare, juventæ
Frigus & ariditas animum tibi deprimet ægrum.
Ac tandem ipſa tuæ conſumet balſama vitæ.
Tunc hominum antiquus genitor: mihi non fuga mor-
Quæritur, aut longæ ſpatium traducere vitæ (tis
Expeto, ſed potius facili decumbere letho
Commiſſamque mihi placidè dimittere vitam,
Quæ retinenda mihi eſt, donec me fata jubebunt
Reddere; Cœlituum placido dux ore regeſſit.
Nec retinere tuam certa, nec ponere vitam.
Fac vivas bene, quod vivis, ſed tempus Olympi
Arbitrio, longum, an breve ſit, permittere verum eſt
Jamque oculos aliis animumque intende videndis,
Reſpicit, & campum ſpatioſum lumine luſtrat.
Diverſis ibi picta videt tentoria velis;
Hæc juxta pecudes tondebant graminis herbam;
Ex aliis ſonitum fundebant organa blandum,
Atque lyræ, poteratque oculis, qui pollice pulſat
Fila canora, ſuis diſcernere, quique recurſu
Oris diſſimilem variaverat ordine ventum.
Parte alia ſteterat quidam in fornace laborans
Ignivomâ & geminas ex ferro æriſque metallo
Ingentes maſſas flammâ violente liquavit:
(Sive has reppererat, ſubitis ubi viribus ignis
Sylva abſumpta fuit in monte aut valle profundâ,

Usque metalliferas terrarum in viscere venas,
Unde liquata cavæ labuntur in ora cavernæ
Flumina, seu fuerant illæ torrentibus undis
Subter humum superas raptatæ fortè sub auras.)
Has massas liquidi diffuderat ille metalli
Protinus in varias, quas finxerat ipse, figuras:
Artis & arma suæ primum formavit in illis:
Dein quodcunque potest fundi fingíve metallo,
At post hos alii vicina cacumina, sedes
Qua tenere suas linquunt, camposque jacentes
Declivi petiêre gradu; justi esse videntur
Vultu habituque suo; studiisque ardentibus alti
Jura sacrata Dei, & sanctas inquirere leges.
Ejus & immensum facta inclyta nota per orbem,
Et quodcunque potest placidæ pia fœdere pacis
Per gentes hominum, libertatemque tueri.
Hi tantum exiguo peragrabant tempore campos,
Cum subito effudêre suis tentoria velis
Undique formosas matrum nuruumque catervas,
Sidoniâ rutilo tunicâ radiante metallo
Ornatas, nitidoque ignes jaculante lapillo;
Jucundisque Lyræ chordis, & carmine vocum
Blanda cupidinei celebrant præconia regni.
Tendentesque gradum molles duxêre choræas.
Has videre viri vultuque & veste severi,
Moxque vagari oculos laxis patiuntur habenis,
Jamque cupidineis deprensi in retibus hærent.
Jam turbâ quod amare velit, quod ludat in illâ,
Quisque videt, visoque cupit, potiturque cupito.
Materies sermonis amor fuit omnibus illis,
Donec ab æquoreis surgens caput extulit undis
Hesperus, ille decens blandi præcursor amoris.
Tum tædas cupidâ succendunt mente jugales,
Supplicibusque vocant precibus, votisque hymenæum.
Ille vocatus erat tum primum, ut fœdera lecti
Firmet amica suis, & conjugialia jura

Ritibus:

Ritibus: atque epulis reſonabant undique feſtis,
Blandiloquæque lyræ dulci tentoria cantu.
Hæc ubi pulchra oculis haurit ſpectacula lætis,
Jucundumque videt fructum juvenilis amoris,
Carmina, ſerta, roſas, citharæque lyræque canorem,
Pectore raptus erat, ſtimuliſque libidinis arſit,
Quò natura virûm prona inclinatur, Adamus:
Atque ita voce aperit ſenſus ſub corde repôſtos.
O noſtris oculis qui lumina vera miniſtras,
Inter flammiferos cui gloria prima miniſtros,
Hæc melius mihi viſa placent, majorque beatæ
Nunc mihi ſpes oritur portendi gaudia vitæ;
Quam duo prima oculis ubi viſa objecta fuerunt.
Illa odium, & mortem, & graviores morte dolores,
Horribili vultu, & tetrico minitata fuerunt.
Hic natura ſcopum viſa eſt tetigiſſe petitum.
Cui tunc Michâel, cave ne tibi blanda voluptas,
Naturæ quamvis ea conſentire videtur,
Credatur ſummum eſſe bonum: te namque creator,
Et rerum ille opifex animo majora capaci
Te ſpectare jubet, ſanctamque inquirere legem,
Ut tua facta Dei fiant conformia juſſis.
Hæc oculis conſpecta tuis tentoria, quamvis
Tam viſu ſpecioſa forent, tamen illa ſceleſtis
Sunt habitanda viris, ejus de ſemine natis,
Qui maculatus erat fraterno ſanguine dextram.
Intendunt animos ſtudiis & rebus honeſtis
Præclari rerum artifices, quarum indiget uſus,
Et quibus humanæ cumulantur gaudia vitæ.
Sed tamen autorem, qui hæc omnia numine ſacro
Hos docuit, ſprevêre ſuum, renuuntque fateri,
Muneris eſſe Dei tot laudum inventa novarum.
Sed tamen hos faciet proles formoſa parentes,
Namque ea fæmineæ ſpecies nitidiſſima turbæ
Quæ modo viſa tibi eſt, velut orta à ſtirpe Dearum
Sic oculos, ſic illa manus, ſic ora ferebat,

Omnibus orba bonis fuerat, fama unde coronat
Matronas veneranda probas diademate laudum,
Docta cupidineas tantum succendere flammas,
Lascivos cantare modos, celebrare choræas,
Ornatis prodire comis, linguâque procaci
Effari, atque oculos lascivo volvere motu.
Illis, se soboles sanctorum tota virorum,
Queis pia vita dedit præclaro nomine dici
Divinæ sobolis, priscâ virtute relicta
Subdita colla dabit famæ secura sinistræ.
Tantum in amore valent externæ gratia formæ
Blanditiæ risusque leves, oculique procaces,
Et vultus pietate carens decor atque venustas.
Jamque natat placido luxus in flumine, posthac
Longè alio mergenda freto : jam dulcia ridet
Risus at iste brevis posthac regna omnia mundi
Innumeros coget lachrymarum fundere rivos.
Cui tum, lætitia subita spoliatus Adamus :
Ah ! pudet atque dolet, qui rectum insistere callem
Tam benè cœperunt gressus in devia tandem
Avertisse suos, cœptumque abrumpere cursum,
Et mediâ languêre viâ sed prora malorum
Puppis & unæ viris infœlix fæmina perstat.
Hisce malis natura viri, sic Angelus inquit ;
Mollis, origo fuit, namque hic sua jura tueri
Debuerat quoniam fuerat sapientior illa,
Dotibus atque aliis longè superaverat illam,
Sed spectare aliam te nunc accingito scenam :
Respicit, & latè spatiosas undique terras
Ante oculos, urbesque suos, & dulcia rura,
Et munita videt sublimibus oppida portis,
Turrigerique æquata polo fastigia muri,
Arma quoque adversis armis coëundo sonorem
Dantia terrificum, pronosque in prælia vultus,
Atque gigantæos artus animosaque cœpta.
Pars valida arma quatit, rigidis pars altera frœnis
Spu-

Spumantes moderatur equos; pars ordine nullo
Signa gerit, sed pars positis stat in agmine castris
Atque equitum, & peditum spatiosos undique campos
Agmina lata replent, nec inaniter arma lacessunt.
Hinc selecta cohors armenta à pinguibus agris
Eximios agitant præstanti corpore tauros,
Nec non eximias præstanti corpore vaccas.
Altera sæva cohors campi per plana jacentis
Lanigeras agitabat oves, spolia impia belli
Balantemque ovium sobolem, vix sospite vita
Pastores fugiunt, atque auxiliaria cogunt
Agmina; sanguineo concurrunt undique flictu,
Infestisque animis armisque in bella ruebant.
En ubi tondebant pecudes modo graminis herbam,
Undique sanguineis armis & cæde recenti
Desertus cumulatur ager, pars oppida cingens
Arietat in muros, scalisque ascendere certat,
Atque viam sibi subter humum fodiendo parabat.
Arma ferunt alii, & pergunt defendere muros,
Perque cavas densi tela intorquere fenestras,
Sulfureosque globos atque ignea volvere saxa.
Funditur ater ubique cruor, dant funera ferro
Certantes, pulchramque petunt per vulnera mortem.
Sceptrigerique alibi reges in mœnibus urbis
Concilium, ecce, vocant, tenuit, mora nulla, vocatos.
Mox cani venêre viri, senioque verendi,
Magnanimique duces simul agglomerantur, & illi
Multa inter sese vario sermone ferebant,
Sed mox incertum studia in contraria vulgus
Scinditur, & latè obrepens discordia gliscit.
Tum pietate gravis, mediique in viribus ævi
Vir quidam in medio surgens pia dogmata turbæ
Edidit, & quid jus foret atque injuria monstrat.
Justitiamque docet sanctam, ritusque sacratos,
Et pacis pia jura bonæ, verique tenorem,
Judiciumque Dei, qui desuper omnia cernit

Et pia lance pari perpendit & impia facta:
Hunc juvenes pariterque senes explodere risu:
Nec retinere manus ab eo voluêre protervas,
Ni dicto citius nubes descenderet, & mox
Sublatum è mediâ rapuisset in æthera turbâ,
Sic adeo fugêre pudor, verumque, fidesque,
In quorum subiêre locum, fraudesque, dolique,
Insidiæque, & vis, & amor sceleratus habendi,
Atque istis medicina malis non ulla reperta est.
Hæc videt, & largos fletus effundit Adamus,
Atque ducem sic ille suum cum murmure mœsto
Alloquitur; Quales hi sunt? mortísne ministri?
Non homines, qui sic hominum fera fata procurant
Pectore inhumano; decies quoque mille patrârunt
Crimina, quale suas fratris qui cæde cruentâ
Ausus erat maculare manus, patraverat olim?
Nam quos hi rigidi, nisi fratres, vulnere ferri
Dant morti? atq; homines humanâ cæde madescunt.
Sed tamen ille pius, qui sit, mihi dicito, quæso,
Quem, nisi raptus in astra foret, pia facta dedissent
Exitio, sanctamque luisset sanguine vitam?
Cui tum Michâel his vocibus ora resolvit;
Hos malè conjuncti fructus pariunt hymenæi,
Qui tibi conspecti fuerant, ubi fœdere iniquo
Sunt bona mixta malis, quibus est concordia nulla,
Nec bene conveniunt, nec in unâ sede morantur.
Hæc amor imprudens ubi miscuit, orta fuerunt
Tot monstrosi hominum partus, numeroq; modoque
Membrorum, matremque suus conterruit infans.
Nam sola hoc fera vis erit admirabilis ævo,
Magnanimusque vigor dicetur, & inclyta virtus
Vincere bello alias, & sub juga cogere gentes.
Et per cædem hominum spoliis onerarier amplis
Credetur magnum esse decus, laudumque cacumen,
Atque hi magnificos ducent post bella triumphos,
Victoresque hos fama feret, generisque patronos
Huma-

Humani, magnosque Deos, sobolemque Deorum,
Qui potius pestes hominum meruere vocari.
Atque ita per terras orietur gloria famæ,
Dignaque laude nigris tenebris & nocte tegentur.
Septimus ille tua descendit origine, solus
Justus in injusto qui perstitit orbe, odiisque
Sæpe petitus erat, obsessus & undique sævis
Hostibus, ipse unus quoniam in tot millibus unus
Justitiæ ausus erat sanctum servare tenorem,
Exosumque aliis cunctis expromere verum,
Venturum esse Deum, sanctâ comitante catervâ,
Dicere jus mundo, & meritos damnare nocentes.
Hunc Pater omnipotens inter cava nubila raptum
Aligero curru radiantibus intulit astris,
Ut modo tu vidisti oculis, sine fine per ævum,
Ut comes ille Deo super aurea sydera regnet
Exemptus fati imperiis, & jure sepulchri.
Ut noscas quam digna ferant quam dulcia sancti
Præmia; tuque malos scelerumque libidine raptos,
Ut noscas quæ pœna trahat, huc respice, cernes.
Respicit, atque alias rerum videt ille figuras,
Horrida terrisoni siluerunt murmura belli,
Lætitia loca cuncta sonant fremituque secundo,
Undique luxus erat, juvenilis & undique lusus,
Festaque, jucundisque comes lascivia festis,
Et chorus & choream blandi comitantur amores,
Quos variè exercent varii prout cuique libido est,
Hic sibi legitimi sociatam fœdere lecti
Duxit, at hic nitidam vitiat, violatque puellam
Vi rapiens, lectumque alienum ascendere gaudet,
Sicubi fæmineæ pellexit gratia formæ,
Cordaque turpis amor scelerata libidine pungit.
Mox tamen à festis iterum civilia miscent
Prælia: sed tandem quidam virtute verendus,
Et pietate gravis medios intervenit illos,
Factaque fœda videns, dictis incessit amaris:

Et

Et ſcelerum pœnas, ſubitamque inſtare ruinam
Teſtificatus erat, cœus perſæpe malorum
Aggreditur, quocunque videt concurrere, feſtas
Ut pariter celebrent epulas, hilareſque triumphent
Hos prohibere manum vitiis mentemque pudendis,
Et ſcelera atra ſuæ lachrymis perfundere vitæ
Admonuit, ſed verba ferunt evanida venti.
Hæc vero ille videns ceſſat contendere verbis,
Et ſua ſe movit ſcelerum tentoria cœtu;
Ac tunc aëriam montano culmine ſylvam
Excidit, vaſtamque ingenti mole carinam
Ædificat, longamque facit, latam atque profundam
Ad certos cubiti numeros, picis unguine ſpargens,
Et latere in medio portam effodit, atque per illam
Humanos tulit ille cibos & pabula brutis
Commoda, quæ victum pecoriq; hominiq; miniſtrent
Diluvii dum terra latet ſub gurgite vaſti.
Ecce autem ſubitum atque oculis mirabile monſtrum,
Quadrupedũ omne genus,nec non genus omne volucrũ,
Inſectorum etiam pariter genus omne cavatam
Intravêre trabem, ſeptenis ordine turbis,
Cum pare quiſque ſua, cum uxoribus (ejus & horum)
Quatuor, inde fores clauſit Regnator Olympi.
Interea exoritur notus, & nigrantibus alis
Aëra pervolitans cava nubila cogit in unum,
Subtexitque polo tenebras, & in ardua paſſim
Exhalant nebulas montana cacumina denſas.
Ætheriæ jam regna plagæ caligine denſa
Undique tecta latent, tenebroſi phornicis inſtar.
Fit fragor, & denſi funduntur ab æthere nimbi,
Innumeræque ruunt nullo cum fine procellæ
Donec tecta latet liquidis terra undique lymphis.
Uncta carina vadis creſcentem deſpicit undam
Fluctibus inſultans: habitacula cuncta per orbem
Cætera, magnificæque domus, rutilumque metallum
Et niveum & tunicæ Getulo murice tinctæ,

Divi-

Divitiæque aliæ rapidâ volvuntur in undâ.
Æquoraque æquoribus ſuperaddita ſydera ſcandunt:
Omnia pontus erat, deerant quoque littora ponto.
Perque domos opibuſque & feſtâ pace virentes,
Geſſit ubi ebrietas geminata libidine ſceptrum,
Monſtra marina ſuos paſſim peperêre catellos;
Et ſtabulantur in his: hominum de gente ſuperſtes
Turba octona cavâ vaſtum trabe dividit æquor,
Quæ tunc ſola fuit ponto diſcrimen & aſtris.
Quis tibi, Adame, fuit cernenti talia ſenſus,
Cum tua ſic uno pariter ſtirps concidit ictu,
Cum ſic una tuam pariter mors undique prolem
Depopulata fuit? alio te flumine luctus
Merſit, & obrueris lachrymis, velut ubere rivo,
Nec minus ac nati tumidis involveris undis.
Donec ab angelicæ redeunt tibi robora dextræ
Attactu placido, pedibuſque inſiſtere tandem
Incipis, ægra dolor quanquam tibi pectora vexat.
Ut genitor natos cum lamentatur ademptos,
Quos ſimul atque ſemel ſpectat ſuccumbere letho.
Ac vix aligero ſic ora in verba reſolvis.
Heu oculis malé viſa meis objecta, futura
Neſciviſſe foret melius, ſic namque dolores
Pertuleram tantum ipſe meos: certè illa fuiſſet
Sarcina dura ſatis cunctis portanda diebus.
Sed mala diverſis ætatibus omnia latè
Per genus omne meum, & ſeros ſpargenda nepotes
Unius, ecce, meis humeris injecta feruntur,
Atque animo præviſa meo mea pectora vexant.
Cur igitur quenquam ſtudium ventura ſciendi,
Vel ſibi ſeve ſatis diſtorqueat? heu mala certè
Eventura ſciet, quæ non vitare ſciendo eſt.
Nec minus ille mali pectus mœrore futuri
Tortus erit, quam ſi nunc re pateretur idipſum.
Verum hæc cura abiit; homines periêre monendi.
Hos paucos qui adhuc ſuperant, quibus unda pepercit,

Hos dolor atque inopi solvent jejunia victu,
Dum deserto cavo peragrant Neptunia ligno.
Spes erat, ut terras violentia sæva reliquit,
Sanguineique fragor cœpit cessare duelli,
Omnia successus posthac habitura secundos;
Ducturosque homines tranquillum suaviter ævum,
Pax ubi mille bonis comitata redivit in orbem.
Sed procul à verâ mea mens ratione recessit:
Non minus, ut video, corrumpunt pacis amicæ
Ocia, quam horrisoni devastant prælia belli.
Unde hoc ergo venit? mihi dic, Cœlo edite ductor,
Dic etiam an finem hic hominū est habitura propago?
Cui sic Michâel, tua quos ita lumina nuper
Ducere magnificos hilari cum mente triumphos
Viderunt opibus vastis in pace fruentes;
His quondam eximiam dederant facta inclyta famam
Altisonis celebrata tubis, sed gloria longè
Vera aberat, quoniam verâ virtute carebant,
Qui variis populis sua sub juga sæva coactis,
Mortibus innumeris, & multo sanguine fuso,
Hinc sibi præclaros titulos peperêre per orbem,
Ditibus atque domum spoliis rediêre gravati,
Sed tandem diversa sequi, bellisque relictis
Ocia complecti incipient, segnemque quietem,
Atque cupidineis torreri pectora flammis.
Pleni epulis, madidique mero, furiisque tumentes;
Ebrietasque geret geminata libidine sceptrum.
Sic cito amicitiæ rumpentur fœdera blandæ,
In mediamque ruent belli furor iraque pacem.
Hi quoque qui rigidis submittent colla tyrannis,
Virtutem pariter cum libertate priorem
Amittent, fictumque simul pietatis amorem:
Quandoquidem auxilium duro in discrimine belli
Cœlitus haud tulerat mendax pietatis imago.
Hoc priscum faciet cito defervescere zelum.
Tunc illis amor unus erit traducere vitam

Delitiis

Delitiis pariter variis opibuſque fluentem,
Quas ſibi permittent rigidi retinere tyranni,
Nam ſatis atque ſuper tellus feret alma bonorum,
Ut ſit ſobrietas animi manifeſta probando.
Atque ita degeneres gentes Aſtræa relinquet,
Et pietas, jus, faſque, pudor, verumque, fideſque.
Sed tamen unus erit, tenebroſo in tempore lucis
Filius, ille Deum, nullo comitante, ſequetur
Unus, & ille, velut rupes immota, reſiſtet
Illecebris mundique minis, & moribus unus:
Non illi opprobrium, aut vani ludibria vulgi
Incutient, ferróve minax haſtile timorem:
Ille monebit eos ſcelerata relinquere facta,
Juſtitiamque ſequi & recti ſervare tenorem,
Jucundamque pios pacem comitare docebit;
Deſuper autem aliis divinum inſtare furorem,
Qui ſcelerata ſuæ non deflent crimina vitæ:
Omnibus ille tamen ludúſque, jocuſque redibit.
Unum autem hunc oculis numen cœleſte benignis
Aſpiciet, cunctiſque aliis hunc præferet unum.
Numinis imperio mirandam ille exſtruet arcam,
Quæ modo viſa tibi eſt, mediis ut tutus in undis
Seque ſuamque domum rapiat de morte propinquâ,
Omnibus in mundo pereuntibus undique circum.
Hic ſimul atque hominum lectâ comitante catervâ,
Quadrupedumque & reptilium Cœlique volucrum,
Undique tectus erit firmi munimine ligni.
Protinus ætheriæ latè in terras cataractæ
Nocte dieque ſuas effundent jugiter undas,
Oſtiaque æquorei latè patefacta profundi
In terram ſine lege, ruent ſine limite certo;
Gurgitibuſque ſuis montana cacumina vincent.
Tunc hic ambroſii mons floricomus Paradiſi
Sede ſuâ divulſus erit torrentibus undis.
Quem rapiet pariter ſylvæ cum ſtrage virentis
Vaſtum in diluvium fluvii violentia præceps.

Atque ibi radices aget, & defixa manebit
Inſula in æquoreo ſterilis deſertaque ponto.
Commoda tantum avibus domus, hoſpitiumq; marinis,
Quæ clangore vago reſonant terram inter & undas,
Et dubia nunc arva fuga, nunc æquora viſunt.
Hinc tibi noſſe datur liquidò, loca nulla videri
Sancta Deo, ſanctis niſi ſint habitata colonis.
Jamque futura oculis poſthæc quoque reſpice fixis:
Reſpicit atque arcam fluitantem in gurgite vidit,
Qui minor atque minor nunc incipit eſſe fugatis
Nubibus a Boreâ, qui ſiccis ora flagellis
Diluvii ſulcata notat, quaſi langueat ævo.
Phœbus & auricomus vitrei revolubile ponti
Contemplans ſpeculum calido decoxit ocello,
Exhauſitque novo magnam de gurgite partem,
Uberibuſque ſitim vehementem extinxerat undis.
Sic, modo quæ in vaſtam fuerant ſtagnata paludem
Flumina jam incipiunt refluos convolvere lapſus,
Et gradu in æquoreum tacito remeare profundum,
Oſtia cujus erant iterum circumdata clauſtris,
Sicut & ætherias cohibent jam clauſtra feneſtras,
Jamque nec arca natat, ſed in alti vertice montis
Fixa manet, jam ſe montana cacumina tollunt
Undique ſpumifero, ſcopuli velut, obruta ponto.
Hinc violentus aquæ vaſto cum murmure lapſus
Oceani refugas citò præcipitatur in undas.
Protinus ex arcâ corvus volat, inde columba
Nuncia fida volat, revolat, rurſumque remiſſa eſt,
Si reperire queat terras ubi ſiſtere poſſit,
Brachiáve aërii jam fluctu extantia ligni.
Hanc ubi rettulerat reditus fuga grata ſecundi
Paciferæ roſtro folium referebat olivæ.
Poſt paulò apparet tellus, ſeniorque verendus
Ex arcâ egreditur, totâ comitante catervà:
Tum Cœlo attollens oculos, dextraſque precantes,
Roriferam in medio nubem conſpexit Olympo,
Treſque

Treſque Irim varios mentitam in nube colores,
Pignora certa novo renovatæ fœdera pacis.
Viſa hæc lætificant mœſti modo pectus Adami,
Lætitiamque ſuam lætis ita vocibus effert:
O tu qui rebus præſens das eſſe futuris,
Qui mihi doctor ades Cœlo demiſſus ab alto;
His viſis mihi vita redit, nam hæc pignora certa,
Victurum eſſe hominem, victuraque cætera cuncta
Humanis ſervata bonis animalia præbent.
Non mihi tanta fuit legendi cauſa, ſceleſtam
Exitio ſimul atque ſemel periiſſe tremendo
Progeniem, quam nunc animis exulto reſumptis,
Tam ſanctum reperire hominem, tam pectore purum,
Ejus ut omnipotens alium de ſemine mundum
Inſtaurare paret, ſævam quoque leniat iram;
Quid tamen iſta precor medio nunc inſita Cœlo
Linea pulchra velit varios mentita colores?
Placatíne hæc ſigna Dei manifeſta putandum eſt?
An vitta nubem fluidam radiante coercet,
Ne reſoluta novis rurſum imbribus obruat orbem?
Tum dux Cœlituum, non mens tua devia veri eſt.
Tam facilè omnipotens collectas abjicit iras,
Quamlibet ille hominem ſero feciſſe dolebat
Pectora triſtitiæ ſtimulis agitatus amaris,
Cum terram aſpiceret ſcelere, atque libidine plenam,
Alternam dum dira trahunt contagia labem.
His tamen ablatis unum amplectetur amore
Inſignem pietate virum; & placatus ab illo
Non toti humano generi dabit ille ruinam,
Et ſeſe obſtringet manſuro fœdere, terram
Rurſum diluvio perituram haud eſſe ſecundo.
Cœruleique ſuo conſtringet limite ponti
Æquora præſcriptas prohibens tranſcendere metas:
Nec pluviis orbem immerget pecudeſque viroſque.
Sed quoties nubem ſuper atram induxerit orbi,
Irida tum in mediâ diſtendet nube trilicem;

Atque suos quoties oculos intendet in illam,
Fœderis ille memor veteris miserabitur orbem,
Hinc tenebræ luces & lux alterna tenebras
Excipiet, taurusque & libra redibit in orbem,
Æstatisque color, gelidæ quoque frigora brumæ;
Donec terra polusque simul lustralibus undis
Æxpurgata novam faciem, vultumque resumant;
Ut sanctis ita digna viris habitacula fiant.
Ortum obitumque oculis lustrâsti, en, unius orbis,
Atque ut gens hominum delapsa repullulet, ac si
Stirpe exorta novâ fuerit: tibi multa vidêre
Restat adhuc, sed nunc mortalis hebescere visus
Incipit, ut video cœlestia, quippe repentè
Humanos torpore ligant spectacula sensus.
Cætera quæ restant igitur tibi voce recludam,
Tuque adeo nostris adhibe narratibus aurem.
Hæc nova origo hominũ, numero dũ parva manebunt,
Diluviique animo miseranda hærebit imago
Nuper præteriti, numen cœlestè timebunt,
Justitiæque viam, rectumque bonumque sequentur.
Vasta laboriferis proscindent arva juvencis,
Certabuntque oleis vitique impendere curam,
Ac fruges, laticemque meri terra alma benigno
Culta dabit gremio, baccamque virentis olivæ:
Et vitulis facient, agnis, hœdisque petulcis,
Vinaque ritè Deo fundent, epulisque vacabunt
Ritè sacris, lætamque trahent sine crimine vitam:
Perque domos jam perque tribus sub jure paterno
Spargentur, donec cæcâ ambitione tumescens
Unus in his, spreto fraterni fœdere juris,
Extulerit caput, atque alios dominetur in omnes,
Atque fidem humanis, pacemque expellat ab oris.
Ille petet bello laqueisque hostilibus omnes,
Qui dare colla suis renuunt captiva capistris.
Venatorque potens hinc ille vocabitur altum
Ante Deum, ætherio quasi bellum indicat Olympo,

Proxima vel Cœlo ſibi quod conceſſa poteſtas.
Nomine dictus erit benè conveniente rebellis,
Quanquam falſo alios dicet tamen ille rebelles.
Ille ſimul vaſto numero comitante ſuorum,
Quos par ambitio, & dominandi inſana cupido
Addidit imperii ſocios vel ſubdidit illi,
Tendet ad heſperiam regionem Edenis ab oris,
Planitiem inveniet hac in regione patentem,
In qua gurges atrox inferni janua regis
Nocte dieque nigrum vomit è tellure bitumen.
Urbem ex materiâ hac turrimque educere vaſtam,
Turrim ſyderei quod adæquet culmina regni
Spem capient, famamque in ſæcula ſera nepotum
Continuare ſuam, ne forſan in extera regna
Diſperſi in tenebris lateant ſine nomine denſis.
Verâ haud laude quidem, at famæ fulgore trahentur.
Sed Pater omnipotens, hominum qui ſæpe pererrat
Lapſus ab arce poli ſedes, neque cernitur ulli,
Cunctaque facta oculis latè ſpeculatur acutis;
Hos ubi conſpexit vano indulgêre labori
Urbis ut alta novæ ſpeculetur mœnia, celſo
Æthere deſcendit, ne ſcilicet ardua turris
Culmina tranſcendat ſuperi radiantia regni,
Atque inſana videt multo molimina riſu:
Ergo ut ridiculum ſubvertat ludicra cœptum
Pœna, repentè novas diverſa per ora loquelas
Spargit, & immemores linguæ facit eſſe prioris.
Hinc varios mox ora ſonos diſcordia fundunt;
Quiſque vocat ſocium non intellectus ab illo,
Ignotoque ſuæ rauceſcit murmure linguæ.
Tum vero indomitas ardeſcit vulgus in iras,
Ludibrio nam quiſque peti ſe credit aperto.
Agmina tum ſuperi latè radiantia regni
Deſuper aſpiciunt pariter tolluntque cachinnum,
Diſſona dum è variis veniebant murmura linguis,
Emula ſic Cœlo fabrica imperfecta relicta eſt,

Atque huic jure datum est, ex re confusio nomen.
Reddit Adamus ad hæc, irâ stimulante paternâ:
O natum diris precibus mihi jure petendum,
Fraterni superare gradum qui certat honoris,
Imperiumque sibi divinâ lege negatum
Vendicat, atque homines dominari quærit in omnes.
Namq; homini in pisces, pecudes, volucresq; creator
Imperium dedit ille bonus, dos illius hæc est.
Ast hominem dominari homini non jusserat; uni,
Uni hunc ipse sibi, titulumque reservat honoris;
Humanis neque colla jugis humana subegit.
Non tamen humanam tantum iste tyrannide gentem
Prædo ferox domitare parat, sed turribus alti
Scandere regna poli, Superosque lacessere bello.
Væ misero! qualem iste cibum portaverit illuc
Quo sese, atque suas acies dum insana capessunt
Prælia sustentare queat? tenuissimus aër
Nubila celsa super positus crassissima coget
Exta, animæ languere fame, si panis abundet.
Tum sic Michâel: Merito tibi filius atrox
Est odio, populos qui sollicitare quietos
Ausus erat, gentique hominum dare jura volebat.
Sed tum vera, tui lapsus ab origine primâ,
Libertas quoque lapsa fuit, quæ semper eodem
Cum ratione loco comes indivulsa moratur:
Obruta cum tenebris ratio est humana, vel ejus
Cum parere nequit monitis perversa voluntas,
Protinus, ecce, animum stimulans furiosa libido
Huc illuc sine lege trahit, captivaque colla
Raptat in omne nefas, colla antehac libera fræno.
Quando igitur sese sinit ille libidine dirâ
In transversa rapi excussis rationis habenis,
Hunc merito externis dominis Deus ipse regendum
Tradidit; externis ejus qui libera gaudent
Subdere colla jugis; opus esse tyrannida nempe est,
Quamvis pestiferos maneat sua pœna tyrannos.

Et

Et tamen usque adeo procul à ratione recedent,
Et virtute tuâ populi de stirpe creati,
Ut non jure suo violenta injuria, sed jus
Externo hos spoliet; qui sponte interna scelestis
Jura cupidinibus jam tum spolianda dederunt,
Testis enim est proles sancti scelerata parentis,
Diluvii qui vasta cavâ trabe flumina vicit,
Ludibrio ille suum quoniam exposuisse parentem
Auferat; aure graves has traxit ab ore parentis
Vaticinante preces; servis tua dira propago
Serviat, ante suos prostrata in pulvere fratres.
Atque ita pejor erit pejorque, ut pristinus, orbis
Ille novus, donec superi regnator Olympi
Illorum vitiis tandem lassatus ab illis
Dulcia jure sui subducat lumina vultus,
Avertatque procul faciem; longéque recedet.
Inque luto scelerum fixos hærere suorum
Permittet, rabidisque libidinis æstibus uri.
Unam autem mediis gentem ille è gentibus, unam
Eliget, atque sui monstrabit dogmata cultus,
Atque hæc una viro gens exorietur ab uno,
Qui cis Euphratem genitus fuit, atque paternos,
Muta idola, Deos, patrum de more colebat.
Quam miserum est (poterísne meis jam fidere dictis?)
Tam stupidam interea potuisse exurgere gentem,
Dum patriarcha trahit vitalem luminis auram,
Ut jam oblita Deum, picti ludibria trunci,
Saxaque in innumeras colerent excisa figuras?
Et commenta suæ tremerent quasi numina dextræ,
Hunc tamen omnipotens miro complexus amore
Noctis in obscuræ tenebris sub imagine somni
Evocat à patriis laribus, carisque propinquis
Confictisque Deis; ignotaque visere jussit
Regna, Deo monstrante viam, data fata secutum,
Hujus & educet vastam de sanguine gentem:
Huic vastas cumulabit opes, cumulabit honores

Omnipotens, largéque favor benedicet Olympi.
Hujus & exoriens generosum è semine germen
Omnibus in terra populis dabit esse beatis.
Protinus obsequitur, nec adhuc, quo tendere gressum
Debeat ille suum, potuit cognoscere, verum
Divinis adhibere fidem sermonibus audet. (est)
Hunc video patrios (quanquam hoc tibi cernere non
Linquere sponte Deos pariter, tectumque paternum
Numine confisum ætherio, carosque propinquos,
Reptatumque solum puero, quæ Ur dicitur, & jam
Tendit ad Assyrias, peragrans vada limpida Canas,
Et vastus comitatus eum post terga sequuntur,
Taurorum, pecudumque greges, famulûmque catervæ.
Non ille errat inops, sed opes committere gaudet
Arbitrio regis superûm, qui jusserat illum
Ignotas peragrare urbes, peregrinaque regna.
Jamque Cananæâ gestit regione potitus,
Hic pulchram juxta sichimam, dulcemque Morææ
Planitiem sua nunc (video) tentoria figit.
Hic etiam audierat magnum spondere tonantem
Tota hæc regna suo populis de semine natis,
Arctoæ à metis Hamathæ regionis ad usque
Australis deserta plagæ, sua præscius illis
Nomina do, quamvis hodiè sine nomine durent.
Intonsis & ab usque jugis Hermonis Eöi,
Ad pontum, occidui spatiosa cubilia Phœbi.
Hermonen pontumque vide, loca lumine lustra
Singula prout digito monstro tibi singula fixo.
En juga Carmelis, viridis prope littora ponti,
En etiam Eöas Jordanis flumina metas
Flumina, quæ ex ortu gemino miscentur in unum.
Sed sua regna procul soboles ventura nepotum,
Tendent ad Sinaræ numerosa cacumina pulchræ.
Unum illud tamen interea, præque omnibus unum
Mente reconde memor; generosum è semine germen
Illius exorians populis dabit esse beatis,

Qui Phœbo sub utroque jacent, vis noscere germen
Quale sit hoc? magnus tuus est Deus atque redemptor,
Qui pede serpentis caput exitiabile franget;
De quo plura tibi posthac narranda supersunt
Clarius. Hic patriarcha bonus, quem turba nepotum
Postera dictura est Abrahamum jure fidelem;
Gignet abhinc natum similem similemque nepotem
Mente fideque sibi, & simili super æthera notum
Nomine: jamque nepos duodena prole virili
Auctus ubi fuerit, Cananæis ibit ab oris,
Et nova regna petet, quam Egyptum sæcla vocabunt
Postera, fluminea Nilus quam interluit unda.
Aspice ubi rapidos agitat cum murmure fluctus,
Et septemgeminam vomit in maris æquora lympham.
Huc venit, atque habitat peregrinis hospes in oris;
Unicus è natu minimis quia filius illum,
Dum furit atra fames longè latéque, vocavit
Filius, eximiis factis & laude secundum
Qui meruit post sceptra locum Pharaonis in oris.
Hic moritur, multamque suo de semine linquit
Progeniem, quæ jam in gentem succressere cœpit.
Unde novus stimulis princeps agitatur amaris
Invidiæ, nimiamque putat jam augescere prolem,
Hospitibusque dolens numerosa stirpe beatis,
Quâ ratione queant minui, reperire laborat.
Ergo ex hospitibus operas & vilia reddit
Mancipia, inseruitque jugo servilia colla,
Infantesque necat teneros de stirpe virili.
Donec eos fratres gemini, queis Rector Olympi
Omnipotens mandata dabit (tum nomine Moses
Alter dictus erit, Aronque vocabitur alter)
Servitio è duro rapient, & carcere rupto
Cum laude & spoliis regna ad promissa reducent;
Sed prius ille ferox armis animisque tyrannus
Qui negat esse Deum, divinaque jussa recusat,
Prodigiis cogendus erit, signisque tremendis.

Squalie-

Squallebunt ſubito mutati ſanguine rivi,
Atque pediclorum, ranarumque agmina vaſta,
Muſcarumque greges auguſta palatia regis
Invadent, totamque implebunt undique terram.
In mortemque trahet pecudes miſerabilis angor.
Ulceribus princeps pariter, populuſque ſcatebunt
Innumeris, totâque ferent in carne tumores.
Grandine commixtum tonitru, commixtaque flammis
Grando vagis Peluſiacum dirumpet Olympum.
Et per humum volitans latè undique cuncta vorabit.
Atque quod intactum cum grandine flamma reliquit,
Herbarum aut uſquam fruticum, ſegetumq; virentum,
Denſa locuſtarum nubes illapſa repentè
Exedet, atque nihil viride in tellure relinquet.
Et tenebræ Pharias involvent undique terras,
Palpandæ tenebræ ternos ſine lumine ſoles.
Tandem per mediam ſubito mors lurida noctem
Pignora prima Phari lethali vulnere ſternet.
Sic fluvialis erat deno jam vulnere ſerpens
Victus, & hoſpitibus veniam conceſſit eundi.
Sæpe quidem ſævis domitus fuit ille flagellis :
Sæpe tamen, veluti glacies, ſi quando liquata eſt,
Dureſcit magis atque magis, dum, nuper ab oris
Queis veniam dedit ire ſuis, comprendere certans,
Obrutus ipſe foret, totuſque exercitus, illum
Qui comitatus erat, tumidi ſub gurgite ponti.
Sed tamen Iſacidis datur ipſo hoc tempore terram
In medio calcare freto : ſublataque muro
Conſurgit gemino unda ſacræ medicamine virgæ,
Quam Moſis quatiente manu, vada rubra recurrunt
In ſolido dum tuta ſolo veſtigia figant,
Littoreâque metu vacui potiantur arena.
Quippe patrare viro dominus tam inſignia ſancto
Facta dabit, quamvis præſens etiam Angelus ipſe
Omnipotens ſervator erit ; dux ille præibit
Nunc in nube ſedens, nunc in flammante columnâ,
Nube

Nube regente diem, flammâ lustrante tenebras,
Sic reget ille viam : sed tunc post terga sequetur,
Dum manus atrocis sequitur violenta tyranni.
Totâ nocte fugam premet, at non prendere cursu
Hos poterit, quoniam atra caput circumvolat umbra,
Adversamque aciem quasi vallum immane tuetur,
Donec manè novum roseo consurgat Eöo :
Tum in nube Deus vultum, ignivomâque columnâ
Ostendit, Phariamque premit terrore catervam,
Confringitque rotas Pharias : virgamque potentem
Extendit Moses iterum super æquor, at illud
Obsequitur virgæ imperio : mox versa recurrit,
Armatasque simul maris obruit unda catervas,
At lecta Abramidum soboles à littore tutum
Tendit iter versus Cananæia regna, per arva
Nuda & sola Arabum, & vacuas cultoris arenas ;
Non propiore viâ ; ne si Cananæus in illos
Excitus irruerit, subito terrore trahantur,
Præque timore iterum repetant Egyptia regna,
Servilemque velint pacem præponere bello.
Nobilitas & plebs ubi non se exercuit armis,
Dulcius esse putat tutam traducere vitam,
Quam fera bella sequi, nisi cum temerarius illos
Impetus instimulans in aperta pericula trudit.
Hic quoque fructus erit lentæ per nuda colonis
Arida tasqua viæ, vacuas cultoris arenas ;
Jura, magistratusque legent, sanctumque senatum,
Electum è populo duodeno ut fræna gubernent.
Sinâ è monte Deus, sublimia culmina cujus,
Descendente Deo, subito terrore tremiscent,
Horrificâ resonante tubâ, tonitruque tremendo,
Fulguribusque procul rapidum spargentibus ignem,
Ipse his jura dabit : partim hæc civilia tangent
Officia, & partim ritus, moresque litandi
Monstrabunt, variis præsignificando figuris,
Umbrosisque typis, venturum nobile semen,

Qui pede serpentis caput exitiabile franget,
Et quibus ille modis hominem de morte revellet.
Sed vox sacra Dei mortalem territat aurem.
Mosem idcirco jubent legem, terrore remisso,
Ætheriam, & pia sacra suis efferre loquelis.
Quodque rogant concedit eis, ut discere possint
Nullum aditum ad Cœli dominum mortalibus ullis
Esse nisi in medium pacis veniente sequestro.
Cujus imago quidem nunc est prænuncia Moses,
Præcursorque venit, donec dux major Olympo
Deveniat, cujus natalem præscius ille
Suaviloquo canet ore diem, cunctique prophetæ
Quisque sua hunc ætate canent, Christique beati
Dulcia veridicis prædicent tempora verbis.
Hæc ubi jura Deus statuit, ritusque sacrorum,
Tantus in humanam gentem sua jura colentem
Ejus abundat amor, ut jam dignetur in illis
Hospitium statuisse sibi sedemque perennem,
Invisatque sacro mortales numine cœtus.
Illius imperio sacraria cedrina condent,
Flammivomisque tegent rutili fulgoribus auri.
Arca sed intus erit, lex atque perennis in arca
Fœderibus firmata sacris : superimminet illis
Formatum è rutilo pulchrum hilasterion auro,
Quod bini hinc atque hinc Cherubi radiantibus alis
Circumdant. Illic septem quoque lampades ardent
Illius ante oculos, æternaque lumina fundunt,
Tanquam in Zodiaco, superas imitantia flammas.
Nubes densa super sacraria tempore lucis,
Tempore noctis erit claræ lux fulgida flammæ
Perpetuo, nisi tempus iter cum tendere suadet,
Cumque manus ductu angelicæ fœlicia regna
Attigerint ; quæ jam Abramidum de semine natis
Veridico dudum ore Dei promissa fuerunt.
Cætera longa mora est verbis expromere, bella
Quot subeunda, & quot reges exinde necandi,

Regna-

Regnaque debellanda manent; ſpatioque diei
Quomodo ſolis iter medio ſiſtetur Olympo:
Cogeturque ſuos nox atra reducere currus
Voce jubente viri, Sol in Gibeone reſiſtet,
In valle Ajalone pedem vaga Cynthia figet.
Iſrâel donec ſuperet; nam ſic ab Abramo
Tertius ortus homo, populus ſic ortus ab illo
Dictus erit, qui ſic vincent Cananæia regna,
Inſignemque canent multâ cum laude triumphum;
Sermone at medio tunc interfatur Adamus:
Cœlitus O demiſſe mihi, tu lumine noctem
Diſcutis, ecce meam, tu læta ac dulcia dictis
Dignaris reſerare tuis: tamen omnia vincunt
Cætera quæ Abramum tangunt & ſemen Abrami.
Nunc ego primum oculos luſtrari lumine vero
Cerno meos, animumque ingenti mole levatum:
Nam modo ſollicitis torquebar pectora curis,
Quæ mihi, quæque meis fortuna nepotibus inſtet.
Sed nunc illius natalem exulto videre,
Illius, mundo qui ſæcula læta reducet
Haud favor ille meis meritis datur; impius ex quo
Heu! vetita atque viis vetitis penetrare paravi.
Sed tamen ingenium nequit hoc comprendere noſtrum,
Tot leges & tam varias cur Rector Olympi
His dederit, quamvis habitet telluris in oris
Hos inter ſtatuatque ſuam per ſæcula ſedem:
Tot leges totidem eſſe probant peccata pianda:
His Deus ergo poteſt ſociam conjungere ſedem?
Cui ſic Michâel: peccatum ſceptra per illos
Ne dubita geſtare tuo de ſemine natos:
Queis ideo data lex fuit, impietatis ut illos
Nativæ argueret, quoniam cum lege ſacratâ
Nativa impietas gerit implacabile bellum.
Atque ita cum videant legem ſubducere velum
Peccato potuiſſe, at nôn removere reatum
Haudquaquam hircorum aut vitulorum cæde piandum,
Venturi

Venturi umbra boni, verique piaminis illa
Cum tantum simulacra forent, fateantur oportet
Sanguinis esse genus longè pretiosius illo
Fundendum humani generis pro crimine diro,
Sanguinis, haud sceleris maculati labe pudendâ,
Eluere ut maculas queat ille aspergine vestras.
Justitia ut vobis aliena hoc sanguine detur,
Vestraque facta fide domini placare furorem
Sustineat, pacemque animis ita reddere vestris.
Cui neque reddendæ ritus potuêre sacrorum
Sufficere innumeri, nec homo, qui crimine postquam
Tinctus erat, legem posthac implere nequibat.
Lexque idcirco homini vitam dare denuo nescit.
Sic imperfectam legem patet esse, datamque
Ut patefacta foret meliora ad fœdera tandem
Janua, & ut corpus verum legalibus umbris
Spiritus & carni, peperit quæ mortua mortem
Succedat, rigidis bonitas & gratia jussis,
Servili genuina decens reverentia natos
Terrori, legique fides & vita fidelis.
Propterea Moses, quanquam hunc regnator Olympi
Pro bonitate suâ miro complexus amore est,
At quoniam legis tantum fuit ille minister
Nequaquam Isacidas regna in Cananæia ducet.
Joshua ductor erit, quem stirps Gentilis Iesum
Dicet, & officium nomenque illius habebit,
Qui serpentis erit domitor victorque maligni,
Atque hominem miseri deserta per avia mundi
Incolumem æterni Paradisi in gaudia ducet.
Interea terræ Cananææ hi tempore longo
Regna subacta colent, & prosperitate fruentur.
Ast ubi communem rumpent communia pacem
Crimina, tum sævis prædam Deus hostibus illos
Objiciet; sed mox iterumque, iterumque reducet
Impia facta videns lachrymis lugere profusis.
Judicibus primum dabit hos tunc ille tuendos,

Post

Poſt quos imperii capient moderamina reges.
Proximus à primo pietate inſignis & armis
Promiſſum accipiet nullo violabile fato,
Manſurum eſſe thronum ſibi cuncta in ſæcula firmum.
Hæc eadem vates alii qui deinde ſequentur
Unanimes uno ore canent: è ſtemmate natum
Davidis (hunc Regem ſic nomine dico) futurum
Semen fœmineum tibi prædictum ante, beato
Prædictum Abramo, ſemen cui ſæcula fident
Omnia, prædictum quoque regibus; ultimus horum
Hic erit, hujus enim regnum ſine fine manebit.
Sed nati natorum, & qui naſcentur ab illis
Primum Davidici capient moderamina regni.
Tertius hujus erit regni celeberrimus hæres
Ingenio atque opibus: divini hic fœderis arcam
Quam circumtulerant huc uſque erratica tecta
Ponet in æde ſacrâ rutilo fulgente metallo.
Cætera quæque ſuis ſcribentur nomina faſtis
Regum ſceptrigerûm, quorum pia pars erit, at pars
Impia major erit, quorum mens dedita vanis
Ac devota Deis, numeroque carentia certo
Crimina, flagitiis populi ſuperaddita fœdis
Ætherium horribiles ſtimulabunt numen in iras.
Deſeret ergo Deus miſeros iratus, & horum
Terrā urbemq; ſimul, templumq;, arcamq; ſacratam,
Et quodcunque ſacrum eſt, urbi tunc ille ſuperbæ
Ludibrio, prædæque dabit, ceu vile ſca[illegible]lium;
Urbi, cujus erant nuper confuſa tumultu
Mœnia viſa tibi, Babylonque hinc illa vocata eſt,
Hic finit hos miſeram captivos ducere vitam
Quatuor atque decem luſtris; iterumque reducit
Fœderis ille memor veteris cum Davide pacti
Vocibus his; Cœlo æquævum de ſemine proles
Progenerata tuo regni moderamen habebit.
Jamque iterum reduces diræ Babylonis ab oris
Permiſſu regum, quibus hi ſua colla dederunt,

Quorum

Quorum corda Deus tetigit, rurſum ardua magni
Templa Dei ædificant, placidoſque in rebus egenis
Tranſegêre dies, ſtudia in contraria donec
Scindantur populi nummo, numeroque ſuperbos
Inflammante animos : ſed prima eſt orta ſimultas
Inter linigeram, curant qui altare, catervam,
Quos placidæ ante alios paci invigilare decebat.
Alterniſque odiis dum jurgia mutua nectunt
Splendida magnifici fœdant ſacraria templi.
Tandem etiam invadunt ſceptrum regale, repulſo
Semine Davidico : ſed poſt peregrinus ab ipſis
Hoc rapit, ut verus rex rore perunctus Olivæ
Natus ubi fuerit ſpolietur fraude tyranni
Jure ſuo : tamen hunc mundo natum eſſe monebit
Stella per ætherios radians nitidiſſima campos,
Stella, hunc ante diem, nullo quæ lumine viſa eſt.
Diriget illa ſagos ultroque præibit Eöos,
Qui cupidè inviſent pueri cunabula, & illi
Myrrham aurumque dabunt rutilum cum thure ſabæo,
Partem orbis, quæ tanta dedit natalia mundo,
Aliger ætherius paſtoribus indicat, alti
Lapſus ab arce poli, per amica ſilentia noctis,
Dum pecudes inter vigiles egêre tenebras.
Protinus huc læti properant, atque agmina dulci
Ore genethliacam cœleſtia fundere muſam
Conſpiciunt, ſupráque caput celebrare choræas.
Mater virgo, Pater magni Regnator Olympi eſt
Unicus ille, hominum Divûmque æterna poteſtas;
Tunc in Davidicas fœlix ſuccedet habenas,
Imperium oceano, famamque ut terminet aſtris.
Sic tacuit, quia jam ſubitam conſpexit Adamo
Lætitiam lachrymis vultum laviſſe profuſis :
Haud ſecus atque dolor cum in pectora manat acerbus:
Strangulat illa etenim tacitoque exæſtuat intus,
Ore ſilente, animo, tum vero his vocibus infit :
O vates mihi grata ferens ; mihi maxima noſtro

Quæ

Quæ poteram ſperare animo, ſperare dediſti
Jam mihi compertum eſt, quod ſæpe ardentibus ante
Fruſtra, animus nunc huc dum ſe nunc dividit illuc,
Quærebam ſtudiis, animique indagine fixi;
Cur ſpes magna hominum mereatur nomine dici
Semen fæmineum. Tactus ignara virilis,
Mater ave, Cœli domino gratiſſima, ſed tu
A lumbis tamen ipſa meis oriere, tuoque
Filius ipſe Dei ex utero prodibit in orbem;
Atque Deo conjunctus homo coälescet in unum.
Jam ſtygio vulnus capitis lethale draconi,
Cumque dolore gravi plagam ſperare neceſſe eſt.
Dic, ubi, quando gerent bellum, quæ vulnera victor
Calce feret, tum ſic effatur voce Michâel:
 Somnia vana foves, animo dum talia volvis,
Tanquam hi ſanguineo dent, accipiantque duello
Vulnera vel capitis, vel calcis partibus ullis:
Non ideo humanam proles divina volebat
Naturam ſociare ſibi, ut majoribus hoſtem
Viribus obrueret: Satanam nec talia vincunt
Vulnera; quippe magis lethali vulnere quondam,
Quamlibet ictus erat Cœlo dejectus ab alto,
Non tamen ille tibi lethalem infligere plagam
Non poterat, quam, qui veniet ſervator in orbem,
Denuo ſanabit, Satanam non deſtruet ipſum;
Deſtruet ejus opus, quod & in te ſtirpe creatis
Struxerat iſte tuâ: ſed nec tamen hoc fit ab illo,
Ni tibi quæ deſunt ſuppleverit, omnia magni,
Ni ſervet præcepta Dei, quæ implere neceſſe eſt;
Et niſi terrifici tranſmittat limina lethi:
Debita pœna tibi fuit hæc, violare ſacratam
Qui legem auſus eras, & cunctis debita natis,
Qui traxêre tuæ pariter contagia culpæ.
Hoc tantum divina modo placabilis ira eſt.
Ille Dei legem ſine labe aut ſorde perennis
Præſtabit parendo ſacram, præſtabit amando:

Quamvis solus amor per se legem impleat omnem.
Criminis ille tui pœnas patietur acerbas,
Carnis enim latitans fragili sub tegmine vitam
Transit, sæpe probris ignominiaque notatam,
Victimaque ætheriæ moriens ille occidit iræ.
Omnibus æternæ sic gentibus optio vitæ,
Omnibus ejus erit prendendæ indulta facultas
Illius ore sacro, cunctos ad læta vocantis
Gaudia perpetui superis in sedibus ævi,
Quisquis ubique fide verâ complectitur ipsum,
Nec dubitat, quin mors ejus certissima morbis
Sit panacæa suis ; meritisque illius adhæret,
Justitiamque suam reputat pro stercore fœdo.
Ob causam hanc odiisque simul probrisque petetur
Turpibus, atque insons in jus violenter iniquum
Raptus erit, mortemque pati cogetur acerbam.
Sed tamen ille cruci cunctos affiget eidem
Hostes, qui tibi bella gerunt, lethumque minantur :
Terrores legumque minas, & crimina gentis
Humanæ hac pariter suspendet in arbore secum,
Ne noceant ulli, quicunque recumbit in illum,
Expectatque suam solo hoc à sanguine vitam.
Sic moritur, sed mox iterum de morte resurgit,
Imperium breve mortis erit, quod habebit in illum.
Tertius ante suos quam Sol iteraverit ortus,
Hunc matutinis gaudebunt sydera flammis
Cernere confracto vivum remeare sepulchro,
Qualiter ore novo rediens Aurora refulget.
Hoc igitur pretio pro humanâ gente soluto,
Hanc mortem, incolumes rigidi de faucibus Orci
Quæ rapit humani generis quot ubique beatæ
Vitæ oblata animo non spernunt dona maligno,
Amplectare fide minimè fugitante laborum :
Mors facit hæc, ut quæ lex in te cunque minatur
Irrita tela cadant, ne tu moriaris in ævum,
In Stygiis sine fine vadis, sine lumine vitæ.

Hæc

Hæc tibi serpentis caput exitiabile franget,
Hæc Satanam simul & Satanæ duo brachia mortem,
Peccatumque teret, Satanæque in vertice diro
Amborum stimulos penitus defiget acutos.
Sed cita mors calcem leviter victoris & horum
Quos redimet, tantum feriet, dein protinus illos
Transferet æternæ longæva in gaudia vitæ,
Par levibus ventis, volucrique simillima somno.
Victa morte redux non in tellure manebit
Ille diu, sed per spatium hoc aliquando suorum
Discipulorum oculis sese dabit ille videndum,
Qui vivum in terris soliti comitarier illum.
His mandata dabit, cunctas latè undique gentes
Ore docere, sui quæ quondam ex ore magistri
Audierant, & qui credent hos flumine sacro
Abluere, ut purgata suæ scelera omnia vitæ
Signo hoc teste sciant in spirituale lavacro.
Utque suum sanctè degant & puriter ævum,
Sintque parati animis, si sors ita sæva requirat,
Sicut & ipse, suam cum sanguine fundere vitam.
Nec secus ac jussi facient; gentesque docebunt
Passim omnes; etenim non tantum è semine natis
Abrami ex illo monstrabitur orbita vitæ,
Verum aliis quocunque loco, quocunque sub axe,
Quotquot ubique fides communis adoptat Abramo;
Tunc super ætherei radiantia culmina Cœli
Altum scandet iter curru victore, tuisque
Hostibus atque suis magnâ virtute subactis,
Magnificos ducet vastum per inane triumphos.
Atque ibi serpentem comprendet in aëre, quamvis
Regia sceptra manu hic teneat, vinctumque catenis
Per sua regna trahet, plenumque pudore relinquet.
Tunc rursum decus antiquum, sedemque resumet
Appositam dextræ patriæ, super omnia longè
Inclyta in ætheriis evectus nomina regnis.
Inde iterum curru residens flammante redibit,

Tempus ubi interitus mundi maturuit hujus,
Viribus armatus, circumdatus undique flammis,
Dicere jus pariter vivis & lumine cassis,
Qui caruêre fide cunctos hos lumine cassos
Dicet, at ille homines amplâ mercede fideles
Pensabit, vitæque in gaudia læta beatæ
Admittet; sive in terrâ vel in æthere Divûm
Tunc Paradisus erit, circum tota undique tellus
Pulchrior hac Edene, & vita beatior illic.
Talia Michâel Archangelus ore locutus,
Conticuit, quoniam pervenit ad ultima mundi.
At noster genitor vix jam sua ferre valebat
Gaudia, lætitiaque stupens his vocibus infit:
O bonitas immensa Dei & miranda benigni!
Cujus habet nullas larga indulgentia metas,
Ex tantis bona tanta malis qui emergere jussit.
Inque bonum mala convertit; mirabile certè
Hoc magis est, quam cum tenebris emergere lucem
Jussit in orbe novo: dubiâ nunc hæsito mente,
Anne dolere magis deceat mea crimina, quæ me
Fœdârunt, maculamque meis sparsêre pudendam
Omnibus, an potius deceat lætarier illinc
Plus multo fluxisse boni? nam gloria major
Provenit inde Deo, majoraque gaudia genti
Humanæ, atque trucem bonitas supereminet iram.
Si tamen humani generis bonus ille redemptor
Rursus in ætherii solium remeabit Olympi,
Quæ fortuna manet paucos quos ille fideles
Innumeros inter vacuos pietate fideque
Deseret? illius populum quis diriget? aut quis
Proteget? asseclas nonne hos violentius illi,
Ipsum quam petiêre, petent: tunc Angelus inquit:
Omnino hoc facient. Jussu tamen hujus ab alto
Solator veniet, promissum dulce parentis,
Spiritus ejus: in his habitabit; cordibus imis
Inscribens legem fidei, quæ accendit amorem
Justitiæ,

Justitiæ, atque odio scelus omne oppugnat acerbo,
Ut regat illorum gressus in tramite veri,
Sydereoque tegat clypeo & cœlestibus armis,
Queis Satanæ assultus varios eludere possint,
Telaque Tartarei flammata retundere regni,
Spernentes hominumque minas, mortisque timorem,
Intima quod superent externos gaudia luctus;
In medioque hilares cantabunt igne triumphos.
Tortoresque suos persæpe stupescere cogent
Indomitâ virtute animi: nam spiritus ejus,
Primus Apostolicum qui invasit turbine cœtum,
Quos ut Evangelii celebrent præconia cunctas
Per gentes errare jubet: dein omnibus undâ
Sacratæ ablutis trinuno in nomine lymphæ
Spiritus ille Dei sese diffundet, & illis
Dona stupenda dabit, dabit omnē expromere linguam,
Et præstare dabit miracula, qualia sæpe
Quondam effecta sui dextra vidêre magistri.
Atque ita lucrantur numerosæ ingentia turbæ
Agmina, de cunctis terrenum habitantibus orbem,
Demissamque polo pacem gens accipit omnis
Læto animo, superosque viam quæ ducit in axes.
Ritè ministeriis functi, cursuque peracto,
Doctrinâque sua pariter vitâque libellis
Commissâ effundunt animas; sed ut ante monebant,
Ecce repentè lupi incipiunt succedere diri,
Horrida turba, lupi, sacramque invadere sedem;
Sanctaque sacrilegis distorquet dogmata verbis
Ambitionis amor vanæ, vilisque lucelli.
Atque superstitio cum traditione parentum
Certabunt densis tenebris involvere verum
Lumen, Apostolicis quod scripta volumina pennis
Conservant; hoc nemo tamen sine lumine lumen
Spirituale potest oculis discernere lippis.
Jamque sibi varios titulos variosque locorum,
Ambitione, gradus, cæcâque cupidine mentes

Inſtimulante feras, certatim acquirere gaudent.
Mundanoque ſuos gladio defendere vires :
Arma licet tumidis jactent cœleſtia dictis.
Horum lingua procax, cui nulla eſt mica pudoris,
Numinis afflatum ætherii ſibi vendicat uni,
Qui pariter cunctis fuerat credentibus uſquam
Promiſſus pariterque datus : fulcimine tali
Subnixi externis hi ſpiritualia jura
Viribus urgebunt, jura impia, quæ nec ab alto
Sunt data, nec noſtris divinus ſpiritus intus
Cordibus inſcripſit : quid agent ? niſi ſpiritui vim
Ætherio facient, libertatemque perennem
Huic comitem rigidis cupient vincire catenis ?
Quid niſi certabunt viventia perdere templa,
Viribus ætheriæ fuerant quæ condita dextræ
Ut ſtent firma fide, nunquamque labaſcere poſſint,
Ut ſtent firmâ fide propria ſed non aliena,
Ecquis enim in terris in pectora, quæ ſibi recti
Conſcia, ſinceramque fidem dominarier auſit ?
Hoc tamen audebunt multi. Ex hoc fonte ſequetur
Cunctorum laniena ferox, qui recta capeſſunt,
Nec ſeſe ætherii flectunt à tramite verbi.
Cætera pars longè major ludibria cultus,
Et veri ſimulacra colent, & imagine nudâ
Ipſi ſponte ſuas fallent, miſerabile, mentes.
Tunc verum aufugiet jaculis circum undique fixum
Opprobrii, vix ulla fides pietaſque videndam
Se dabit, atque adeo totus complebitur orbis
Impietate bonis terror, fautorque malignis.
Atque ſua ſub mole gemet ; lux aurea donec
Fulſerit optatam juſtis latura quietem,
Vindictamque malis, tibi cum bonus ille redibit,
Auxilioque levare ſuo dignabitur, ille
Qui tibi nuper erat verbis promiſſus amicis,
Semen fæmineum, multis cum ambagibus ante
Qui promiſſus erat ; ſed nunc manifeſtius, ecce,

Eminet ante tuos oculos tuus ille redemptor
Ac dominus, ſuperi veniet qui à culmine regni ;
Et Patrio fulgore micans in nube ſedebit,
Ut Satanam, Satanæque orbem qui fallitur aſtu
Deſtruat : atque iterum flagrantis pulvere maſſæ
Exſtruat ille novos, facto purgamine, Cœlos.
Telluremque novam, tum blandæ fœdera pacis,
Et pietas & pura fides remanebit in illis,
Lætaque perpetuæ cumulabit gaudia vitæ.
Sic tacuit : Cui tunc iterum reſpondet Adamus :
Quam cito vaticinis, princeps venerande, loquelis
Nunc mundum dimenſus eras curſumque volucrem
Temporis, uſque ſuo ſteterit dum limite fixum !
Quicquid enī hoc ultra eſt, vaſta eſt ſine limite abyſſus,
Sæclaque perpetuis ſemper redeuntia ſæclis,
Quorum extrema oculi poſſunt diſcernere nulli.
Jam bene doctus ego Paradiſum hunc lætus abibo,
Et tranquilla animi pax me comitabit euntem :
Jam mihi ſcire datum eſt, quantum vas hoc capit,ultra
Aſpirare animi fuerat veſania vani.
Ergo (hoc jam didici) cunctarū hæc optima rerum eſt;
Æterno parere Deo, miſtoque timore
Diligere, atque oculis præſentem hunc cernere fixis
Quicquid ago, quicquid dico, vel mente revolvo,
Et quonam ille modo mundi moderatur habenas
Reſpicere, atque in eum ſine fine recumbere ſolum,
Cujus habet nullas larga indulgentia metas.
Quique bonis ſemper ſuperat mala, magnaque parvis
Efficit, infirmiſque evertit fortia rebus,
Quo faciente, in humum ſub ſimplicitate maligna
Fraus mundi proſtrata jacet, nam occumbere morti,
Et mala ſæva pati veræ pietatis amore,
Hic veræ virtutis honos, hæc gloria palmæ eſt,
Claraque victrici dat tempora cingere lauro.
Et mors perpetuæ ſanctis eſt janua vitæ.
Illius exemplo patet hoc, quem agnoſco libenter

Sancta salutiferæ compendia pandere vitæ,
Qui bonitate suâ rapuit me à limine mortis,
Tunc abiturus ei sic flammifer Angelus inquit:
 His, ego quæ docui, sapientia vera patescit
Nunc manifesta tibi: nihil est sublimius usquam
Quod tibi nosse datur; quanquā omnia sydera posses,
Cœlicolûmque choros numero comprendere certo.
Cunctaque naturæ tenebris abscondita cæcis
Si tibi nota forent, & quicquid in æthere fecit,
Aëre, terrarumque plagis, & in æquore magnus
Rerum opifex; & quicquid opum vastissimus orbis
Continet immenso gremio si solus haberes,
Unius atque tuis se subderet undique sceptris:
Fac modo sanctam habeat tam clara scientia vitam,
Atque huic adde fidem, virtutem huic adde decoram,
Imperiumque animi, frænans moderamine certo
Præcipites iras, cohibensque libidinis æstum.
Omnibus adde aliis vitam qui infundit, amorem,
Postera quem soboles agapen de nomine dicet.
Sic tibi non durum, Paradisum hunc linquere, fiet.
Quippe in te Paradisus erit fœlicior illo,
Nunc vero ex alta hac specula sublimia rerum
Quæ spectare dedit, mundique arcana latentis
Inferiora iterum gressu declive petamus.
Namque hos hora locos matura relinquere cogit,
Agmina sydereis latè, en, radiantia flammis,
Qui duce me positis hoc alto in culmine castris,
In statione manent, expectant signa movendi,
Quorum à fronte micat fulgentibus undique flammis
Ensis atrox, illo jubet hinc discedere signo.
Ulterius remanere nefas, age, rumpe soporem
Conjugis; hujus ego jucundis pectora visis
Turbida composui, simulacraque dulcia veri
Nocte videnda dedi, nebulasque à mente fugavi.
Jamque parata pati est quamcunq; ob crimina pœnam
Illi, audita tibi, tu nactus idonea rursus

Tem-

Tempora fac referas : unam at, præq; omnibus unam
Sis memor inculcare fidem ; Satanamque subactum,
Gentis & humanæ fœlicem à morte regressum,
Seminis ejus opus posthac venientis in orbem.
Cuncta hæc fæmineum faciet miracula semen.
Ut longæ quod adhuc superest de tempore vitæ
Unanimes uno ore fidem agnoscatis eandem,
Præteritisque simul mœsti, lætique futuris.
Tum tacet : ambo igitur descendunt culmine montis,
Atque ubi descendêre celer præcurrit Adamus
Ad thalamum, placidi capiens ubi munera somni
Eva decens jacuit : vigilem at tunc invenit illam,
Illaque voce refert animi non indice mœsti :
  Unde redis, quoque exieras, mî utrumque patescit,
Nam Deus in somno est, venturaq;, somnia monstrant,
Quæ modo visa mihi fuerant, fœlicia fata,
Ex quo nostra dolor cogit succumbere somno
Pectora. Nunc, age, duc, in me mora non erit ulla
Hic remanere mihi est, una discedere tecum,
Hic sine te remanere, hinc est non sponte repelli,
Namque sub ætherio tute omnia solus Olympo
Es mihi, tuque locis mihi gratior omnibus unus.
Hinc quia pulsus eras nostro pro crimine diro.
Hæc ego læta etiam mecum solatia porto
Omnia perdideram quamvis, regnator Olympi
Me bonus immeritam tanto complexus amore est,
Ut de me genitum posthac rursum omnia semen
Restituat : Sic Eva parens effatur ; Adamus
Ejus ab ore sonos læta trahit aure cadentes :
Sed tamen obticuit : nam nunc Archangelus illos
Ætherius juxta stetit, & radiantia turbæ
Agmina flammiferæ vicino in colle steterunt,
Agmina syderei demissa à culmine regni.
Et per humum huc illuc varias duxêre choræas,
Ut nebula, auricomo fugiente crepuscula Phœbo,
Fluminis orta vadis, per sparsa paludibus arva

Assequi-

Aſſequitur greſſus operæ redeuntis in urbem.
Horum à fronte Dei gladius ſublatus in altum
Fulgura denſa vomit, Cœlo ceu ſæpe refixa
Tranſcurrunt crinemque volantia ſydera ducunt.
Temperiemque loci mutat jam fervidus ardor,
Ardor atroxque vapor, lybiæ ceu ſole peruſtæ.
Protinus ergo manu noſtros utrâque parentes
Quos lentæ tenuêre moræ, (mora nulla) præhendit,
Mox & ad Eöæ deducit limina portæ.
Inde ad ſuppoſiti non ſegnius æquora campi,
Ex oculiſque volat, tenueſque receſſit in auras.
Reſpiciunt, oculiſque notant ad limen Eöum
Hoſpitii veteris, pulchri & nitidi Paradiſi,
Lumina terrificæ circum radiantia flammæ,
Denſataſque fores flammantibus undique turmis,
Quorum in fronte furor reſidet, bellumque minatur.
Tum paucas fundunt lachrymas ſiccantque viciſſim :
Cernunt ante oculos vaſti regna omnia mundi ;
Queis, ubicunque libet, ſedem ſibi figere fas eſt.
Provida cura Dei dubios in tramite greſſus
Dirigit. Hi manibus junctis interque plicatis
Per loca ſola ſimul, per Edenis amabile regnum
Traduxêre vagas, comitanti nemine, plantas.

Finis Libri Decimi.

PARA-

PARAPHRASIS POETICA IN *JOANNIS MILTONI* Paradisum Recuperatum.

POEMA

Quatuor Libris comprehensum.

Autore eodem
GULIELMO HOGÆO.

LONDINI,
Anno Domini MDCXC.

Paradiſus Recuperatus.

Liber Primus.

ILLE ego qui quondam Paradiſi gaudia dulcis,
Unius ob noxam & furias amiſſa canebam.
Nunc reparata cano populis hæc gaudia, Phœbo
Qui ſub utroq; jacēt, Chriſto duce, principe Chri-
Chriſto, quem variis ſtygii rex dirus Averni (ſto,
Fraudibus atque dolis noctesque dieſque petivit.
Sed tulit ille novas iterumque iterumque repulſas,
Donec ſpe poſitâ, plenuſque pudore refugit,
Sic Eden iterum deſerta per arida pulchrum
Extulerat rediviva caput. Tu ſpiritus alme,
Spiritus alme Dei, duce quo loca ſola petivit
Hic venerandus Eremites, atque hac in arenâ
Victrici ſtygium dextrâ proſtraverat hoſtem.
Spiritus alme Dei, duce quo rurſum inde redivit,
Poſtquam ſigna ſui generis dedit inclyta, cœptis
Adſpira, velut ante, meis, & ſuggere carmen,
Quod ſine te reſonare nequit, perque ardua tutas,
Perque profunda vias facilis mihi pande volanti;
Verſibus herois ut pluſquam heroa recludam
Facta, licet tacitis nemorum patrata ſub umbris
Illa forent, nullique diu celebrata Poëtæ,
Ante diu meritis celebrari digna Camœnis.
Jam vox attonitas magni præconis in auras
Exierat, clangore tubæ vehementior altæ,
Nunc genus humanum lachrymis lugete profuſis

Crimina, nunc etenim regnum cœleste propinquat.
Undique finitimi tunc supplice mente coloni
Ad sacrum baptisma fluunt, quos sanctus Iesus,
Josephi sobolem quem credula fama ferebat,
Urbe sua egrediens pariter comitatur euntes
Obscurus, nulli notus, nullique notatus.
Sed baptista tamen monitus divinitus, illum
Majorem sese in medio latitare popello
Testificatus erat, cui munere cedere vellet;
Et cito quæ testatus erat, firmata fuerunt.
Nec voces caruêre fide, nam ut lotus ab undâ
Exiit, apparet medium discindere Cœlum;
Atque columbinæ latitans sub imagine formæ
Devolat, atque supra sacrum caput illius astat
Spiritus, & vox hæc magni genitoris ab ore
Insonat; hic natus meus est, animique voluptas
Deliciumque mei, semper mihi gaudia præbens.
Audiit hostis atrox vocem hanc, regna omnia mundi
Qui circumvolitans non ultimus adfuit illo
In cœtu, quem fama tubis celebraverat altis.
Vocis at ille Dei sonitu quasi fulminis ictu
Attonitus, tacitis hominem perlustrat ocellis,
Gloria tanta, Deo, cui, teste, adscripta fuisset.
Hunc stupet, obtutuque hæret defixus in uno:
Ac tandem invidiâ rabidâ furiisque tumescens
In sua regna redit, procerumque repentè suorum,
Nullam animo passus requiem, tunc ille vocavit
Concilium aërii media in penetralia regni,
Quæ latè umbra nigrans involvit, & undique circum
Nubila mille simul densis texêre tenebris;
Quos inter medius, vultu prodente dolorem,
Terroremque animi mœstis ita vocibus infit:
  Vos quibus imperio jus est frænare superbo
Aëriasque plagas, immensamque undique terram,
Nam magis aërii cordi est habitacula mundi
Quam Stygias memorare domos, inamabile regnum.

Quot genus humanum moriens orienſque peregit
Sæcula, tot, vaſti, ut noſtis, regna omnia mundi
Imperiis frænare datum eſt & ſubdere noſtris,
Ex quo fraude mea ſemel illaqueatus Adamus
Cum conſorte tori Paradiſi eſt limite pulſus.
Quamlibet ex illo ſemper mihi corda tremiſcant
Anxia, venturæ tempus metuentia plagæ;
Cum capiti infliget lethalia vulnera noſtro
Evæ progenitum præclarum è ſemine germen.
Longas interea magni regnator Olympi
Nexuit, ecce, moras; brevia huic longiſſima quæ ſunt
Tempora, ſed poſitæ ſpatiis æqualibus horæ
Circuiêre ſuos nimis ah! velociter orbes.
Flebile tempus adeſt etenim, quo ſæva ferendum eſt
Vulnera, ſi modo ferre licet, nec vertice tritô
Libertas pariter vireſque & vita peribunt.
In pulchro imperio hoc telluris & aëris, (eheu!
Nuncia dura fero) venturum è ſemine germen
Fæmineo, tandem peperit jam fæmina, cujus
Non vanos peperêre metus natalia nobis,
Ut primum exierat caſtæ genitricis ab alvo,
Sed nunc purpureæ vigeat cum in flore juventæ,
Viſque vigorque animi, virtus, ſapientia ſpirent
Grandia & alta, meos duplicatque augetque timores.
Illius adventum vates anteambulo cunctis
Prædicat, invitatque ſacris luſtrarier undis,
Ut dominum purum accipant cum pectore puro,
Aut potius regem ut merito dignentur honore,
Ablutis ſcelerum maculis & labe pudendâ.
Undique conveniunt pariter quos inter & ipſe
Sacratæ luſtratur aquæ tum flumine, non ut
Purior inde foret, maculis haud obvius ullis.
Verum ut ſigna ſui generis pater illius ingens
Tum manifeſta palam celſo demittat Olympo:
Ne dubitare dehinc quis ſit gens orbis in oris
Ulla locata queat: vidi illi aſſurgere vatem,

Vidi

Vidi etiam ſimulatque caput de flumine ſacro
Extulerat, vitreas Cœlum recludere portas
Deſuper aërias nubes, atque inde columbam
In caput illius celeri ſe ferre volatu,
Quodcunque illud erat tali ſub imagine viſum.
Audivique Dei venientem ex æthere vocem,
Filius hic dulcis meus eſt, mea magna voluptas.
Ergo eſt matre ſatus mortali, at patre perenni
Qui ſuper aſtra ſedet, qui res hominumq; Deûmque
Æternis regit imperiis, & fulmine terret.
Quo non ille ſuum natum cumulabit honore?
Hic proles eſt prima Dei; benè novimus illud:
Novimus & quanto cum turbine fulmina patris
Projiciens, nos in ſtygii vada nigra Barathri
Compulerit celerare fugam; quiſnam ergo ſit ille
Diſcendum eſt; etenim vultu formâque decorâ
Eſſe videtur homo, tamen ipſa in fronte paterna
Gloria diffundit radios, & fulgura jactat.
Ecce, videtis, adeſt magni gravis hora pericli,
Nec patitur dubitare diu: mox ergo ferendum eſt
Auxilium, non vis, ſed fraus laqueique doloſi.
Ante caput mediis quam in gentibus ille ſupremum
Extulerit Rex, duxque ſimul latè omnibus unus.
Ipſe ego, nemo alius cum ſeſe offerre periclis
Auderet, tum ſolus iter tam triſte peregi,
Ut ſubito exitio rueret ſubverſus Adamus,
Nec mea ſucceſſu caruêre incœpta petito.
At nunc noſtra ratis vento meliore feretur,
Et quia cœpta ſemel ceſſerunt proſpera, rurſus
Propoſitum tactura ſcopum ſperare licebit.
Dixit, at his ſtygii plebs lamentabilis Orci
Vocibus obſtupuit, trepidaſque hæc nuncia mentes
Triſtia perculerant: ſed tunc mora nulla ſinebat
Indulgere ſuis lachrymis, trepidoque timori.
Unanimes uno ore volunt ut fortiter ipſe
Hoc ferat unus onus, peragratq; hoc nobile cœptum.

Cætera cui subsunt stygii moderamina regni,
Qui tam fœlici miserum est aggressus Adamum
Omine, cumque suo cunctos genitore nepotes,
Quot Sol cunque oriens, mediúsve cadénsve videbat,
Excidio simul atque semel destruxerat uno :
Atque viam è picei tenebris patefecit Averni
Dæmonibus, dulci ut degant in lumine reges,
Jura, magistratusque, throni ; quin Dii quoq; magni
Multarum latè regionum hinc inde patentum.
Ergo tendit iter liquidi Jordanis ad undas,
Dira volubilibus circumdatus inguina monstris
Hunc hominem reperire hominum, præconia cui sunt
Tot data, quem natum magni sibi rector Olympi
Vendicat, ut variis trahit illum in retia technis,
Utque illi paret exitium, quem jure ruinam
Credidit esse sibi pariturum, & sede vetustâ
Terreni imperii, quam tot tenuêre per annos,
Jussurum in stygias iterum remeare tenebras.
Inscius ille tamen decreta perennia complet
Regis Cœlituum, qui, circumstante catervâ
Flammiferâ, ridens Gabrieli his vocibus infit :
 Nunc manifesta dabo, Gabriel, tibi pignora veri,
Angelicique chori cunctis, quot ubique per orbem
Humanum mea jussa alacres præstare solebant.
Nunc rata dicta, tuo quæ virgo audivit ab ore,
Efficiam, cum tu Galilææ in vallibus imis
Vaticinatus eras illi fore nobile germen,
Cui tum digna dabunt meritæ præconia famæ,
Filius atque Dei dicetur nomine vero :
Tum quoque dixisti dubitanti quomodo posset
Illa carente viro proles in virgine nasci,
Esse superventurum illi venerabile flamen
Numinis ætherii, & magni rectoris Olympi
Robur obumbraturum illam : jam hoc nobile germen
Quem tandem firmata virum nunc efficit ætas,
Expono Satanæ furiis ; hunc tentet & omnem

Admoveat fraudem atque dolum, queis ſe ille catervæ
Jactat Apoſtaticæ : poterat didiciſſe profecto
Verba minora loqui à ſancto devictus Iöbo,
Quem nullis ferus iſte dolis quaſſare valebit.
Jam ſciet ille hominem, me autore, à ſemine naſci
Fæmineo, cui major adeſt cum robore virtus,
Queis ejus queat aſſultus eludere cunctos,
Ac robur tandem omne ſimul vireſque ſuperbas :
Rurſus & in Stygii tenebras depellet averni.
Victricique manu referet poſt nobile bellum
Tot ſpolia & tam pulchra ſimul, quæ fraude maligna
Primus homo circumventus malè perdidit olim.
Ille tamen primum deſerta per arida ſolus
Exercendus erit ; campo tentabit in illo
Prima rudimenta & ſævi præludia belli :
Ante in bella meo quam numine miſſus abibit,
Victriceſque manus atrocibus ille duobus
Hoſtibus injiciet ; ſævoſque ferendo dolores
Peccato mortique gravem dabit ille ruinam.
Debilitate ſuâ Satanææ robora dextræ,
Et pecatricis numeroſa tot agmina carnis,
Quotquot ubique ſuo percurrit lumine Titan,
Vincet, agetque hilares poſt prælia ſæva triumphos,
Ut gens cœlituum, virtutumque alta colentum
Templa poli jam nunc, hominū quoq; poſtmodo proles
Noſſe queant, quam vaſta hujus mirandaque virtus
Eſt hominis, proles merito qui noſtra vocatur,
Unum quem ex aliis prudenter ſeligo cunctis,
Genti hominum ut vitam redimat, reparetq; ſalutem.
Sic ait æternus genitor : paulum omnis Olympi
Attonitus ſtat cœtus, at inde erupit in hymnos,
Exultantque alacres pariter, ducuntque choræas,
Circumeuntque thronum citharis & carmine vocum ;
Atque hoc hujus erat tum carminis argumentum :
Jam natum celebrate Dei, celebrate triumphis
Qui nunc, ecce, ſubit ſævi diſcrimina belli,

Belli, ſanguineo quod non pugna aſpera flictu
Perficiet, ſed ſacra dolos ſapientia vincens:
Nam pater ipſe ſui bene novit robora nati;
Hinc ſecurus eum ſævis conflictibus offert.
Et licet intentatus adhuc, à patre jubetur
Omnibus adverſis occurrere, quicquid in illum
Sive animis ſive arte valet vis omnis Averni;
Quicquid amoris habet flammas, generátve timorem,
Occultéve poteſt tacitas inferre ruinas:
Tartarei ergo doli Stygiæque faceſſite fraudes,
Atque perite ſimul diræ commenta Gehennæ.
Hos ſuper aſtra modos lætæ cecinêre choræ.
Interea ille Dei venerandus filius alti,
Qui Bethbaræ aliquot luces tranſegit, ubi undæ
Sanctus Joannes peragit purgamina ſacræ,
Jam meditans ſecumque alto ſub corde volutans
Qua ratione, quibúſve modis venerabile primum
Aggrediatur opus, quo diri à faucibus orci
Humanam eripiat ſobolem, vitamque reducat,
Quoque modo incipiat divino munere fungi?
Quodam fortè die ſolus loca ſola pererrat,
Spiritus huic ſanctus ductor fuit, atque refugit
Occurſus hominum, ut ſecum ſine teſte loquatur,
Atque profunda animi tacitè conſulta revolvat.
Procedit meditando animus, procedit eundo
Planta, nemus donec tenebroſum horrentibus umbris
Ingreditur, ſcopuliſque hinc atque hinc cingitur altis,
Atque hæc ſecum animo volvit taciturnus in alto:
Quot rerum ſimul atque ſemel jam examine vaſto
Turba animo ingeritur variâ ſub imagine noſtro?
Dum reputo, qualis mihi tangor & audior intus,
Et quæ ſæpe meas multum diverſa per aures
Exteriora ſonant animo tam diſſona noſtro.
Donec adhuc puer ipſe fui, puerilia ſprevi,
Menſque accenſa fuit vehementi ardore ſciendi,
Diſcendique quibus poſſem rationibus uſquam

Communi prodesse bono : me ad talia natum
Credideram, ut veri fierem rectique patronus,
Ante annos, animumque gerens, curamque virilem.
Legem sæpe Dei noctesque diesque revolvi,
Dulcis & illa mihi fuit, & mea sola voluptas.
Ac tantus mihi factus erat progressus in illa,
Ut vixdum exacto volvendis mensibus anno
Bisseno sacram in festis solennibus ædem
Ingrederer legum cupiens audire peritos,
Aut rogitare etiam, quæ, si benè nota fuissent,
Vel nostro, vel eorum animo superaddere possent
Divitias ; omnesque meum mirantur acumen.
At non hoc tamen omne fuit, quo præmia laudum
Promerui, mens alta sapit, mens ardua spirat.
Aut pugnam, aut aliquid jamdudum invadere magnum
Mens agitat mihi, nec placidâ contenta quiete est.
Nunc avet Isacidûm collo juga sæva tyranni
Romani excutere, & nunc sæva tyrannidis arma
Frangere, crudelesque manus domitare per orbem,
Ut redeat pietas iterum, terrasque revisat
Candor, & alma fides ruptis jam libera vinclis.
Sed magis humanum magis & cœleste putavi
Impia corda prius blandis inflectere verbis,
Atque timoris opus dulci præstare loquelà,
Aut saltem tentare, animumque, in devia tractus
Qui non sponte fuit, pulsus lustrare tenebris,
Atque præire viam, & solos domitare rebelles.
Hæc animi consulta mei, quandoque loquelis
Quæ fuerant percepta meis, sanctissima mater
Observans animo tacitè lætatur, & his me
Vocibus aggreditur solum sine teste relictum.
Alta animi consulta tui sunt, optime fili ;
Quin age, perge animo moliri talia vasto,
Scandat & alta petat, semper sublimia tentans
Hæc virtus tua sacra, puer, jure omnia vincas
Quicquid ubique refert totum vaga fama per orbem :
Exi-

Eximia eximium prodant tua facta parentem,
Namque haud natus eras mortali femine, quamvis
Te reputent homines humili de ſtirpe creatum,
Namque tuus genitor rex eſt æternus, Olympum,
Terramque,Angelicoſq; choros,homineſq; gubernans.
Nuncius ante ſacer, Cœlo demiſſus ab alto,
Te fore concipiendum in noſtrâ virginis alvo
Vaticinatus erat, nec non te in Davidis alto
Seſſurum ſolio, ſpatiis nec temporis ullis
Includenda tui dixit moderamina regni.
Te nato, angelicæ in campis cecinêre choræ
Bethlemæ, atque illos pecorum audivêre magiſtri,
Dum pecore in medio inſomnes egêre tenebras.
Meſſiam his illi referunt hoc tempore natum,
Atque ubi natus erat, referunt, ubi cernere poſſent.
Hique repentè abeunt, atque in præſæpe feruntur,
Hoſpitium, mi nate, tuum : quia tota taberna
Hoſpitibus repleta fuit, nos pellimur illuc.
Illuc ſydereis non antehac miſta catervis
Splendida ſtella magos à terrâ duxit Eöâ,
Ut tibi myrrham aurumq; darent cum thure Sabæo ;
Hac præeunte, locum, ſtella, invenêre petitum,
Quam ſtellam dixêre tuam, quia nuper in alto
Extulit ora polo, natumque hac indice regem
Te nôrant ; juſtus Simeon atque Anna prophetis
Numinis admonitu, ſancti ſacraria templi
Ingrediuntur, & hic læto te lumine cernunt,
Et ſacram ante aram, ſpectante Antiſtite, cunctis
Qui tum præſto aderant, de te quoque talia narrant.
Hæc ſimul audieram, legem atque prophetica ſcripta
Perſcrutatus eram, & cupidè rimatus in illis
De Chriſto quæ dicta forent, quem ex parte ſciebant
Juridici Iſacidûm, meque illum hunc eſſe repentè
Deprendi, & certis poteram dignoſcere ſignis.
Hoc tamen imprimis iteratum hoc ſæpe relegi ;
Quod peragranda mihi eſt denſis via cincta periclis,

Ac ſubeunda etiam nigræ fera regia mortis,
Ante mihi ætherii quam fiat copia regni,
Quod mihi ſpondebant vates uno ore vetuſti.
Ante etiam humanum quam poſſim à faucibus orci
Eripuiſſe genus, quorum ſcelera omnia noſtrum
Sunt pariter preſſura caput, ſed pectore firmo
Intrepidus maneo, & prædictam interritus horam
Opperior; jamque, ecce, venit baptiſta priorum
Priſtina quem vatum dixêre oracula, dudum
Cognitus ante mihi, noſtris quam viſus ocellis,
Qui venturus erat vates anteambulo Chriſti
Magnus, ut ille viam, domino veniente, pararet.
Haud ſecus atque alii baptiſma illius adivi,
Quod perſuaſus eram Cœlo veniſſe, ſed ille
Protinus agnoſcit, clamans & murmure vaſto
Me me illum eſſe refert, cujus prænuncius ipſe
Et præcurſor erat, nam cœlitus audiit illud,
Atque ideo luſtrare ſacris me noluit undis
Quod ſe major eram; vix tum dedit ille coactas
Utilitate manus: ego vero ut flumine ſacro
Emerſi, æternas Cœli mihi regia portas
Explicat, & niveæ vultu formâque columbæ
Deſcendit, ſupraque caput mihi ſpiritus aſtat:
Deinde etiam reliquis ſignis ſuperaddita noſtri
Vox manifeſta patris magno deſcendit Olympo;
Vox manifeſta patris natum me dixerat illum,
Illum dilectum, quo delectatur in uno.
Hinc ego perſpicio perfectum temporis orbem
Quo mihi non liceat cæcis latitare tenebris
Ulterius, ſed ſigna palam jam prodere mundo
Officii manifeſta mei, quod ab æthere ductum eſt.
Jamque animo ſtimulante meo in deſerta ferarum
Obſeſſa arboribus circum atque horrentibus umbris
Abripior, ſed cauſa latet cur attrahar illuc.
Forte haud ſcire opus eſt, nam quod mihi ſcire neceſſe
Judicat eſſe Deus, mihi detegit, atque revelat.

Matutina oriens has, voces ſtella profudit,
Et circumſpiciens, loca ſola aſpexit, ubi ante
Nulla hominum tritum monſtrant veſtigia callem,
Arboreis obducta comis nemorumque tenebris.
Quodque viam, quam emenſus erat, non ille notavit,
Difficilis regreſſus erat, non tritus ab ullo.
Cœptum pergit iter deſerta per arida, verum
Præterita & ventura alto ſub corde revolvens,
Concomitatus erat melius, dum ſolus oberrat
Quam ſi mille ſimul ſociis circumdatus eſſet.
Dena quater Phœbe poſitâque & luce reſumpta
Vidit arenivagi ſola hic veſtigia Chriſti.
An tamen interdum ſuper alta cacumina montis
Exſpatiatus erat, nonnunquam in valle profundâ,
Noctibus an quercus annoſæ tectus in umbra,
Aut cedri alticomæ jacuit, roremque cadentem
Fugit, an ille cavo requiem carpebat in antro,
Sacra oracla ſilent; non ullam hoc attigit eſcam
Tempore; nulla fames hoc illum tempore preſſit.
Poſtquam hi præteriêre dies, hunc ardor edendi
Tum primum ſtimulis agitare incœpit acutis
Sylvicolûm in mediis gregibus, quæ hoc undique viſo
Manſuevêre, trucemque animi poſuêre furorem.
Nec vigilem hunc turbare volunt, ſomnóve jacentem.
Illum incedentem fugit draco flammeus, illum
Noxius effugit vermis, trepidique leones,
Et pavidæ tigres diſtantia lumina volvunt.
Tum vero, ecce, ſenem, quem texit ruſtica veſtis,
(Errabunda vagæ pecudis veſtigia viſus
Tunc erat ille ſequi, aut velle arida cogere ligna,
Frigora queis gelidæ depellat atrocia brumæ,
Cum redit ex agro madidus ſub veſpere nigro)
Reſpicit inſtantem tergo & propiora tenentem,
Qui primum illum oculis avidè perluſtrat acutis,
Dein ita fatus erat, rupitque ſilentia verbis:
Vir præclare, tuos quæ fata improſpera greſſus

Huc tulerant, ubi nulla hominum veſtigia tritam
Signavêre viam, denſis qui incedere turmis
Per deſerta ſolent? nemo huc qui venerat, unquam
Hinc rediit, ſi ſolus erat, comitumque catervis
Submotus, ſed membra ſolo proſtrata reliquit,
Uſta ſiti, diræque famis tranſacta veruto.
Hoc ideo magis inquiro, dubiuſque ſtupeſco,
Cum videare mihi vir, quem ſacra luſtrica vates
Qui novus exercet, tanto dignatus honore eſt
Ad vada Jordanis; natumque vocaverat alti
Te tunc ille Dei: vidi, audivique; etenim nos,
Arida qui colimus deſerta, aliquando ſolemus
Viſere rura urbeſque, fame ſtimulante, propinquas.
(Proxima ſunt longinqua tamen) qua plurima narrat
Undique fama loquax, avidéque audire ſolemus
Siqua nova eveniunt; fama & vaga pervenit ad nos.
Filius ergo Dei regerit, qui huc duxerat, ille
Hinc quoq; me referet, non dux mihi poſcitur alter.
Hoc per miraclum potis eſt, ait incola ruris,
Non ratione aliâ, quantum mihi cernere fas eſt.
Nam victum hic nobis baccas, lapidoſaque corna
Dant rami & vulſis paſcunt radicibus herbæ.
Aſſuetique ſitim ſumus hic tolerare camelis
Longius, & nobis miſeris peragrare neceſſè eſt
Magnum iter, ut liquidas potemus fluminis undas.
Namque genus durum ſumus, experienſque laborum,
Et documenta damus, qua ſimus origine nati.
Si tamen ille Dei ſis filius, his tibi panem
E ſaxis fieri jubeas; ſic ſpicula ſævæ
Tu tibi acuta famis pelles, alimentaque nobis
Sufficies, queis nos miſeri vix veſcimur unquam.
Dixit; at huic iterum proles divina regeſſit:
Tantam igitur vim nudus habet, te judice, panis?
Nonne (etenim qui ſis video, ſub imagine falsâ
Ut lateas) ſacris extant hæc ſcripta libellis;
Non hominem tantum cerealia munera paſcunt,
Sed

Sed ſacro ore Dei quæcunque fluentia verba,
Qui noſtros proävos cœleſti hoc pane refecit.
Vicenos totidemque dies in culmine montis
Abſtinuit lymphæ atque cibi fulcimine Moſes.
Vicenos totidemque dies hæc arida teſqua
Elias peragrans jejuno ventre peregit,
Ipſe eadem hæc etiam totidem nunc erro diebus.
Tune mihi ſuadere potes, nequiſſime, magni
Indubitare Dei auxilio, certoque favori,
Notus ego cum ſim tibi, tu quoque ſis mihi notus.
Talibus ergo iterum ſtygii rex dirus Averni
Perſona abjecta tum rettulit: ut tibi verum
Confitear, certè infœlix ſum ſpiritus ille,
Qui cum aliis Lybicas numero ſuperantibus undas
Intulimus regi Superûm fera bella minaces,
Corde furente odiis, primâ ſtatione relictâ,
Sed pariter fuimus divini fulminis ictu
Detruſi in ſtygium ſuperâ de ſede profundum.
Non tamen has ſine ſole domos, loca turbida ſemper
Nos habitare jubet: ſed carcere ſæpe relicto
Libertas mihi larga datur circumdare Terram,
Aëriiſque errare plagis, nec limen Olympi,
Sydereæque domus ſemper mihi janua clauſa eſt.
Inter divinos tuleram veſtigia natos,
Cum Deus Uzzæum noſtro permiſit Iobum
Arbitrio, ut fieret virtus manifeſta probando.
Tunc quoque cum Angelicæ medius radiantia turbæ
Agmina quondam affatus erat regnator Olympi,
Ecquis io veſtrum tumefacti pectus Achabi
Attrahet in laqueos, ut jam in regione Ramothæ
Labatur, meritaſque luat pro crimine pœnas.
Ipſe hoc munus ego, reliquis dubitantibus, unus
Suſcepi, & ſtolidos mendaci voce prophetas
Imbueram, inque ſuum blandæ dulcedine linguæ
Hunc traxi exitium, & mihi quæ mandata, peregi.
Quod jubet, hoc facio: nam quamvis facta decoris

Nativi jactura mihi eſt, ſplendorque refugit
Dimidiâ plus parte vetus, nec numinis alti
Priſtinus ille favor remanet, nec amamur ab illo
Amplius aſt adamare tamen mihi reſtat, & illud
Mirari & cupidis ſpeculari reſtat ocellis, (retur.
Quod pulchrum, atq; bonum eſt uſquam, laudemq; me-
Aut mea pœna aliter ſenſum mihi tolleret omnem.
Quid minus ergo queam cupidis depoſcere votis,
Quam te oculis ſpectare meis, propiuſque tueri,
Quem natum eſſe Dei ſignis didici manifeſtis,
Ut vocem aure bibam ſapienti ex ore fluentem:
Factaque clara tuæ videam, Cœlo edite, dextræ?
Me plerique homines humani ſanguinis hoſtem
Eſſe putant, ſed cur eſſem? namque hi mihi nullum
Damnum unquā intulerant, nec noxam autoribus illis
Ullam paſſus eram: nec perdere cauſa fuerunt
Hæc quæ perdideram: potiuſque acquiro per illos
Quicquid abhinc lucratus eram: ſociaſque per orbem
Terrarum cum gente hominum nunc incolo ſedes,
Si non imperito: ſæpe his ego porrigo dextram,
Sæpe his conſilium præſagis ſuggero ſignis.
Reſponſa his quoque do, portenta, oracula, ſomnos
Fatidicos, queis multa fugent incommoda vitæ.
Me tamen invidiâ moliri talia dicunt,
Hos mecum ut pœnæ ſocios ego jungere poſſim,
Participeſque meæ faciam ſine fine ruinæ.
Hæc, fateor, primis fuerat mea cura diebus,
Ante inflicta mei ſceleris quam pœna fuiſſet.
Sed nunc me triſtis docet experientia luctum
Haud ſocios minuiſſe meum comiteſque malorum,
Nec minima noſtros relevaſſe ex parte dolores.
Exigua ergo forent homines ſolatia juncti. (mus?)
Sed tamen hæc magna eſt (quid enim manifeſta nege-
Cauſa dolendi hominem ſcelerata in crimina lapſum
Lapſum hominem antiquas iterum reparare ruinas,
At mihi nulla ſubeſt primævæ ſpecula vitæ.

Cui

Cui tum ſic noſtri generis torvo ore redemptor
Reddidit ; haud præter meritum tibi cauſa dolendi eſt
Uſque à principio fraudum ſcelerate repertor.
Mendax ſemper eras, mendaxque manebis in ævum
Qui jactas Stygiâ ſolvi te à ſede, tibique
Limina ſyderei radiata pateſcere Cœli.
Huc aliquando venis, fateor, ſed colla catenis
Captivus devinctus uti ſi quando reviſat,
De quo extruſus erat, ſolium ſedemque verendam,
Exul, inops, nulli miſerabilis, undique cunctis
Spretus, & inviſis cunctorum expoſtus ocellis,
Ludibrii & miſeræ ſpectaculum triſte ruinæ
Omnibus ætherias habitantibus undique ſedes.
Et locus hic fœlix, ubi tot ſunt gaudia, nec te
Fœlicem lætúmve facit : quin magna querelis
Nutrimenta tuis, miſeriſque doloribus addit.
Ante oculos monſtrando tuos, quæ gaudia quondam
Ipſe potitus eras, tibi non reparanda per ævum.
In ſtyge tu nunquam magis es, quam illatus Olympo.
Ten' jactare tuis magno ſervire tonanti
Officiis ? Servíſne Deo, cum talia præſtas ;
Si timor aut ſi te lædendi dira libido
Incitat ? innocuum quæ cauſa coëgit Iobum
Tum falſis onerare probris ; niſi turgida ſævis
Mens odiis ? & poſt variis affligere plagis,
Quas tuus inflixit furor, at patientia vicit
Illius, aſſultuſque tuos reddebat inanes.
Alterum & officium jactas feciſſe libenter ;
Quum tu centenas medacia fundere linguas
Impuleras ; alimenta tibi mendacia præbent.
Vera tamen jactas : oracula ſcilicet à te
Sunt data per gentes ; quid verius eſſe putabant ?
Hæc tibi fraus conſueta fuit, mendacia veris
Admiſcendo, fidem falſis acquirere dictis.
Quid reſponſa tamen fuerant tua ? quid niſi vocum
Ambages

Ambages sensu ambiguo, tenebrosaque dicta,
Aut raro aut nunquam intellecta rogantibus, atqui
Intellecta nisi hæc fuerant, quid nota juvabant?
Ante aras responsa tuas quicunque petivit,
Quis rediit unquam sapientior, aut bene doctus
Quid faciat, fugiátve, tibi dum consulit? Ecquid
Non citius sibi fata tulit, celeremque ruinam?
Jure etenim omnipotens patitur te fallere gentes
Fraude doloque tuo: jure, ex quo idola colebant.
Huic ubicunque libet populis decreta profanis
Pandere, consiliumque suum prædicere: verum
Unde tibi prænosse datur, nisi cœlitus illud
Accipias, monstrante Deo, vel queis Deus orbis
Imperium, gentesque dedit frænare, ministris
Flammiferis? ipsi tua templa accedere quando
Dedecus esse putant, ideo tibi singula dicunt
Quæ referas: hæc tu pavidus dictata tremensque
Accipis, aut blando parasiti more salutans.
Tu tamen ipse tibi venturum noscere verum
Adscribis, falsosque tibi deposcis honores.
Verum hæc jam subitis tua gloria vana tenebris
Condetur, nunquamque iterum tibi fallere gentes
Oraclis dabitur, jam isthinc oracula cessant.
Nec tibi ridiculis pompis, vanisque hecatombis
Post iterum delphis, alibíve litabitur unquam.
Aut frustra tua sacra colent, mutusque manebis.
Jam Deus oraclum vivum demisit Olympo,
Jura voluntatemque suam præscribere mundo.
Spiritum & ipse suum demisit, ut ille piorum
Pectora sancta habitet interna oracla ministrans,
Cordis & illustrans penetralia lumine puro,
Veraque cuncta docens, homini quæ scire necesse est.
Sic ait alma salus hominum, sed subdolus iste
Spiritus, invidiæ stimulis agitatus amaris
Quamlibet intus erat tacito sub corde, furorem
Dissimu-

Dissimulat, blandoque iterum sermone regessit.
Increpitas certè graviter, scelerataque facta
Objectas non sponte mihi patrata, sed ex me
Innumeris extorta malis, quibus undique cingor;
Quorum nulla mihi est requies; ecquando videbas
Illum, qui miser est, recti servare tenorem
Perpetuo, nec sæpe abscedere tramite veri,
Si ratio utilitatis eum mendacia cogat
Fingere, & affirmare eademque negare vicissim,
Et verbis simulare, & dissimulare dolosis,
Atque aptare suam diræ ad perjuria linguam.
Ast ego suppositus tibi sum, te jure libenter
Agnosco dominum esse meum: me jurgia servum
Hinc tua ferre decet bene, quod non acrius urges:
Veri dura via est gradienti & plena salebris:
Illam at suaviloquis dulce est efferre loquelis,
Auribus & jucunda sonat, tam dulcia non sunt
Carmina, quæ pastor siculâ modulatur avenâ.
Quid mirum est igitur, si sit mi audire voluptas
Illius dictata tuo ore fluentia sacro?
Maxima pars hominum virtutem laudibus ornant,
Quamlibet illius minimè præcepta sequantur,
Ergo audire mihi veniam nunc, oro, libenter
Concedas venienti, (etenim nemo advenit alter)
Atque loqui, quamvis spes hinc mihi nulla resurgat,
Nam tuus ille pater, sanctusque, & crimine purus,
Et sapiens falsâ pietatis imagine tectos,
Atque sacerdotes atheos sacraria templi
Permittit calcare sui, atque altaria circum
Sacra ministeriis fungi, & res tangere sacras.
Votaque suscipere, atque preces effundere. Vocem
Indidit ille suam scelerato nempe Balamo,
Qui tamen afflatus divino est numine vates.
Accessus ne, quæso, mihi nunc abnue tales.
Olli sedato respondit corde redemptor

Non

Non ego nunc aditus, quanquã hæc mihi fraus tua nota
Mando vetóve tuos, quantum rex ætheris alti (eſt;
Fas facit eſſe tibi, facias, nil tu potes ultra.
Nec plura addiderat. Tum ficto pectore curvat
Canitiem Satanas, tenueſque receſſit in auras.
Nam nunc obſcuras nox atra expandere pennas
Cœperat, atque nigras nemorum geminare tenebras,
Condiderantque ſuis volucres ſua corpora nidis.
Cœpit & occultis prædatrix turva cavernis
Exire, & loca ſola vago tranſmittere greſſu.

Finis Libri Primi.

Para-

Paradisus Recuperatus.

Liber Secundus.

INterea qui nuper erant baptiſmate ſacro
Luſtrati, ſanctoque ſimul cum antiſtite juncti
Ad Jordanis adhuc liquidi vada lenta manebant;
Quorum oculis viſus fuerat, qui eſt nomine dictus
Meſſias, natum eſſe Deum quem dixit ab alti
Arce poli omnipotens, & in illum pectore firmo
Crediderant, illi quia gloria tanta decuſque
Tanto à teſte datum eſt: alternaruntque loquelas
Huic ſocias, atque hunc atque hos domus una recepit.
Andræas Simeon, alii quoque, nomina quorum
Sacra oracla ſilent; poſtquam hunc ſua gaudia, nuper
Tantum inventa, vident abiiſſe, ah gaudia nuper
Inventa, in vacuos cito ſed fugientia ventos.
Ambiguo nutant animo, multiſque labantes
Ambiguo pergunt animo nutare diebus,
Increſcitque metus numero creſcente dierum
Interdum reputant illum ſe oſtendere mundo
Sic primum voluiſſe, iterumque ad ſydera raptum,
Quondam ut montis erat ſuper ardua culmina Moſes
Raptus, & haud paucis aberat tunc ille diebus,
Ac Thisbita velut flammantibus aſtra quadrigis
Abreptus petiit rurſum rediturus in orbem.
Atque ideo juvenum veluti turba inſcia vatum
Eliam vano ſtudio petiêre latentem:
Haud aliter vano hunc ſtudio petiêre propinqua

Per

Per loca Bethabaræ, & latis Jerichuntis in arvis
Palmiferæ, priscis Solymis, Ænone, Machæri,
Et cunctas lustrant urbes atque oppida circùm,
Gennesaretæi vada citra ingentia stagni;
Lustrant & Peream, sed erat labor irritus omnis,
Et doluêre suum reduces periisse laborem,
Tum piscatores humili de stirpe creati
Ad Jordanis aquas, ubi plurima sibilat arbor,
Et densa aërii strident in arundine venti,
Pauperis in tugurî congesto cespite tecto
Conventi, pariter miseris inopina querelis
Damna dolent, mœstoque trahunt à pectore vocem.
Heu! spes ingentes animo modo fovimus alto,
Nunc clades inopina trahit, mergitque barathro.
Nuper enim est nostris Christus conspectus ocellis,
Spes patrum, ille recens Cœlo descendit ab alto.
Traximus aure sonos illius ab ore fluentes.
Ejus in eximio vultu sapientia, verum,
Ætheriusque decor miro splendore refulsit.
Sic igitur lætis animis modo diximus: ecce,
Jam venit alma salus, genti jam sceptra redibunt
Isacidûm: spes hæc peperit temeraria magnam
Lætitiam, at subito mutantur gaudia luctu.
Nam quo nunc abiit? quæ sors mala sustulit illum?
An latebras, postquam nobis sese ille videndum
Exhibuit, rursum repetet? cogetque labantem
Spem lentâ trepidare morâ? Deus optime gentis
Isacidûm jam emitte tuum, Deus optime, Christum:
Nam nunc tempus adest. En qui terrena gubernant
Sceptra tuum indomiti populum pressêre tyranni.
Nonne vides, quanto tumidi se robore jactant,
Sub pedibusque tuum calcant venerabile nomen,
Surge, tuumque decus validâ nunc assere dextrâ,
Et juga ab Isacidûm collo excute sæva tuorum.
Nos tamen expectare decet: nam multa peregit
Jam Deus: ille suum demisit ab æthere Christum.
Et

Et nobis hunc noſſe dedit, nam nobilis illum
Monſtravit digito vates, illique loquelas
Contulimus ſocias; ergo lætemur, & omnis
Aufugiat pavor atque metus, ſpes vivida mentes
Excitet, inque Deum fiducia noſtra recumbat.
Non nos deſtituet miſeros, non ſubtrahet illum,
Nec revocans, vanâ nos ejus imagine ludit.
Gaudia noſtra citò, noſtræ ſpes una ſalutis
Eſt reditura, licet tenebris jam clauſa tegatur.
Sic ſpes è mediis oritur rediviva querelis
Hunc reperire iterum, quoniam fuit ante repertus,
Quam quæſitus erat; Marie ſed ſancta, beata
Illius genitrix, alios poſt luſtrica ſacra
Cum rediiſſe videt, ſed non rediiſſe ſacratam
Progeniem videt illa ſuam, nec lenta manere
Ad vada Jordanis, nec, ubi foret, audiit uſquam:
Pectore pura licet, licet & tranquilla fuiſſet,
Maternos alit illa metus, alit illa dolores,
Quos ita cum mœſto gemitu, lachrymiſque profudit:
Quid juvat hic inſignis honos è numine ſacro
Concepiſſe? quid hanc juvat audiviſſe ſalutem?
Salve grata Deo, muliebris gloria ſexus.
Non dolor atq; timor minor eſt mihi,quamlibet omnē
Fæmineum longè ſuperet mea gloria ſexum.
Filius ortus erat, cum vix quæ frigora nobis
Pelleret, umbra foret, ſtabulum mihi lectus & illi
Cuna laboriferi fuerat præſepe juvenci.
Pellimur inde tamen ſubitò, Phariâque latemus
In regione, ferox donec rex occidit, ejus
Qui vitæ inſidiatus erat, plateaſque cruore
Infantum innocuo, ſtimulante furore, replevit.
Tum demum à Phariis iterum remeavimus oris,
Et Nazarethæ multos habitavimus annos.
Hic vitam tenebris taciturnam duxit in imis,
Nec regum timor ille fuit. Sed quando virilem
Ætatem attigerat, tum notus & agnitus ille eſt

A lotore ſacro, (ſic fama eſt) undique vulgi
Innumerâ latè medium congente caterva,
Ætheriique patris vox æthere miſſa vocavit
Hunc natum: altus honos, tum dixi, protinus inſtat,
Inſtat honos, magnumque aliquid præſtabit; at ecce
Cura, dolorque venit, Simeon velut obſitus ævo
Veridico ore mihi cecinit, quod nempe ruinæ
Multos ille daturus erat, multiſque ſaluti
Ille futurus erat genitis de ſtirpe Jacobi.
Hunc quoque prædixit ſignum fore ſæpe petitum
Obloquiis, noſtramque etiam ſimul ipſius eſſe
Perfodiendam animam gladio: ſors hæc mea fœlix,
Evehor ut patiar ſævi tormenta doloris.
Ergo dolere mihi licet & tamen eſſe beatæ.
Hoc ego nil dubito, nec inanes fundo querelas.
Aſt ubi nunc trahit ille moras? nunc mente revolvit
Grande aliquid clauſus tenebris & carcere cæco.
Alter ab undecimo vix illum cœperat annus;
Amiſi hunc, reperique iterum, ſenſique repertum
Haudquaquam ſeſe poſſe illum amittere, patris
Dum peragit mandata ſui: velut ore locutus
Tunc erat ipſe mihi: volvebam hæc mente profundâ
Quid ſibi verba velint, quæ poſt manifeſta patebant,
Nunc quoque certè igitur tacitis ſecluſus in umbris
Grande aliquid ſub corde agitat, ſecumque volutat,
Spes vero in longum ſolitum eſt mihi ducere lentas,
Verbaque reſque animo perſæpe recondere noſtro,
Omina mira mihi ſortis præſaga futuræ.
Sic Maria inſiſtit, ſecumque ita corde volutat.
Cunctaque quæ obtigerant animo revocaverat, ex quo
Prima ſalus ſibi dicta fuit, prædicta ſerena
Mente agitans, tacitoque fovet ſpem pectore lætam.
Filius interea, comitanti nemine, greſſum
Fertque refertque cavæ per opaca ſilentia ſylvæ:
Solus erat, comitante tamen dulcedine rerum,
Quas ſecum tacitè recolit, ſeque intrat in ipſum,

Pro-

Propositique operis se totus imagine replet;
Quomodo susciperet, susceptum quomodo fausto
Omine opus, terræ propter quod missus in orbem est,
Perficeret; nam nunc Satanas discesserat, (at mox
Post rediturus erat) paulumque reliquerat illum,
Corripuitque fugam subitam penetralia regni
In media aërii, densis obsessa tenebris,
Sedit ubi procerum series numerosa suorum,
Atque ibi nulla animi manifestans pignora læti
Talia voce refert, vultu prodente dolorem.
O proceres, quondam ætherii gens incola regni,
Ætheriisque locata thronis, nunc dæmones autem
Atque potestates, prout fors sua quemque locavit,
Aëris, ignis, aquæ potius, terræque vocandi,
Si tamen has ipsas sedes retinere licebit
Non ullo turbante metu, trepidoque tumultu.
Nunc etenim nostro capiti novus imminet hostis;
Qui nos tartareas iterum detrudere in umbras,
Infernique lacus nigrantia regna minatur.
Ipse ego solus ego huic oneri mea terga tremendo
Supposui, atque humeros, dum cætera turba meorum
Assensu mea facta probant, sine parte laboris
Hunc ego deprendi, hunc lustravi lumine fixo.
Grandius urget opus, quam cum congressus Adamo
Primo homini fueram, quanquam ipse perivit Adamus
Uxore in laqueos illum alliciente dolosos.
Hoc tamen ille viro minor est, si forsitan est fas
Hunc vocitare virum, quoniam genitricis in alvo
Parte sui conclusus erat; quem dotibus amplis,
Humanumque genus longè superantibus alti
Gratia magna poli decoravit, & indidit illi
Ingeniumque capax, animumque ad grandia pronum.
Idcirco redii ut cito spem præcidere vanam
Discatis, fore uti similis fortuna sequatur
Me quoq; nunc, velut in Paradisi mœnibus Evam
Quando aggressus eram; quin promti attendite cuncti

Consilio pariterque manu, ne qui modo cunctos
Vincere posse alios jactabam, vincar ab illo.
Sic animo ambiguo titubans vetus ille cerastes
Dixit, at hi pariter cuncti clamore secundo
Auxilium spondere suum; firmantque trementis
Pectora, cujus erant avidi se accingere jussis.
Tum vero in medio Belial caput agmine tollit
Spiritus ante alios, qui expulsi ex æthere cunctos
Fœdior, effrænique libidinis igne perustus,
Quem scelerata venus, dirique cupidinis ardor
Tantum Asmodæi furiis facit esse secundum;
Atque animi consulta sui sic vocibus effert:
Illius ante oculos, gressum quocunque movebit,
Corpora fœmineæ longè pulcherrima turbæ
Objice, nam innumeræ passim fulgore puellæ
Lumina transcendunt medii radiantia Phœbi;
Quæ non mortali prognatæ à stirpe videntur,
Sed genus esse Deûm: veneres blandique lepores
Has circumvolitant: didicêre libidinis igne
Inflammare oculos, didicêre, ut callida Syren,
Irretire animos blandæ dulcedine linguæ;
Mollis & alloquii dulci moderamine fastum
Virgineum, castique decus miscere pudoris.
Prensu difficiles, timidéque recedere doctæ,
Inque recedendo captiva tenere tuentum
Pectora, & in blandi laqueos seducere amoris.
Talia visa animos possunt mollire severos,
Contractique supercilii dissolvere rugas,
Spe torquere levi, sævosque cupidinis ignes
Arbitrio stimulare suo, & captiva virorum
Corda trahunt, veluti magnesia marmora ferrum.
Pectora Davidicæ sapientia fallere prolis
Fæminei potuêre doli; cum à tramite recti
Nil illum usquam aliud potuit divertere: vanis
Struxerat ille Deis uxorum altaria, nec non
Hos prostratus humi coluit stimulatus amore

Fæmi-

Fæmineo, at Satanas celeri ſic voce regeſſit:
Ah! malè lance tua Belial aliena probâſti
Pectora: tu priſcis quoniam es conſuetus ab annis
Fæmineos ardere oculos, vultumque, decuſque
Oris, & in niveo miſtum candore ruborem;
Fæmineis facibus, fœdoque cupidinis æſtu,
Hoc quoque more, alii flagrant, te judice, cuncti.
Ante immenſus aquæ gurges quam involverat orbem,
Tu ſociique tui, falſo genus eſſe Deorum
Fabula quos mendax memoraverat, undique terram
Luſtrantes, nitidas hominum de gente puellas
Spectâſtis, rapidoque cupidinis igne peruſti
Connubio junxiſtis eas, ſobolemque paternis
Moribus hæ ſimilem coitu peperêre profano.
Concubitúſne tuos oculis nos vidimus ipſi?
Nec noſtras rumore vago pervenit ad aures,
Te per magnanimûm formoſa palatia regum,
Per ſylvas nemorumque umbracula fontis ad undam,
Per virides valles, per paſcua gramine læta
Inſidias teneris tacitè ſtruxiſſe puellis?
Caliſto, Clymene, ſemeleque & candida Daphne,
Dulcis Amymone, Syrinx ſimul Antiopeque,
Atque aliæ, quas non numero comprendere certo eſt,
Virgineum amiſere decus tibi fraude ſubactæ.
Tum tua furta Deis vario ſub nomine cultis,
Nempe Deo Delphis reddenti oracla, Jovique,
Cœruleoque Deo, qui regnat in æquore, Pani,
Atque aliis qui rura colunt agreſtia, Faunis
Hirſutis, Satyriſque, & monticolis Sylvanis
Adſcribis, populiſque imponis imagine vanâ.
Non tamen idem animus mortali ſtirpe creatis
Omnibus eſſe ſolet; quam multi fronte ſuperbâ
Fæmineæ illecebras, atque irritamina formæ
Spreverunt, majora animis dum ingentibus ardent?
Pellæus mundi domitor juvenilibus annis
Omnes virgineos cœtus telluris Eöæ

 Vidit,

Vidit, & invictis leviter lustravit ocellis,
Præteriitque cupidinei sine vulnere teli.
Is quoque, victa dedit regio cui punica nomen,
Quantumvis vegetæ fuerit jam in flore juventæ
Fervidus atque valens, nympham dimisit Iberam.
At Solomon placidæ tranquilla silentia vitæ
Egit, & humani culmen superavit honoris,
Et vastas possedit opes, epulisque vacavit
Dulcibus, atque nihil sublimius ille petivit,
Quam, nullo prohibente, bonis præsentibus uti,
Fæmineisque dolis ideo fuit obvia præda.
At, nos insidias cui nunc laqueosque paramus,
Ingenii Solomonta sagacis acumine vincit,
Moliturque animo semper sublimia vasto.
Quæ mulier, quamvis hujus decus & stupor ævi,
Tam speciosa datur, cui lumina tendere vellet
Ille, cupidineis impervia lumina telis?
St tamen illa sedens solio regina superbo,
Innumerâ circum charitum comitante catervâ,
Aggrediatur eum, laqueisque involvere tentet,
Ut domuisse Jovem Cytherææ cingula quondam
Fabula prisca refert, multis, jam prodita sæclis.
Quam facile ille suæ mox majestate severâ
Frontis, in excelsâ virtutum sede locatæ,
Despiceret vultusque simul cultusque decorem
Fæminei? fastumque oculi cito vinceret omnem
Ille? vel attonitus fieret reverentia fastus.
Fæmineæ nam frontis honos, formæque venustas
Insani stupor est animi, quo nixa superbit,
Pectus amatorum falsâ sub imagine ludens.
Fæmina si neglecta sedet, si definis illam
Attonito spectare animo, mox dejicis omnes
Elati fastus oculi, subitique pudoris
Conscia signa dabit vultum confusa rubentem;
Deponetque animos, modo quos ita sustulit altos.
Ergo parare opus est animum captura virilem.

Retia,

Retia, quæque valent fortem pervertere mentem;
Qualia splendor, honos, vulgique volare per ora;
His quia navifragis scopulis afflicta fuerunt
Nobilium persæpe virûm constantia corda.
Aut fortasse aliquid, quod lex genitiva requirit,
Queisque humana sibi doleat natura negatis.
Jamque fame, video premitur per inhospita saxa,
Nudaque tesqua ubi spes non suppetit ulla ciborum:
Cætera cuncta igitur nostræ committite curæ.
Non mihi deero, ubi se dabit ulla occasio, vires
Illius attentabo meis, & robore robur.
Sic tacuit, dictisque sui plebs tota tota tyranni
Unanimes uno ore favent: tum è gente malorum
Spirituum, sibi quos similes magis esse putabat
Fraudibus ante alios diris, studioque nocendi,
Seligit esse sibi socios, nutumque paratos
Expectare suum, si fortè occasio poscat
Officiis varios variis adhibere ministros.
Tunc loca sola petit, sociûm comitante catervâ,
Nudaque tesqua, Dei proles ubi sacra beati
Luce quaterdenâ segetis sine munere mansit.
Jamque famem cœpit sentire, ac talia secum.
Unde hæc prima fames? denis quater, ecce, diebus
Hæc juga dum peragro sylvestribus obsita dumis
Humana esca aberat penitus, nec abesse dolebam.
Non virtutis opus jejunia talia dico,
Nec trahit inde suæ partem patientia laudis.
Si non his egeat natura, aut indiga si sit,
Divini tamen auxilii fulcimine nixa est
Omnibus orba cibis, ecquam patientia laudem
Inde referre potest, ubi causa est nulla dolendi,
Sed nunc esurio, nunc sentio, quod mihi certo est
Indicio natura aliquid poscente requiri.
Hanc tamen ipse vicem dominus supplere valebit
Omnipotens, remanente fame, quin, si libet illi,
Duret acerba fames, modo non mea viscera tabe

Exedat, aut tacitis populetur membra rapinis.
Spicula sæva famis nullâ formidine mentem
Exagitant, vexántve meam, melioribus intus
Dum mea corda cibis pietati intenta foventur.
Cui cibus eſt præſtare mei mandata parentis.
Tempora noctis erant, magnus cum filius alti
Ille Dei ſecum hæc tacito ſub corde revolvit,
Dum loca ſola vagis erroribus undique luſtrat.
Tum ſubter ſocias lignis jungentibus umbras
Procubuit, feramque dedit per membra quietem.
Jam cibus & potus, naturæ alimonia dulcis,
Illius ante oculos veniunt ſub imagine ſomni,
Grata medela famis, jejuni qualia ventris
Blanda voluptates fugitivas gaudia gignunt.
Ad vada Cherithi fluvialia ſtare videtur,
Portanteſque ſacro corvos ſpectare prophetæ
Corvos ingluviem oblitos, rabiemque priorem
Manè recente cibos, & rurſum veſpere ſero,
Quos vexêre ſui celeres in acumine roſtri.
Vidit & hunc ipſum fugere in teſqua arida vatem,
Et ſub junipero placidos ibi carpere ſomnos,
Et cœnam excuſſò ſomno ſuper igne paratam
Cernere, & angelico juſſu conſurgere, & illis
Veſci epulis, placido rurſumque quieſcere ſomno,
Et ſomno rurſum excuſſo ſe paſcere iiſdem
Rurſum epulis, vireſque ſibi duplicare priores.
Unde quaterdeno jejunus lumine manſit,
Tanta per hunc geminum cumulavit robora victum.
Nunc ſibi viſus erat, comes huic adjunctus eoſdem
Participare cibos, nunc cum Daniele beato
In medio innocuûm pultes ſorbere leonum.
Sic nox acta fuit: jam prævia lucis alauda
Linquens nidum humilem volitavit in ardua, primum
Ut notet Auroræ reditum, cantuque ſalutet.
Humanique ſalus generis non ſegnius illâ
Ceſpite membra levat; tunc omnia vana videbat

Falſa-

Falsaque, nocturni modo quæ sub imagine somni
Ante oculos steterant: somnos jejunus inibit,
Jejunusque iterum vigilat: tunc ardua montis
Ascendit, cujus celso de culmine clarum
Prospectum latè petat undique, sicubi parvam
Ille casam, aut stabulum armenti, vel ovile videret,
Sed casa nulla oculis stabulum vel ovile fuerunt
Obvia, at inferius sylvam prospexit opacam.
Frondiferosque avibus variis canere undique ramos.
Illuc ergo regit gressum, quia cogitat illic
Sub medio residere die: tum protinus intrat,
Altaque frondiferæ subit ille cacumina sylvæ,
Inferiusque viæ stratæ, & nemorosa fuerunt
Compita ramosæ medium dirimentia sylvæ.
Naturæ fuit illud opus: (simulaverat artem
Ingenio natura suo) quod dedita vanis
Turba sacris lucum Divis, Nymphisque habitatum
Crederet: hic oculos circumtulit undique fixos:
Cum subito coram stetit, exhibuitque videndum
Sese homo, non vili velut antehac tectus amictu,
Sed tunicâ speciosus erat, magnâque videtur
Urbe, vel augusti tecto prodisse tyranni.
Atque ita blandiloquis effatur talia verbis:
Concessâ redeo veniâ, multumque stupesco
Te natum esse Dei, tamen ista per arida tesqua
Tot solum remanere dies, atque omnium egenum,
Tabificæque famis, sic sentio, cuspide fixum.
Fama refert alios deserta hæc arida quondam
Vexatis peragrasse animis; hîc serva vagata est
Cum nato fugitiva suo, verum Angelus illis
Attulit auxilium: soboles hîc tota perisset
Isacidûm, defecta cibis, nisi Manna pluisset
Ætheriâ de sede Deus: Thisbitaque vates
Hic quoque pastus erat geminâ vice, cœlitus illum
Voce jubente cibis vires firmare paratis.
Ecce, quater denis, nullo auxiliante, diebus,
Ulteri-

Ulteriusque manes cunctis desertus amicis.
Cui tum sedato sic pectore reddit Iesus
Quid tamen inde sequi reputas? opus omnibus illis
Esca fuit, sed me nil tale requirere cernis.
Respondit Satanas: unde hæc tibi viscera pungit
Ergo fames? positis ecquid retinebere mensis?
Respuerem, acciperémve datum, si fors placet, aut si
Displicet ipse dator, sacro ore regessit Iesus.
Ulla recusandi hinc ratio est tibi? Subdolus inquit
Spiritus, imperióne tuo, quodcunque creatum est,
Subditur, & latè immensum tibi cuncta per orbem
Officiis servire suis jus fasque requirunt,
Imperiumque tuum studiis prævertere promptis?
Non vetitum tibi lege cibum, idolísve dicatum
Offero; nec ferus has hostis tibi tradidit escas.
Quanquā has hostis atrox si fors daret, ecquis egenus
Respuat, oblatásve animo trepidante repellat?
Natura, ecce, suum vultu confessa pudorem,
Aut si fortè aliis melius rem hanc effero verbis,
Mœsta dolensque pati dominum jejunia, cunctis
Optima quæque tibi collegerat ex elementis;
Ne meritus tibi desit honos; ergo accipe dignos,
Accipe, quæso, cibos, epulisque accumbe paratis.
Somnia non jactat: finem ut dedit ore loquendi,
Ecce oculos tollens hominum bonus ille redemptor
Fercula lauta videt magno constructa paratu,
Regum æquanda epulis, dapibus contenta decoris,
Jucundi genus omne cibi, genus omne volucrum
Pennigerûm, quascunque notis velocior urget
Accipiter, levibus volitans per inania pennis;
Quadrupedum & quodcunque genus clamosa Molossi
Turba premunt, cursúve vago rimantur in agris.
Partem horum calidi concoxerat æstus aheni,
In verubus pars tosta fuit, partem ignea fornax
Edomuit, clausique furens vis sæva camini.
Hic erat omne genus liquidis quod vivit in undis,
Quod

Quod medio natat oceano, quod littoris oras,
Quod dulces habitat fluvios, lymphasque sonantes
Leniter, æquoreo quod passim in gurgite pinnis
Remigat, aut rigidæ latitat sub tegmine testæ,
Quicquid habet Scythici marmor revolubile ponti,
Africa quicquid habet, lucrini aut littoris æquor,
Hoc pariter congesta loco glomerantur in unum.
Et juxta appositas mensas, ubi copia vini
Undique lætifici mollem diffudit odorem,
Astiterant pulchri juvenes in veste decorâ.
Non tam pulcher Hylas, raptusque Jovi Ganymedes.
Et paulo ulterius choreas nunc ordine ducunt,
Ordine nunc steterant, nitidæ pars una catervæ,
Noctivagam quæ assueta choris circumdare divam,
Quæque colunt fontes liquidos, viridesque recessus
Naiades, ornatæ fructuque & flore recenti,
Quos largo Amalthæa sinu diffudit in agris:
Hic etiam Hesperides aderant, mirabile, nymphæ,
Quæ superant alias, quas fabula ficta puellas
Prædicat, & virides per dulcia prata Napæas,
Queis variarum equites regionum occurrere dicti,
Utopicis gens nota locis & nata cerebro.
Interea harmonicos efflabat tibi cantus,
Et blandæ sonuêre lyræ, dulcisque favoni
Aura levis molles Arabum fundebat odores,
Et matutinæ spiramina dulcia floræ
Suaviter ambrosiis hinc atque hinc ventilat alis.
Tantus honos cumulatus erat: tum callidus illum
Tentator cupidis iterum sermonibus urget.
Cur dubitas positis divina accumbere mensis
Progenies, vescique epulis in tempore structis.
Hos fructus lex nulla vetat, nec jussit ab illis
Abstinuisse cibis infectis crimine nullo.
Nullum hæc nosse malum sincera viatica cogunt,
Sed vitæ tutamen habent, vitæque inimicam
Perdunt illa famem, & pectus dulcedine mulcent.

Hæc sunt umbriferas habitantia flamina sylvas,
Fontesque, & fluvios liquidos, atque aëra, quæ te
Accedunt, dominumque suum te jure salutant.
Cur dubitas positis divina accumbere mensis
Progenies, vescique epulis in tempore structis?
Cui tum sedato sic pectore reddit Iesus:
Nonne fatebaris mihi tu latè omnia juris
Esse mei? nil me prohibet, nil me vetat uti
Jure meo: an dono acciperem, quæ sumere cunctis
Temporibus, cunctisque locis mihi sponte licebit.
Possum ego, cur dubitas! per tesqua hæc arida mensas,
In mensisque epulas te, si libet, ocyus ipso
Ponere, & aligeris mihi circum astare ministris,
Præcipere ad cyathos, nutumque attendere nostrum,
Ardentes auro, & niveis lita corpora flammis.
Officium ergo tuum cur frustra obtrudis, & illi
Munera ferre cupis, qui te & tua munera spernit?
Et quid nostra fames ad te attinet? omnia, quæ tu
Fercula lauta paras mihi sunt exosa, malignas
Esse tua insidias quia dona & retia cerno.
Ad quem sic Satanas, stimulato pectore, fatur:
Me penes, ecce vides, dandi est quoq; magna potestas,
Si tibi sponte fero, & lætè cupidéque ministro,
Quæ cuivis alii poteram tribuisse petenti,
Si tibi dona vides me offerre in tempore, cur tu
Respuis, oblatique boni tot commoda spernis?
Quicquid ago, quicquid tribuo, donum atq; datorem
Suspectum esse tibi video: tamen ocyus illa,
Quæ tibi spreta, ferent alii quæ ex omnibus oris
Contulerant, magni pretium non vile laboris.
Vix ea dicta dedit cum mensæ epulæque repentè
Ex oculis fugiunt, sævumque dedêre sonorem
Harpyiæ, & magnis quatiunt clangoribus alas.
Tentator tamen ipse manet, victusque paravit
Assultus renovare suos, tum his vocibus infit:
Nil tibi longa nocent, video, jejunia, quanquam

Cætera

Cætera cuncta doment stimulis animalia sævis.
Hinc tibi non ullus dolor est, neque causa dolendi,
Namque tua illecebras superat moderatio cunctas.
Grandia mente agitas, sublimia corde volutas,
Quo tamen hæc facienda modo? nam ingentia facta
Auxiliis peragenda ingentibus: haud tibi famæ est
Ullus honos, cunctisque jaces desertus amicis,
Esque humili de stirpe satus: genitor tibi vilis
Est opifex, primisque vetat te emergere ab annis
Res augusta domi, jamque hic jejunus inopsque
Hæc deserta vago peragras horrentia gressu.
Unde igitur tibi spes ascendere culmen honoris?
Unde tibi attoniti magna admiratio vulgi?
Unde tibi comites, largis nisi sumptibus illos
Exsatures, queis nullus inest respectus honesti?
In pretio pretium nunc est, & census honores,
Census amicitias acquirit, regna, triumphos.
Quid dedit Antipatri magnum & memorabile nomen?
Quid dedit Antipatris nato Judaica sceptra,
Sceptra tua? huic validos aurum acquisivit amicos.
Accumula tibi divitias, atque undique gazas
Congere, quod facile est, mihi si non abnuis aurem.
Divitiæ mea dos, & opes ego divido cunctis
Indiga dum interea, jejunaque vivida virtus,
Et vigor, & præstans animi sapientia languent.
Cui tum sedato respondit pectore Iesus:
Divitiæ tamen his vacuæ sunt viribus orbæ,
Seu parere imperium cupias, partúmve tueri.
Regna hoc prisca docent vastum diffusa per orbem,
Immensis cumulata opibus; tamen illa repentè
Obruta mole suâ subitam traxêre ruinam.
His autem ornati tenui de plebe quirites
Emersêre suis super aurea sydera factis;
Talis erat Jephthes, Gideon, pecudumque secutor
Inclytus ille puer, cujus generosa propago
Sceptra per innumeros populos Judæa tenebat,

Acci-

Accipiet quæ iterum posthac amissa parumper,
Isacidûmque reget seclorum in sæcula gentem.
Quantam inter populos laudem meruêre profanos,
(Quicquid enim gestum est toto memorabile mundo,
Nil fugit usquam animi, nec fallit lumina nostri.)
Fabricius, Curius, Regulusque & Quintius olim?
Magni etenim hæc facio veterum præclara virorum
Nomina, qui ex humili quantumvis stirpe creati
Eximiis poterant celebres evadere factis,
Donaque respuere à magnis oblata tyrannis.
Nil mihi deesse vides, quin talia tam cito possim
Aut majora etiam, pauper licet edere facta.
Cur vastas miraris opes, quæ cura laborque
Stultorum est, gravis at sapienti sarcina, si non
Et laqueus, virtutum aciem que sæpe retundunt
Debilitantque animi vires, minuuntque vigorem.
Divitias pariter vastas & regia sceptra
Despicio, sed non quoniam diademata regum
Spinea jure voces, rutilis licet obsita flammis:
Sæva pericla suis dominis cumulumque dolorum
Ingentem, insomnesque ferunt diademata noctes.
Quippe humero hic gemino cunctorũ pondera portat.
Regis enim officium, decus est, & maxima virtus
Hunc omnem pro plebe suâ perferre laborem.
At quicunque sui rex est, curam atque timorem
Tristitiamque iramque regens moderamine certo
Rex hic major erit. Sapiens hoc obtinet omnis
Imperium, quo si careat moderamine quisquam
Non decet hunc urbes amplas, populosque feroces
Imperiis optare suis submittere, quando
Non habet ipse sui imperium, ut sine remige puppis
Et sine lege ruit stimulante cupidine præceps.
Sed tamen oppressos tenebris & nocte profundâ
Illustrare animos populorum lumine veri,
Atque docere Deum venerari errore relicto,
Hoc multo est regale magis, namque attrahit ipsam
Hoc

Hoc animam, internique hominis moderatur habenas,
Quæ pars nobilior noſtri eſt : ſceptra altera vero
Corpora ſola regunt, & ſæpe invita, coactum
Imperium hoc animo generoſo eſt parva voluptas.
Quin donare aliis, ſumptum aut deponere rurſus,
Gloria viſa fuit major, quam ſumere, ſceptrum,
Nobilitaſque animi magis inde effulſerat alti.
Nil opus eſt vaſtis opibus, ſi examine juſto
Expendas vel qualis opum natura ſit in ſe,
Vel propter quod poſcis opes, venerabile regis
Imperium, quo ſæpe magis caruiſſe juvabat.

Finis Libri Secundi.

Para-

Paradisus Recuperatus.

Liber Tertius.

TAlia sacra Dei proles sacro ore locuta est.
Tunc Satanas paulũ tacitus sine murmure man- (sit.
Quid referat jã ignarus erat, confusus & expers
Consilii, fraudesque suas periisse stupescit.
Sed tandem ille dolos omnes collegit in unum
Tartareus serpens, placidisque ita vocibus infit:
Blanditiisque novis iterum nova prælia tentat.
Jam te scire quidem video quæ scire necesse est,
Atq; loquenda loqui te posse, & quicquid agendum est
Hoc agis, atque tuis facta omnia consona verbis
Sunt tua, quæque animo volvis, tu effarier aptis
Vocibus illa potes, inscriptaque cordibus imis
Viva boni verique & recti elucet imago.
Si te consulerent gentes, magnique monarchæ,
Oraclum Thummim tua vox æquaret, & Urim
Aronis geminas positas in pectore gemmas,
Dictaque nuda dolis veterum certissima vatum.
Quod si bella volent, belli tibi nescia non sunt
Pectora, ferratasque in prælia ducere turmas,
Armatasque locare acies; virtutibus omnis
Orbis ubique tuis caderet, victusque jaceret,
Turba haud magna licet comitum tibi staret in armis,
Cur ita divinam tenebris latitare sub imis
Virtutem pateris? nemorumque per avia tesqua
Solus agis, mundumque vetas miracula dextræ

Clara

Clara videre tuæ, meritisque extollere dictis,
Nec famæ tibi pandis iter, nec detrahis umbram?
Nec tibi virtutum paris irritamina laudes,
Conspicuumque decus, quod magna capessere mentes
Provocat, atque animos inflammat & incitat altos?
Queis nihil usquam aliud dulce est, quos nulla voluptas
Altera, nullus opum cumulus, gazæque repôstæ,
Nec tituli sine laude trahunt, aut nomen avitum.
Jam tibi matura est ætas, roburque juventæ.
Magnus Alexander, soboles generosa Philippi
Ante annos virtute tuos, & viribus audax,
Immensos Asiæ populos bellando subegit,
Addideratque suis Babylonia mœnia sceptris.
Scipiades juvenis Pænos virtute superbos
Edomuit, gentemque trucem servire coëgit.
Pompeius juvenis regem, qui Pontica regna,
Horrentesque plagas magnâ ditione tenebat,
Prostravit, Romæque novum decus inde paravit;
Sævaque magnificos egit post bella triumphos.
Verum ætas matura tamen, maturaque virtus,
Judiciumque regens animum moderamine certo
Non famæ extinguunt studium, sed & acrius urgent.
Julius ille, stupor mundi, maturior annis
Quo fuerat; magis atque magis succensus amore
Laudis erat, multosque sibi sine laudibus ullis
Deflevit periisse dies, sine nomine claro.
Non tu sero tamen res aggrediere stupendas.
Cui tum sedato respondit corde redemptor:
Non tua dicta movent animum fallacia nostrum,
Ut vastas ego mirer opes, opibusque pararem
Imperium, imperioque decus, famamque perennem.
Ecquid enim fama est aliud nisi fulgor inanis,
Lausque per ora volans populi; nec crimine semper
Laus tamen illa vacat maculis obnoxia nullis.
Quid vero est vulgus nisi confusum ordine nullo,
Et sine lege pecus, mirans vulgaria, quæ si

Mentis acumen adest, potius spernenda videntur.
Mirantur variè ac laudant ignotaque facta
Ignotosque viros, vano velut alter ab ore
Accipit alterius, rumorque increscit eundo.
Quid juvat illorum fieri præconia, quorum
Haud decus exiguum est meruisse opprobria falsa.
Exiguos numero sanctos ea fata sequuntur.
Nam pauci sapiunt mediis in millibus horum,
Atqua inter paucos vix gloria surgit in altum.
Gloria vera quidem est, clarum & venerabile nomen,
Cum pater omnipotens spectans ex æthere terram,
Inter mortales aliquem sua jura sacrata
Servantem observat vultu placatus amico,
Illius & laudes toto manifestat Olympo
Angelicas inter choreas, quæ pectore læto
Audita hæc merito celebrant præconia plausu.
Talis Iöbus erat, cujus memorabile nomen
Ut famâ pariter Cœloque soloque pateret,
(Non potes ipse tui nunc immemor esse pudoris)
Vidistine meum servum, Deus inquit, Iöbum?
Clarus erat Cœli super aurea sydera, notus
In tellure minus, tellure ubi gloria falso
Nomine dicta datur rebus, queis gloria nulla est
Debita, datque viris indignis præmia laudum.
Nam falsâ laudis luduntur imagine, magnum
Qui decus esse putant ingentia vincere regna,
Atque cadaveribus vastos abscondere campos,
Hostilique domos altas impellere aratro.
Quid tales faciunt heroö nomine dignum,
Qui ferro flammâque ruunt, rapiuntque feruntque,
Finitimasque sibi gentes, longéve remotas
Subjiciunt, & colla trahunt captiva catenis?
Qui meruêre tamen potius victoribus ipsis
Libertate frui, victoribus, undique stragem
Dantibus, ingentes & desolantibus agros,
Quos pacis paulo ante bonis florere videbant.

Tunc

Tunc illos temere elatos tumor inflat inanis,
Gentis & humanæ domini patresque benigni
Dicuntur vulgo, templisque coluntur & aris.
Jupiter huic, illi genitor Mars esse putatur,
Donec lethiferi veniens mors cuspide teli
Hos vix esse homines certo probet argumento.
Quippe hominem exuerant, brutisque obscœnius ipsis
Vitam egêre suam, & misero vix funere tandem
Effudere animas & cædem cæde piârunt.
At si fama boni quid habet, melioribus illa
Artibus acquiri poterit, sine cæde, sine ullo
Sanguine, bellorumque minis, martisque tumultu.
Hanc etiam pax alma parat, patientia, præstans
Judicium, atque animi moderatio: sic & Iöbus
Omnia quæ intuleras, patienter damna ferendo
Obscuro sæclo atque solo totum, ecce, per orbem
Claruit, æternumque tenet per sæcula nomen:
Quis sine honore pii nomen memoravit Iöbi?
Sic pauper Socrates (quis proximus alter ab illo?)
Instituendo bonos mores, & iniqua ferendo,
(Nam veri studio mortem perpessus iniquam est)
Heroäs famæ superat fulgore superbos.
Sin quid agas, aut quid patiaris laudis amore,
Scipiades juvenis propter memorabile nomen
Punica tela procul patriâ tellure repellit,
Sed factum insigne, aut facti saltem author in imis
Obruitur tenebris, meritique haud præmia tanti
Victor habet, ventosa virum volitare per ora.
Ergo petenda mihi est, petitur ceu gloria vanis
Sæpe indigna viris? mea non ego quæro, sed ejus
Qui me misit, & hinc mea se manifestat origo.
Cui tum sic iterum tentator turbidus infit:
Ne tibi contemptum jaceat venerabile nomen.
Dissimilis tu hac parte patri es, nam gloria patri
Quæritur, hanc propter latè undique cuncta creavit;
Hanc propter quoque cuncta regit, latéque gubernat.

Nec Cœlo tantum ille suo est contentus, & ore
Angelico in domibus superis, sed & ore virorum
Vult sua per terras celebrari ingentia facta.
Nemo hominum officio vacat hoc, seu fortè scelestus,
Sive est ille pius, sapiens, seu mentis egenus;
Ante holocausta atq; omne sacrum, quocunq; litatur,
Gloria grata Deo est: hoc est commune tributum,
Quod cunctas pariter gentes sibi solvere jussit,
Isacidis, Græcisque satas: perque omnia regna
Nullus ubique virûm non hoc offerre tenetur.
Hoc etiam à nobis licet hostibus exigit ipsum.
  Cui tum nostra salus vocum asperitate regessit.
Et merito: quoniam vox illius omnia fecit.
Verum sola tamen non gloria quæritur illi,
Sed manifesta sua ut bonitas & gratia fiat,
Et bonitate animas hominum latè undique cunctas
Participet: nam quid magis ille parabile posset,
Quam decus & meritas propter tot munera laudes,
Acceptique boni memorem deposcere mentem,
A quibus ullum aliud nequit expectare rependi:
Quod nisi rediderint, contraria fortè dedissent,
Contemptum, opprobrium, & rabidæ convicia linguæ
Præmia iniqua, bonis malè convenientia tantis.
Ast homo cur laudem, & magnos sibi poscit honores?
Nil habet ille suum quod non aliunde trahebat:
Atque illi ex merito haud aliud mercedis habendũ est,
Quam dirum exitium, pudor atque infamia turpis:
Post collata sibi qui tot benefacta rebellis,
Ingratusque Deo fuerat: sic se simul omni
Nudavit miser ille bono, vacuumque reliquit.
Sacrilegæ tam insana tamen vecordia menti est,
Arrogat ille sibi, domino quod competit uni.
Tanta tamen bonitas, divini gratia tanta est
Numinis, ut laudes ejus quos pectore toto
Concelebrare videt, nullam sibi poscere laudem,
Hos sponte ille suâ ad celsos attollat honores.

Talia

Talia voce refert proles divina, sed illis
Vocibus attonitus Satanas sine murmure mutus
Astitit, atque sui sceleris menti hæret imago,
Nam laudem ipse suam certat dum augere, repente
Conciderat, traxitque gravem sine fine ruinam.
Mox laqueos tamen ille novos & retia sternit.
Gloria vana tibi res est & futilis; esto;
Inquit, at ut patrii capias moderamina sceptri,
Davidicoque throno sedeas, descendis in orbem.
Nam tua mater erat prognata à Davide, quamvis
Invasisse alios videas hoc nobile regnum.
Nec facile hos bello domitis expellere terris.
Judæa atque omnis proävis promissa vetustis
Terra jugum servile subit; populoque Quirini
Paret, & Augusti nomen sceptrumque tremiscit
Tiberii; qui non semper moderanter habenas,
Imperiumque regit; nam templum sæpe profanat,
Sacraque jura probris violat persæpe pudendis,
Horresco referens; alter novus, ecce, resurgit
Antiochus: tune ergo putas te posse sedendo
Jus reparare tuum, tacitísve latendo sub umbris?
Non ea vita fuit Macabæo; in devia quondam
Sylvestresque locos, sed ferro armatus abivit,
Mirificâque trucem domuit virtute tyrannum:
Invictâque manu, fuerit licet ipse sacerdos,
Davidicum solium simul & diadema recepit;
Qui Modinam & villas Modinæ tantummodo nuper
Rexit, & imperii tenuit moderamina parvi.
Si non regna movent animum tibi, fervidus illum
Zelus & officium moveant: non segniter urgent
Zelus & officium, sed tempora commoda captant:
Quin sponte ipsa suâ jam tempora commoda præbent,
Fervidus in patrii zelus sacraria templi,
Officiumque, tui populi cervice molestum
Excussisse jugum, & sævos domitare tyrannos.
Sic etenim implebis veterum præsagia vatum

De factis prolata tuis, in ſæcula regnum
Qui ſine fine tuum, ſine ſucceſſore canebant
Manſurum; ergo tui quanto moderamina ſceptri
Accipies citius, tanto fœlicius altum
Aggredieris opus; quid enim præſtantius illo
Interea tibi poſſit agi? quæ cauſa morandi?
 Tunc humana ſalus iterum ſic ore locuta eſt.
Omnia rite ſuo veniunt in tempore, tempus
Omnia, dixit, habent, divini ſpiritus oris.
Si ſine fine meum ſcriptura prophetica regnum
Manſurum cecinit, ſic & pater ille perennis,
Quando futura mei ſint prima exordia regni,
Decrevit, qui cuncta regit, qui cuncta gubernat,
Diſpenſans ſpatiis labentia tempora certis.
Quod ſi forte meum decreverat ille probandum
Adverſis animum? quod ſi jam triſtis egeſtas
Eſt ſubeunda mihi? quod ſi mihi turpia probra,
Damnaque multa pati fatum eſt, multoſque dolores,
Inſidias, laqueos, ſarcaſmos, ſcommata, riſus,
Intrepidoque animo, & nullâ formidine fracto
Venturum ſperare bonum, ut dignoſcere poſſit,
Quid valeam perferre & quid præſtare, probando?
Quiſquis ferre poteſt, facere eſt & idoneus idem:
Qui parere poteſt, idem moderamina regni
Flectere: jure igitur probor acri examine quem poſt
Plurima dura manet firmum atque immobile regnum.
Cur tamen ulla tibi cura eſt, quo tempore regni
Æterna incipiam noſtri moderamina, de me
Quid te ſollicitare poteſt, aut angere mentem?
Ignoráſne igitur te, me ſurgente, repentè
Caſurum, regnumque meum tibi ferre ruinam?
Tum tentator ait; (namque hunc agitavit Erynnis
Intima, & occulto laceravit corda flagello.)
Illa ruina mihi veniat, quocunque libebit
Tempore: ſpes omnis vitæ melioris abivit.
Quid pejus mihi reſtat adhuc? ubi nulla ſuperſtes

Spes manet, haud ulli locus eſt aut cauſa timori.
Sin pejora mihi fors aut graviora ſuperſunt,
Venturi timor ille mali plus angit & ipſo
Plus vexat præſente malo miſerabile pectus.
Peſſima fata peto, nam ſunt mihi peſſima portus,
Portus & afflictis ſtatio tutiſſima rebus.
Ultima meta mali nobis bona prima videntur:
Nam quocunque errore trahor, vel crimine damnor,
Errorem crimenque meum ſua pœna ſequetur,
Seu teneas, ſeu non teneas venerabile ſceptrum.
Quamlibet ipſe libens ad lumen amabile vultus
Ipſe tui fugiſſe velim, & ſpem corde fovere,
Frontis ad aſpectum placidæ mea lumina tendens;
Imperium mea damna tuum non reddere poſſe
Majora, atque malis cumulum ſuperaddere tantis;
Sed potius lenire tui & relevare furorem
Patris, & horribilē, (plus me hæc ſtyge territat) iram,
Et fore poſſe meo ſolatia grata dolori,
Qualis opaca levat rapidum nubecula Phœbum;
Quando ego tam curſu celeri peto, peſſima quæ ſunt,
Cur ita tu tardo procedis ad optima greſſu,
Orbis ut imperium cunctis digniſſimus unus
Accipias, terramque regas moderamine juſto?
Fors tibi cauſa moræ eſt animi meditatio fixi,
Dura pericla agitans, tam audacibus obvia cœptis.
Nec mirum: nam te quantumlibet omnis in uno
Virtutum, quæcunque homini decus addere poſſunt,
Et quaſcunque poteſt humanum attingere germen,
Congeries miranda ſimul fulgore coruſco
Eniteant, pariantque tibi venerabile nomen,
Vitam egiſſe tamen privatam huc uſque memento
Ædibus in patriis, vix oppida tu Galilææ
Cuncta pererraſti, nec te bis vidit in anno
Urbs Solymæ ſedes veterum celeberrima regum.
Hæc via parva fuit paucis exacta diebus.
Ergo quid inde tibi potuit memorabile diſci?

Non tibi visus erat mundus, nec gloria mundi,
Regnaque, magnanimique duces, regesque superbi,
Augustæque domus rutilas jaculantia flammas
Culmina celsa; schola,hæc rerum experientia,certè est
Optima, cuncta docens, queis tendit ad ardua virtus.
Quisquis inexpertus fuerat, quanquam ille sagaci
Præditus est animo, timet, atque pericula cautus,
Ut qui asinos quærens invenit nobile regnum,
Effugit, ingentique tremit terrore pavescens.
Ast ego te ducam vanos ubi mente timores
Abjicies, coramque tuis spectabis ocellis
Inclyta regna orbis terræ, pompamque superbam,
Quæ tibi regnorum mysteria pandere possint,
Ingenio qui sponte tuo regalia nosti
Munera, ut oppositis discas obsistere rebus.
Hæc ubi dicta (etenim concessa potentia tanta
Huic erat) ecce Dei natum, mirabile, magni,
Sublatum aërii mox vexit in ardua montis:
Mons erat hic, cujus formosus ad infime campus
Latè extentus erat, cujus fluvii duo costis
Effluxêre; alter Mæandri flexilis instar
Incertas variabat aquas, sed tramite recto
Dirigit alter iter, medioque in limite uterque
Campum floricomum brevioribus alluit undis,
Inque unum coiens solvit commune tributum
Oceano: baccas oleæ, jucundaque vina
Terra parit, segetisque novantia munera vires.
Et gregibus montes, armentis prata redundant.
Altaque sydereo minitantur mœnia Cœlo,
Mœnia, magnanimis habitari digna tyrannis.
Tam latus prospectus erat, tamque undique cuncta
Perspicuè exhibuit, passim ut tesqua arida, nullis
Quæ recreantur aquis, etiam spectanda paterent.
Hujus ad aërii perduxit culmina montis
Tentator stygius dominum, qui morte redemit
Humanam sobolem; rursusque ita vocibus infit:

Nos iter, ecce, gradu celeri peragravimus amplum.
Atque per aërios montes, camposque jacentes,
Fontesque & fluvios, turresque & templa citatos
Egimus, ecce, pedes volucri violentius Euro.
Aspicis Assyrii spatia hic vastissima regni,
Caspiam item lympham,& pontem qui spernit Araxes.
Hinc tibi spectandum sese exhibet Indus, & illinc
Palmifer Euphrates: tepidum sed Persis in Austrum
Tendit, inaccessæque Arabæ regionis arenæ.
Hic Nineve est, tantum spatii quæ continet intra
Mœnia, ut in varios ejus via longa necesse
Sit scindenda dies, Ninus quam condidit olim.
Aurati sedes capitis celeberrima, sedes
Salmanassari, cujus gens Isacidarum
Prospera fata dolet multos captiva per annos.
Illic est Babylon linguæ variantis origo
Non antiqua minus, rursum ædificata per illum,
Qui Judam sobolemque tui vice duplice patris
Traxit in exilium, & Solymam vastavit opimam.
Donec eos servire vetat, captivaque vinclis
Colla levat placidi pia munificentia Cyri.
Illius hic speciosa urbs est Persepolis, illic
Sunt sita Bactra, suamque hic Ecbatana decora
Ostendit fabricam, nec non hecatompylos ingens
Centenas spectare dedit, mirabile, portas.
Illic Susa etiam dulci vicina Choäspi,
Purior electro campi hic petit æquora, cujus
Flumina rara datum est solis haurire tyrannis.
Illic regna etiam, quorum celebrata per orbem
Inclyta fama fuit seris jam nuper ab annis,
Emathiis Parthísve extructa, Seleucia vasta,
Nisibus, & Teredon, Tesiphon, Artaxata, coram
Aspicienda patent, leviter si lumina flectas.
Cuncta hæc regna ferox aliquot per sæcula Parthus
Arsacidæ sub jure tenet, qui hoc nobile primus
Condidit imperium prostrato rege superbo

Antio-

Antiocho, quem incesta venus sine lege trahebat.
Opportunus ades vastis hunc viribus auctum
Ut videas; nam nunc Parthus Ctesiphonte coegit
Rex acies quot ubique tenet, truculenta cruenti
Pellat ut arma Scythæ, subitis qui incursibus amplos
Sogdianæ vastavit agros; festinat ut illam
Præsenti levet auxilio: procul illius, ecce
Millia multa vides, florentes ære phalanges.
Aspera tela manu gestant, humeroque pharetram,
Atque arcus ferro solidoque ex ære rigentes:
Sive ipsi fugiant, seu fors inimica sequantur
Terga premantq; fugam, similis premit hostica terror
Agmina, parque metus trepidantia pectora pulsat.
Omnes sunt equites, namque hinc laus maxima belli.
Aspice quam pulchro radiant splendore cohortes,
Divisæ in cuneos, mediamque imitantia lunam
Cornua densa, globosque ex omni parte rotundos.
Respicit atque videt numero non obvia certo
Agmina, & horrificas portis se effundere turmas,
Armatas ferro & cristis capita alta coruscas,
Cornipedesque simul rapidos ferro undique tectos,
Quorum quisque suo sessori est magna voluptas:
Stare loco nescit, micat auribus, & tremit artus,
Terga superba premit multorum lecta juventus
Regnorum, à variis pariter quæ huc venerat oris,
Usque ab Arochasia, Gandoraque orbis Eöi,
Margianaque ad Caucasias tesqua horrida, cautes,
Et Tartessiacæ tenebrosa habitacula terræ.
Usque ab Atropatiæ campis atque Adiabenæ
Et Mediæ & vastæ Susianæ australibus oris,
Littora ad innumeris Balsaræ pervia velis,
Compositos numero in turmas conspexerat illos
Nunc molles glomerare gradus, nunc flectere gyros,
Spicula nunc verso fugientia tendere cornu,
Et superare fugâ, latè quoque ferreus hastis
Horret ager, campique armis sublimibus ardent
Agmina

Agmina funt illic peditum, & radiantia ferro
Cornua, cura quibus ftantem producere pugnam.
Falcifer axis adeft illic celerefque quadrigæ,
Turrigeroque Elephas geftans in tergore turmam
Armatam jaculis, pharetrâque arcuque rigenti.
Quique ligone folum domitant, durâque fecuri
Complanant montes, evertunt robora fylvæ,
Et valles implent, planofque tumefcere campos
Montibus, & fluvios rapidos mitefcere cogunt
Pontibus, elatumque jugo fubmittere collum.
Poft hos ambiguæ mulæ, validique cameli,
Quæque notos curfus dromades certamine vincunt,
Vectaque carpentis bellorum immenfa fupellex.
Non tam vafta acies tanto concurrere campo
Vifa eft, cum gelidæ turmis Borealibus oræ
Collectis Agricanus iter contendit, ut altam
Cingeret Albreccam (prifcorum hæc fabula vatū eft)
Urbem Gallophronis, formofam abducere natam
Illius Angelicam cupiens, quæ gloria fexus
Tunc muliebris erat, procerumqne à ftirpe creatis
Mille petita procis, Pœnimis Charlemanifque.
Tam numerofa acies ftetit in radiantibus armis.
Queis vifis geftit Satanas animofque refumit,
Gentis & humanæ columen fic rurfus Iefum
Alloquitur; Ne fors pariter me velle falutem,
Virtutemque tuam temere objectare periclis
Credideris, adverte animum, tecumque voluta
Quæ mihi caufa fuit te huc ducere, & omnia coram
Hæc oculis fpectacla tuis offerre videnda.
Aurea regna tibi vatum prædicta priorum,
Angelicæque fimul fpondent oracula linguæ.
Non tamen hæc potienda tibi, nifi more parentis
Davidis incipias virtutem extendere factis,
Et fortes adhibere manus ad prælia: vatum
Nil veterum prædicta valent, nifi debita forfan
Cura viris vel rebus adeft, fed inania cedunt
Eventu

Eventu fraudata ſuo ; ſi induſtria ceſſat.
Quod ſi tu ſolio forſan potiare paterno,
Nullo obſtante tibi, junctiſque aſſenſibus unà
Samaria & Judæa tibi det colla libenter :
Quæ ſe offerre poteſt tibi ſpes te poſſe quietum,
Securumque diu à ſævis habitare periclis ?
Hinc tibi namque minax inſtat Romanus, & illinc
Parthus, & illorum idcirco (ne ſperne monentem)
Alteruter ſubigendus erit : me judice, Partho
Infer bella prius, nam proximus ille, tuiſque
Regnis ille poteſt, patriæque inferre ruinam.
Gentis & Iſacidæ regum devincta catenis
Antigoni, Hircanique olim captiva trahebat
Colla, fremente licet Romanæ conſule plebis.
Hoc mihi munus erit, ſævum tibi ſubdere Parthum,
Sive hunc forte velis bello, ſeu fœdere jungi.
Parthorum arma tibi junge auxiliaria, nam ſic
Davidico potiere throno : denaſque reduces
In ſua regna tribus, nam illarum huc uſque propago
Parthorum in populis dejecta ac degener, eheu !
Fert ſervile jugum, & per Haboram, & regna vagatur
Medica triſtis, inops ſævis ſubjecta tyrannis.
Hæc ſoboles, Jacobe, tua eſt generoſa, tuiſque
Natis orta decem, quorum, propagine binâ
Crevit in immenſum longis Joſephus ab annis.
Hos rigido jam colla jugo ſubmittere Parthus
Cogit, ut ante fuit Phario ſubjecta tyranno
Gens antiqua patrum : prima hinc tibi gloria ſurgat.
Ferrea rumpe agedum fratrum nunc vincla tuorum.
Hos ſi ſervitio tu exemeris, atque paternam
In regionem iterum, Solymæaque templa reducas,
Davidico in ſolio, nullo prohibente, ſedebis,
Magnificâque manu ſceptrum regale tenebis.
Tendenturque tui latè moderamina regni
A Phariâ tellure Euphratis ad uſque fluentum
Palmiferi, ulteriuſque etiam dominabere, nullum
Incu-

Incutiet tum Roma tibi Cæſárve timorem.
Olli ſedato reſpondit corde redemptor :
Arma virûm geſtata manu ſpecioſa dediſti
Ante oculos ſpectanda meos : queis tempora longa
Formandis data ſunt : minimo ſed tempore rurſus
Mox pereunt, & fracta putri ſparguntur arenâ,
Multaque de regnis, deque auxiliaribus armis,
Et de fœderibus, belliſque inſignia dicta
Ore emiſſa tuo noſtram ſonuêre per aurem.
Sint licet illa ſtupor mundi, mihi vana videntur.
Sedulitate opus eſt, dicis, rebuſque gerendis
Inſtare, aut veterum prædicta evanida vatum
Cum ventis abeunt, nec habebis nobile nomen.
Noſtrum haud tempus adeſt, (longè tibi tempus abeſſe
Hoc tu optare velis) antehac tibi talia dixi.
Aſt ubi tempus erit, non ſegniter illico juſtum
Munus obibo, tibi hoc ne ſit dubitabile, nec tum
Conſiliis armíſve tuis, quæ debile robur
Arguerent, opus eſſe mihi tum crede futurum.
Fratres ergo meos redimendum eſt, nomine quos tu
Hoc vocitas ; ſervile jugum nunc excutiendum eſt
A tribuum cervice decem, ſi Davidis hæres
Legitimus fieri cupiam, latéque per omnes
Iſacidas proferre mei moderamina ſceptri.
Unde ſed ille tibi zelus novus ? hic ubi zelus
Tunc pro Davidico regno populoque vigebat ;
Cum tu ex adverſo ſteteras, ipſumque tumore
Inflaras, populumque animo numerare ſuperbo
Impuleras ; quo tum ira Dei ſuccenſa per oras
Iſacidûm graſſata fuit, latéque cucurrit.
Cum decies ſeptem ternis cecidêre diebus
Millia cæſa ſimul divinæ vulnere dextræ.
Talis in Iſacidûm gentem tibi zelus & ardor
Tunc erat, & ſimili mihi nunc quoque retia zelo
Sternis, & inſidiis tentas captare doloſis.
At captiva decem tribuum numeroſa propago
Servi-

Servitii ſibi cauſa ſui fuit ipſa, perennem
Contemnendo Deum, Divoſque colendo profanos,
Numina vana, bovem Phariam, dirum inde Baalem,
Aſtarothumque, alioſque Deos, quos undique gentes
Adſcivêre ſibi, & ſtudio coluêre profano.
Quin ſcelere ante alios fuit ipſa immanior omnes.
Sed nec in exilio tamen imploravit acerbo
Sincerâ pietate Deûm, quem pectore puro
Antiqui coluêre patres; ſed ſordida fœdis
Immoritur vitiis, ſimilem poſt fata relinquens
Progeniem, quam non aliis à gentibus ullæ
Diſtinxêre notæ præter præputia vana.
Nam vanis verum illa Deum conjungere Divis,
Atque Jovi miſcere Jovam ſcelerata ſolebat.
Ergo hos infeſtis defendere ab hoſtibus armis
Cura ſit ulla mihi, qui ſi ſua prædia rurſum
Acciperent, rurſum in ſcelus omne repente ruiſſent
Præcipites? quos non ſcelerum dolor ullus adurit:
Betheliſque Deis iterum daniſque litaſſent
Thure novo reduces. Servire hos hoſtibus æquum eſt,
Per ſimulachra Deo queis eſt ſervire voluptas.
Rurſus at ille tamen noto ſibi tempore tandem
Abrami veteris memor, hos, ubi criminis atri
Pænituit, revocare volet, ſalvoſque reducet
Aſſyrium ſcindendo vadum, natalia patrum
Regna iterum ut repetant plauſu fremituque ſecundo.
Ut rubrum Oceanum Jordanis, & alta fluenta
Diſſiderat, dum regna patres promiſſa petebant.
Hanc igitur curamque Deo tempuſque relinquo
Sic Stygio regi rex inclytus Iſacidarum
Rettulerat, fraudeſque ſacro ſermone refellit.
Sic agitur, cum falſa parant contendere veris.

Finis Libri Tertii.

Paradisus Recuperatus.

Liber Quartus.

TUrbidus atque animo vexatus & anxius astat,
Successuque dolet fraudem caruisse malignam
Tentator, verique extinguere lumina nescit.
Occultum patuisse dolum & spem protinus omnem
Cum rapidis abiisse notis, nec mellea linguæ
Dicta suæ valuisse dolet, queis traxerat Evam
In laqueos, verum hunc studio tentavit inani.
Eva sed Eva fuit: longè est hic robore major,
Quo superante dolens damnat temeraria cœpta,
Quod tam fortem agressus erat tam robore firmum
Viribus imparibus, venturi improvidus augur.
Ut cui nemo hominum liquidæ par arte palæstræ
Creditus ante fuit, postquam est superatus ab illo,
A quo se minimè superari posse putabat,
Laudis amore tamen, stimulisque accensus amaris
Invidiæ ad pugnas iterumque iterumque recurrit,
Quamlibet usque novos hosti exhibet ille triumphos,
Nec cessat renovare suum sine fine pudorem.
Utque examen apum calcatas rursus ad uvas
Advolat, & quoties expellitur inde recurrit,
Plenaque labra novis circumvolat usque susurris.
Ac veluti timidæ scopulus cum assultibus undæ
Tunditur, unda licet confracta recedat, inanes
Mox conversa novat fremitus, iterumque repulsa
In spumas bullasque leves evanida transit.

Sic Satanas, quamvis tam sæpe repulsa repulsam
Insequitur, quamvis pudor obmutescere cogit,
Perstat in incœpto, stolidâque cupidine flagrat,
Assultusque suos renovat, victusque rebellat.
Tunc generis nostri columem firmamque salutem
Montis ad Hesperium duxit latus, unde videret,
Perspicuoque alium lustraret lumine campum,
Qui longus, non latus erat, quem pontus ab Austro
Alluit, atque pari spatio, qua prospicit Arcton,
Crevit in innumeros, frondosa cacumina, montes;
Urbibus atque arvis pariter qui umbracula præbent,
Oppositque suo Borealia frigora pellunt.
Hinc autem in medio fluviali abscinditur undâ,
Ad cujus geminas hinc atque hinc ardua ripas
Urbs stetit, imperii sedes, & turribus altis,
Magnificisque poli petit aurea culmina templis.
Porticibus decorata nitet, pulchrisque trophæis,
Et regum augustis domibus, statuisque decoris,
Septemque una sibi muro circumdedit arces.
Atque triumphales arcas, & balnea, rivos,
Floricomosque hortos habuit, lucosque virentes,
Qui vicêre suis montana cacumina ramis.
Sed quæ mira parallaxis, quæve optica vitra,
Quodve Telescopium humanos transmittere visus
Tam vastis poterat spatiis, inquirere vanum est.
Et jam tentator sic voce silentia rupit.
Urbs ea, quam cernis, Roma est, pulcherrima rerum
Tam vastum complens spatium, reginaque mundi
Tam famâ celebrata suâ, ditata trophæis,
Quæ populata tulit de gentibus undique cunctis.
Cætera cuncta super capitolî nobile templum
Tarpeio in saxo, quod vi superabile non est,
Ecce caput sublime vides attollere Cœlo.
Ecce Palatinas, augusta palatia, rupes:
Fabrica vasta quidem est, alto caput insita Cœlo;
Artifici formata manu, flammasque profundunt,
Fulgi-

Fulguribusque micant rutili laquearia tecti.
Multaque præterea speciosa & splendida tecta
Tecta ipsis habitanda Deis; tantâ arte tetendi
Hoc microscopium aërium, spectanda patescunt
Extra oculis intraque tuis, nitidæque columnæ,
Artificique manu laquearia marmore, cedro
Atque ebore in varias auroque excisa figuras.
Hinc oculos converte tuos ad limina portæ:
Agmina quanta ruunt venientia? quanta regressus
Condensant redeundo suos? Proconsul & illic
Prætor, quisque suas, peragenda ad munia, sedes
Aut repetunt, aut huc redeunt decorante lacernâ
Purpureâ, & lictor cum fascibus imperiosis.
Hic quoque multa ruit legio, multæque cohortes;
Hic equitum innumeræ volitant denso agmine turmæ,
Aut huc legati extremis telluris ab oris,
Quam varii linguis habitu tam vestis & oris
Adveniunt, quorum via curribus Appia trita est,
Æmiliámve suis onerant quassantque quadrigis.
Quorum aliquos calidi proficisci cernis ab Austri
Partibus extremis, ab adustâ sole Syene
Lampas utrimque suas ubi Phœbi exporrigit umbras,
Et Meroe, quam Nilus aquis ingentibus ambit:
Ast aliqui à Zephyri veniunt regione, ubi Bacchus
Regia sceptra gerit nigrantis ad ostia Mauri.
Arsacidum à validis etiam huc, Asiæque tyrannis
Nonnulli adveniunt, Indique à littore regni,
Et Chersoneso quæ divite cingitur undâ,
Taprobnæque arvis, quæ est ultima fluminis Indi
Insula, procedunt humiles cum supplice gestu
Nigrantes niveo vultus decorante galero.
Huc etiam à Gallis, à Gadibus atque Britannis
Hesperiâ in regione sitis, à frigore ponti
Huc veniunt Scythici, Germani & littoris oris,
Atque aliis gelidæ campis glacialibus Ursæ
Ultra Danubium spatiosi ad flumina Tauri.

Cuncta hæc regna ſimul Roma, en, Regina gubernat,
Romanuſque ſuo Cæſar ſub jure coërcet.
Cujus tam varias vaſtæ telluris in oras
Porrectum imperiū eſt, quod moribus, artibus, armis,
Viribus atque opibus celebrique per omnia regna
Nomine jure queas Partho præponere ſceptro.
Hæc duo ſi excipias, ſunt cætera vilia ſceptra,
Atque oculis vix digna tuis ſpectarier, inter
Exiguos diviſa tuâ regione remotos
Reges, exiguos, regum vix nomine dignos.
His tibi monſtratis jam viſibus, ecce, pateſcunt
Omnia regna tuis, atque omnis gloria mundi.
Cæſar ſtirpe carens eſt annis obſitus, annis
Obſitus, & fœdâ calet ille libidine pectus.
Et jam Roma abiit, Caprearum & clauſus in antro
Exiguo, at validi ſepto munimine ſaxi
Delitet ille ſenex campani ad littoris undam,
Ut ſatiet, nullo prohibente, cupidine mentem.
Publica curarum ſocio ſcelerumque miniſtro
Committit, tamen hoc etiam formidat ab ipſo,
Omnibus atque aliis odio eſt, oditque viciſſim.
Quam facilè ergo tibi eſt, tibi, cui non regia virtus
Ulla deeſt, nunc te cupienti oſtendere mundo
Deturbare ferum hoc ac deteſtabile monſtrum
Sublimi à ſolio, quod haræ jam nomine dignum eſt?
Et poſtquam hoc ſolio es ſceptroque potitus, ab arcto
Solvere colla jugo miſeri ſervilia vulgi?
Tu potes illa meo auxilio præſtare, poteſtas
Hæc mihi namq; data eſt, atq; hanc tibi munere dono.
Nil minus ergo tibi, quam totum ſubdere mundum
Propoſiti ſit meta tui, atque altiſſima tenta
Conatu ſuperare tuo: ni altiſſima tangas
Davidico haud poteris ſolio diſcumbere, vel mox
Inde iterum detruſus eris, quodcunque priorum
Concinuêre libri per tot jam ſæcula vatum.
Filius ergo Dei ſedato corde regeſſit.

Sed neque regificum decus hoc ſplendorque ſuperbus
Luxuriæ, falſo quæ magnificentia dicta eſt
Nomine, plus armis noſtros captivat ocellos,
Nedum animum, quamvis epulas ſuperaddere pergas,
Structaque magnifico convivia lauta paratu ;
Ex ebore appoſitis pretioſo aut marmore menſis.
Ipſe audivi etiam, & legi fortaſſe Calenum,
Setinum, Cretenſe merum, Chium atque Falernum.
Factaque chryſtallo nitido, rutiloque metallo
Pocula, flammiferis gemmis nitidiſque lapillis
Obſita, queis animum ſperes invadere noſtrum,
Dum ſtimulat me ſæva fames, ardorque bibendi.
Dein à finitimis populis, longéque remotis
Tu mihi legatos voluiſti oſtendere miſſos
Quale decus, vel qualis honos, conſumere tempus,
Dum ſedeo, atque meam vacuis ego vocibus aurem
Commodo, blanditiiſque externæ gentis adulor,
Quorum immenſa cavi ſpirant mendacia folles ?
Dein mihi Romano de Cæſare dicere pergis,
Quam facile ille queat, quantâ cum laude domari,
Tu quoque me dirum hoc ac deteſtabile monſtrum
Pellere poſſe refers ; quod ſi quoque dæmona dirum
Expulerô, hunc tale facit qui evadere monſtrum ?
Torqueat hunc meritis intus mens conſcia pœnis :
Non ego miſſus eram hunc ſolio detrudere celſo,
Nec populi, qui victor erat, cervice catenas
Excuſiſſe graves, qui nunc dejectus ab alto
Fert merito ſervile jugum, vincliſque tenetur,
Peſtiferique jacet preſſus ſub jure tyranni.
Nam modo juſtus erat, mitis, frugalis, & iram
Addidicit frænare ſuam, genteſque propinquas,
Semotaſque procul magnâ cum laude ſubegit.
Sed nunc imperii moderamina laxa remiſit,
Suppoſitoſque ſibi populos jam ferre coëgit
Servitii juga ſæva gravis, devictaque regna
Luxuriâ premit, & ſævas ſine lege rapinas

Exercet, ſine lege ruit, ſpoliatque trahitque.
Ac primum ardeſcens vanâ ambitione triumphos
Egit, & in titulos nimium inſanivit inanes.
Deinde etiam crudelis erat, geſtitque cruentas
Pugnantes ſpectare feras; homineſque cruentis
Objectare feris, fœdâque cupidine pectus
Copia torret opum, & gazæ ſine fine repôſtæ,
Cumque auro furioſus amor quoque creverat auri.
Atque cupidineis ſpectacula ſcenica flammis
Pectora ſuccendunt, venerem nudantia fœdam,
Oſtenduntque palam ſocii myſteria lecti.
Quis ſapiens vel magnanimus fregiſſe catenas
Degeneris vellet populi, qui ſponte ſubibant
Hoc ſervile jugum, aut externa reſolvere vincla
His cupiat, queis pectus ineſt ſervile, ſuiſque
Qui ſe ſubjiciunt vitiis, ceu vile ſcabellum?
Ergo ubi Davidici ſolio conſidere regni
Maturum mihi tempus erit, ne neſcius erres,
Quod mea ſacra manus capiet venerabile ſceptrum
Arboris inſtar erit, vaſtamque exporriget umbram,
Immenſumque ſuos ramos diffundet in orbem,
Aut inſtar ſolidi moderamina cætera ſaxi
Comminuet, frangenſque ſuâ ſub mole reſolvet
Cunctorum in cineres ſceptra & diademata regum,
Quiſquis ubique caput rutilo circumdatur auro.
Nec tum finis erit noſtri vel terminus ullus
Imperii, auxilium nec deerit: quale ſit illud,
Nec tibi ſcire opus eſt, nec me tibi dicere fas eſt.
Ergo pudore carens tentator denuo reddit:
 En, ego quæ obtuleram tu reſpuis omnia, quodque
A me oblata forent, ideo ſpernenda videntur:
Difficili gratum eſſe homini nihil undique poſſit,
Aut nihil eſſe magis, quam contradicere, gratum.
At contra interea, ne tu fors neſcius erres,
Tanti oblata tibi facio dona, æſtimo tanti
Ut gratis ea nemo ferat, quicunque ſit uſquam,

En

En ego dono tibi vasti regna omnia mundi,
Quæ tu cunque vides in stigmate temporis uno,
Nam donata mihi do cuilibet, haud leve donum :
Verum hac lege tamen, donandi hæc certa tenenda est
Conditio, si fortè meos procumbere supplex
Ante pedes, dominumque tuum me agnoscere velles.
Hoc leve fac, cuncta hæc moderabere, me minor uno.
Ecquid enim levius donum tam insigne meretur ?
Cui tum indignanti sic rettulit ore salutis
Anchora, spesq; hominum, & firmum tutamen Iesus :
Nunquam grata tuæ fuerant mihi dicta loquelæ,
Et multo tua dona minus, sed abominor ambo
Nunc magis, audaci cum non dubitaveris ore
Talia dicta loqui, & talem præscribere legem.
Sed patienda tamen patior, dum temporis illa
Transeat hora brevis, qua me oppugnare malignis
Fraudibus atque dolis, & sternere retia passim
Te pater ille sinit magni regnator Olympi.
Præceptum hoc aliis cunctis præponitur ; unum
Tu venerare Deum, ac unum reverenter adora :
Nec tamen hoc immane nefas te audere pudebat,
Sollicitare Dei natum, ut te pronus adoret.
O sacrum ante caput, multoque sacratius, ex quo
Hoc dirum scelus ausus eras, immanius illo,
Quo quondam in laqueos Evam tua lingua dolosos
Traxerat, alliciens misto cum melle veneno ;
Blasphemumque magis, cujus te pœna manebit.
Sunt donata tibi vasti regna omnia mundi,
Sed potius permissa tamen ; quæ jure sine ullo
Invadis : nemo est testis tibi, quo tua jura,
Imperiique tui titulum defendere possis.
Si donata tibi fuerant, tibi quis dedit illa ?
Quis? nisi Rex regum qui regnat in omnia solus ?
Si donata tibi, qua tu mercede datorem
Compensas ? sed mens dudum tibi grata perivit.
Usque adeóne tibi timor & pudor omnis abivit,

Ut tu divino obtuleris hæc omnia nato,
Ut mea dona mihi obtuleris tam fœdere diro,
Si supplex humilisque ego te ceu numen adorem?
Ergo facesse procul nunc indiciis manifestis
Proderis ille malus, Satanas damnatus in ævum.
Cui tunc attonito sic rettulit ore pavescens
Spiritus infernus; Ne jam tua sæviat ira,
Nate æterne Dei, quanquam gens incola Cœli
Ipsum hoc nomen habent,hominumq;hoc tota propago
Nomen habent, natique Dei dicuntur utrique;
Si tentare volens aliis præne omnibus uni
Competat ille tibi titulus, te hoc posco tributum,
Quod mihi persolvunt homines, atque æthere nati
Tetrarchæ ignis, aquæ, terræque ac aëris, & me
Omnis ubiq; Deum gens invocat, hunc quia mundum,
Infernique domos piceas ego tempero regni.
Qui sis ergo meum est omnino inquirere, cujus
Adventus mihi fata parat, tristemque ruinam.
Tentamenta tibi nihil hæc nocuêre, sed ingens
Hinc potius tibi crescit honos & gloria famæ.
Emolumenta mihi nulla hinc aut commoda surgunt,
Quando incœpta scopum minimè tetigêre petitum,
Quin transire sinas ea quæ transire necesse est
Regna orbis terrarum, ego nil tibi consulo, si fors
Lucrari libet illa, licet, vel despice sodes.
Tuque videre aliud plus, quam diademata mundi
Quærere, cum studii rapiare ardore profundi,
Et sublime aliquid tacito sub corde volutes,
Ut præcox tua cura docet, studiumque sciendi,
Cum tacitè ex oculis fugiens genitricis, in alti
Ardua templa Dei, comitanti nemine, solus
Intraras, & post fueras inventus ibidem
Inter honore graves simul atque ætate Rabinos,
Multa & mira loquens, Mosis dignanda cathedrâ,
Atque docens cunctos alios non doctus ab ullo:
Nam præsaga viri dat prima puertia signa,

Ut dat signa oriens venturi Aurora diei.
Comparet ergo tibi sapientia nobile nomen,
Atque extensa tui cum sint pomæria regni
Tam latè, imperioque tuo sit terminus orbis,
Sic orbem quoque totum animo comprende, capaci
Ingenio rimare & circumplectere mundum.
Omnia non Mosis sacrata volumina, nec quæ
Concinuêre suis vatum pia turba libellis,
Comprendunt. Etiam gentes persæpe profanæ
Plurima compererant rationis lampade ductæ,
Atque aliis orbæ ducibus mysteria mundi,
Et mersum obscuro tenebrarum in gurgite verum
Eloquiis docuêre suis, docuêre libellis.
Quinetiam populis te consociare profanis,
Ut tibi persuasi subeant tua jura, necesse est.
Hos nisi tu doceas, consortia quomodo tecum
Hi ducent alterna? aut tu sociaberis illis?
Queis argumentis aliter tu idola refelles,
Et paradoxa patrum multis jam credita sæclis?
Errorum aut tenebras dispelles lumine veri?
Error nempe suis ritè ipse refellitur armis.
At prius aërio quam à culmine descendamus,
Nunc oculos tende in Zephyros, Austrique tepentis
Imbriferam percurre plagam nunc lumine, qua se
Incipit Hesperias sensim deflectere in oras.
Urbs antiqua, vides, pulchris innixa columnis,
Littore in Ægæo posita est; clementia Cœli,
Fertilitasque soli, gratam facit omnibus illam.
Illa est doctæ, oculus Graiæ telluris, Athenæ,
Artium & eloquii genitrix, & candida nutrix
Ingeniis matérve bonis, dulcesque recessus
In gremio formosa suo & sua mœnia circum
Suppeditat, gratasque vias umbrasque studenti.
En ibi sylvam, oleis Academi quæ sata densis:
Umbra Platonis erat, dulcis Philomela ubi longos
Flet soles, modulosque suos sub sydere Cancri

Integrat, & blandis latè loca queſtibus implet.
En, ibi ſunt ſaltus ſemper florentis Hymetti,
Grex ubi vaſtus apum, dum murmur amabile fundunt
Ad ſtudia accendunt animum. Se Iliſſus ibidem
Jucundo volvit ſonitu, blandéque ſuſurrat.
Aſpicis, ecce, ſcholas veterum, quas inter & ejus,
Ejus, Alexandri ingenium qui nobile doctis
Artibus imbuerat, quibus ille inſtructus in orbem
Extendit ſpatioſa ſui pomæria regni.
Ecce lycæa vides illic, ſtoamque decoram;
Illic aure bibes, diſces quoque ſuaviter illic
Harmonicos reſonare manu linguâque ſuſurros.
Et varios cantare modos, & pollicis ictum
Æolii, lyricæque ſonos dignoſcere muſæ.
Atque illum reliquis qui vitam artemque miniſtret,
Quamlibet ipſe ſonet multo graviore cothurno,
Nempe Meleſigenem cæcum qui hinc dictus Homerus
Cujus Apollo pater carmen ſibi vendicat altum.
Poſt quoque quæ altiſoni quondam docuêre tragœdi
Addiſces celebrata choris vel carmine Jambo,
Qui dederant præcepta ſuis moralia metris
De fato, de fortunâ, vitæque caducæ
Alternis vicibus, nec non ſublimia facta,
Sublimeſque animos alto cecinêre cothurno.
Dein ad præclaros avidam tu rhetoras aurem
Inclina, quorum eloquium mirabile duxit
Quo voluit democratici jura aſpera regni;
Perque urbes Graias tonitru reſonaverat alto.
Ad Macedûm terram, ſolio qua ſedit avito,
Septriferamque manum vibraverat Artaxerxes.
Hinc adhibe linguæ cupidam tu graviter aurem
Philoſophæ, è Cœlis humiles quæ venit in ædes
Socratis, ecce domus magni non alta coloni.
Qui præ aliis ſapiens fuerat vel judice Phœbo,
Cujus mellifluo manantia flumina ab ore
Implevêre ſcholas veteres pariterque recentes:
Illarum

Illarum una trahit Stagiritæ à nomine nomen ;
Altera sed peperit Epicuri de grege porcos,
Tertia Stoa viros vultuque & veste severos
Protulit. Hæc tecum loca per deserta remotus
Humano procul aspectu, vel si tibi cordi est,
Volve domi, tecumque animo perpende sub alto,
Dum matura dies regni tibi tradat habenas
Nobilis, illa tui te dogmata reddere regem
Cum valeant, aurem his adhibe ; sic omine fausto
Alta petes, sic aptus eris succedere regno,
Imperiique tui melius moderabere frænos.
Cui tum humana salus prudenti reddidit ore :
Talia nulla latent animi clarissima nostri
Lumina, ne hoc dubita, quod si tamen illa laterent,
Non tamen ignoro, quæ noscere debeo, quisquis
Haurit ab arce poli lumen de fonte perenni
Luminis ille aliâ doctrinâ haud indiget ullâ,
Quamvis vera foret : verum hæc tantummodo falsa,
Fictaque in innumeras mera sunt insomnia formas,
Et commenta animi nullo nitentia fulcro.
Primus enim ante alios longè qui excelluit omnes
Ingenii virtute sui, se sponte fatetur
Nil nisi scire nihil se, noscere : proximus illi
Fabellas & ficta suis miracula scriptis
Edidit ; ast alii absurdis dubitare docebant
Omnia certa libris, sensus licet ipse reclamet.
Virtutemque homines alii dixêre beatos
Reddere posse, opibus longævæ & tempore vitæ
Si comitata venit : Epicuri de grege porci
Crediderant primum esse bonum servire culinæ,
Et veneri, & curis vacuam traducere vitam.
At bona prima putat mentis vesana superbæ
Somnia, quæ verbo affirmat, vitâque refellit
Stoicus : Hæc illi sola est atque unica virtus.
Illo vir sapiens qui judice creditur, in se
Perfectus, fœlixque manens habet omnia solus,

Æqua-

Æqualisque Deo est : posito sic vana pudore
Verba volant, non ulla Dei non ulla virorum
Hunc movet à recto reverentia, gaudia spernit,
Spernit opes, tormenta, metus, formidine mortis
Non quatitur, vitamque haud æstimat ille caducam,
Vitam, quam facilè ille potest, ubicunque libebit,
Ponere, si modo vera refert, nec inania jactat.
Sed ventosa animi sunt hæc deliria vani,
Atque sophisma merum veri sub imagine fallens,
Ne sua cogantur manifestè errata fateri.
Hei mihi ! quid nisi vana docent atque absona vero ?
Qui sibi non ipsi noti, at multo est minus illis
Cognitus ille pater magni regnator Olympi.
Sed nec prima novi nôrunt exordia mundi,
Atque deinde hominem celso de culmine lapsum
Sponte suâ, solâque Dei bonitate redemptum.
Deque animâ varias illi effudêre loquelas,
Virtutemque sibi credunt debere, sibique
Debita divinæ bonitati adscribere gaudent.
Omni at laude Deum spoliant, quin turpiter illum
Fortunam, fatumque vocant errore sinistro,
Nec curare Deûm credunt mortalia quenquam.
Ergo si inter eos sapientia quæritur ulli,
Vel non hanc reperit, falsâ vel imagine lusus
Captat utrâque manu, & nubem comprendit inanem.
Tædia lenta parit multos evolvere libros
Prudentes dixêre viri. Qui multa legendo
Imbibit, attulerit secum nisi mentis acumen,
(Quodq; affert, aliunde hoc quærere cur opus illi est?)
Instabilis, dubius, variâque incertior aurâ,
Multa profunda sciens variis conscripta libellis
Nescius ipse sui manet, errorúmve veneno
Ebrius, & gravibus pro rebus inania vana
Colligit ille manu, justisque notanda lituris.
Ut puer exiguos legit ad vada salsa lapillos.
Si fortè harmonicis vacuas ego cantibus horas

Oble-

Oblectare volo, solatia nonne ministrant
Carmina multa libris veterum conscripta virorum,
Abramidûm qui à stirpe sati! lex atque prophetæ
Magnâ ex parte sui sparguntur dulcibus hymnis,
Altaque Davidici gravitas splendorque cothurni
Oblectat, mirâque trahit dulcedine mentem
Hebræi cantus adeo victoribus ipsis,
Ac dulces placuêre lyræ Babylonis in oris,
Ut pateat Graias, mundi miraculum, Athenas
Hinc artes hausisse suas, quas impia vatum
Gens veterum est imitata suis, ut simia, libris.
Cum cecinêre Deos fabellis, cantibus, hymnis
Ridiculos, ipsique suum persæpe pudorem
Prodiderant, quorum in variis speciosa libellis
Fulgent, & nitidis decorantur epitheta formis,
Fucus ut impuræ vultum meritricis adornat.
Hæc rapiunt splendore animos, hæc præter in illis
Versibus utilitas rara est & rara voluptas.
Quanto igitur sapidis magis hæc jucunda palatis
Carmina, queis templum resonat sublime Sionis?
Nam Deus, atque Deo similes ibi carmina blandis
Suppeditant jucunda lyris; sanctissimus ille
Sanctorum pater altisonis ibi dicitur hymnis,
Laudanturque patris magni de stirpe creati.
Hos Deus afflavit cœlesti numine, non tu
Talibus autor eras, fraudis scelerumque minister.
Ethica nonnunquam gentes sermone diserto
Dogmata prodiderant, naturæ lampade lucem
Ostendente aliquam; cujus scintilla superstes.
Horum oratores multis tu ad sydera tollis
Laudibus, eloquio celebres, patriæque parentes,
Qui nosse imperii moderari fræna videntur:
Hac in parte tamen divinis vatibus illi,
Quos docuit rex ipse poli, concedere debent.
Hi bene dispositi docuerunt dogmata regni
Simpliciter meliore stylo & graviore cothurno

Rhetoribus, quos Roma sinu vel Græcia favit.
Clarius illorum docuêre volumina, quæ non
Difficilis didicisse labor; quid regna beata
Efficiat servetque simul, regnisque ruinam
Quid pariat, pulchrasque solo quid straverit urbes.
Hæc lex nostra docet fieri moderamine regis.
Filius hæc divinus ait, sed rector Averni
Attonitusque stetit, stupidusque dolore repulsæ,
Omnia namque suæ consumpsit tela pharetræ.
Tunc sic fronte ferox benedictum affatur Iesum:
Cum tibi nullus honor, nec opes, nulla arma, nec ullū
Imperium regnúmve queant convertere mentem,
Aut memorata mihi magni meditatio fervens
Ingenii, vel vita suis celeberrima factis.
Cum tibi contemptum jaceat venerabile nomen,
Conspicuumque decus famâ super æthera notum:
Quid facis in mundo hoc? loca sunt aptissima certè
Ingenio deserta tuo. Tu inventus es illic,
Atque illuc iterum te nunc ego jure reducam.
Hæc mea dicta tamen memori tu mente teneto,
Quæ tibi veridico nunc præscius ore profundo.
Maxima, crede mihi, dabitur tibi causa dolendi,
Auxilium sprevisse meum, quod ferre volebam,
Quod te Davidici poterat cito figere regni
In solio, totumque etiam tibi subdere mundum.
Nam tu nunc plenis vegetusque & floridus annis,
Et plenum tibi tempus adest, oracula vatum
Quo dixêre tibi venturum nobile regnum.
Nunc ex adverso (mea si solertia quidquam
Per Cœlos prænosse potest, si regia Cœli
Significat venturum aliquid, magnumque volumen
Stellarum varios cursus variosque recursus
Dum peragit, mutátve suas repetítve choræas)
Te dolor atque labor inimicitiæque molestæ,
Te manet ira, odium, ludibria, scommata, risus,
Et plagæ cum vulneribus, dein funus acerbum.
Regnum

Regnum hæc visa tibi portendere : quale sed illud ?
Regnum allegoricū, an verum ? haud discernere possum.
Nec quando, æternum est igitur, prout fine carebit,
Principio sic nempe caret ; non terminus ullus
Illi in stelligeri fastis præfixus Olympi.
Hæc ait, atque Dei natum (jus omne nocendi
Non penitus demptum esse sciens) attollit, & umbras
In nemorum horrentes, atque arida tesqua reducit.
Atque ibi deseruit, tenuesque recessit in auras.
Jam tenebræ surgunt, Phœbo fugiente sub undas,
Umbris obductæ piceis, noctemque reducunt.
Hæc genitrix, hæc est soboles, verum utraq; nil sunt
Lucis & auricomi nisi tantum absentia Phœbi.
Tunc humana salus, animo non turbidus imo,
Post cursum aërium, membris licet omnibus esset
Vexatus, nullâque famem relevaverat escâ,
Nec potando sitim, tacitâ sub nocte per herbas
Procubuit, blandamque dedit per membra quietem
Qualibet, arboreæ subter complexibus umbræ
Alternis, quibus ille queat defendere tutum
A nebulis & rore caput per tempora Lunæ.
Sed frustra defensus erat, nam pervigil ejus
Assistit capiti stygii rex dirus Averni,
Atque illum horrificis somni sub imagine visis
Terrificat, blandam cupiens turbare quietem.
Jam tropicus Cancri simul & tropicus Capricorni
Horrendis fremuêre sonis, diversaque Cœli
Nubila terrificis solvêre micantia flammis
In pluvias, atque unda rapax & fervidus ignis
Conglomerant, mixtâque simul cecidêre ruinâ.
Nec sopor altus habet tacitos sine murmure ventos,
Nec se marmoreis tum continuêre cavernis :
Sed se à cardinibus Cœli effudêre quaternis.
Una Eurusque notusque ruunt, creberque procellis
Africus, & Boreas, & brachia densa flagellant
Sylvarum, pinusque trahunt à stirpe revulsas,

Quamlibet hæ quantum tollunt ſe vertice ad auras
Ætherias, tantum radice in Tartara tendunt.
Et ſua robuſtæ movêre cacumina quercus
Imbrifero vexata noto, aut à ſtirpe revulſæ
Corruerant. Male tectus eras, mitiſſime fili
Æterni patris; in medio tamen ipſe tumultu
Inconcuſſus eras: ſed non terroris habebant
Hæc ſatis; infernæ furiæ, ſtygiique ceraſtæ
Te circumſteterant denſi, miſeroque ululatu
Pars fremit, horrificis alii ſtrepuêre ſuſurris,
Pars alto clamore ſonant, pars flammea tela
Direxêre tibi, dum tu ſecurus & expers
Interea terroris eras in pace beatâ.
Sic nox acta fuit tenebris denſiſſima, donec
Pulchra Aurora ſuos attollit ab æquore vultus,
Quæ radiante manu clamoſa tonitrua placat,
Collectaſque fugat nubes & murmura venti
Sedat & horrificis pellit ſimulacra figuris,
Queis natum exagitare Dei rex dirus Averni
Tentavit, mediæ per opaca ſilentia Lunæ;
Et jam Sol radiis majoribus undique terram
Illuſtrat, ſiccatque humentes undique plantas,
Arboreaſque comes: volucres jam cuncta videntes
Arridêre novo circum viridantia vultu
Poſt tam terriſonas piceâ ſub nocte procellas,
Suaviſonis cecinêre modis, ramoſque per omnes,
Ac dumos dulci reducem clangore ſalutant
Auroram: tamen haud media inter gaudia, quæ nox
Reddit abacta polo ac terræ, Phœbique recurſus,
Rex tenebrarum aberat; lætâ quoque fronte videtur,
Mutatam in melius faciem jam cernere rerum.
Et rurſum humanæ columen petit ille ſalutis.
At non fraude novâ armatus, nam cuncta pharetræ
Conſumpſit jam tela ſuæ; nam vincere nullâ
Quandoquidem ratione poteſt, nunc omne venenum
Evomit, & rabidæ jaculatur toxica linguæ

Vexatus

Vexatus graviterque dolens tam sæpe repelli.
Hunc videt aprici peragrantem culmina montis,
A Boreâ & Zephyro densæ qui tegmine sylvæ
Cingitur, hic solitâ tunc protinus ecce figurâ
Emicat in medio, & verbis mox ille superbis
Rettulit hæc, animo quasi non cruciatus in imo.
Pulchra Aurora nigræ post horrida tempora noctis
Nate Dei successit adhuc: hos aure sonoros
Audieram frèmitus, quasi miscerentur in unum
Terra polusque simul: longo tamen intervallo
Ipse aberam: hi sonitus quamvis mortalia corda
Terrificent, quasi regna poli ruitura fuissent:
Aut velut ex imis terra eruta fundamentis
Mox lapsura foret, magno hæc tamen omnia mundo
Nil obsunt; prosunt potius, sic & microcosmum
Vanescens subito nil sternutatio lædit.
Sæpe tamen quacunque cadunt dant undique stragem,
Arboribus pariterque satis, pecorique virisque.
Et præsaga hominum rebus persæpe ruinam
Consimilem, quorum supra caput illa fragorem
Terrificũ ingeminant atq; horrida murmura miscent,
Portendunt, persæpe mali dant signa futuri.
Nám grassata fuit per tesqua hæc arida tantum
Tempestas sine lege furens, irasque profudit,
Et tibi soli hominum, nam tu nunc solus oberras
Hæc loca sola, suæ furias intenderat iræ.
Predixíne tibi, si tu contemnere velles
Auxilium, quod nunc tibi ferre in tempore conor,
Quo tibi decretum solium conscendere possis:
Si tua fortè tui permittas omnia fati
Arbitriis, incertus eris, quo tempore tandem
Davidici in solio dabitur considere regni.
Nam neque quando tui capies moderamina sceptri
Usquam predictum est, neque quomodo, scilicet ergo
Decreti imperii certè moderamen habebis,
Nempe quod angelicæ prædicunt talia linguæ.

Sed

Sed ratio, tempusque latent ; rectè omnia fiúnt,
Non quando fieri debent, verum optima cum se
Fronte capillatâ capiendam occasio præbet :
Hanc nisi tu arripias, præsagus ut ipse monebam,
Te labor & mala dura manent, sævique dolores,
Ante manu Isacidûm quam possis prendere sceptrum.
Hoc tibi portendit variis nox horrida monstris,
Multa modis simulacra ferens volitantia miris,
Ingeminansque gravem toties sine fine fragorem.
Sic ait, at cœptam pergit rectoris Olympi
Filius ire viam, breviterque huic talia reddit :
Nil patior nisi quod madidum me cernis, ab illis
Nullum ego præteritâ somni sub imagine visis
Damnum aliud perpessus eram, nullumque timorem
Incussêre mihi strepitus sub nocte tremendi,
Qui sonuêre meas iterumque iterumque per aures.
Quid tamen hoc præsaga mali mihi signa minentur,
Non ego curæ habeo : nam à te, non cœlitus illa
Orta fuêre : etenim cum te haud moderamina sceptri
Posse ullâ ratione scias prævertere nostri,
Invisam tu obtrudis opem : si accepta fuisset
Illa, tibi jus omne meum debere viderer,
Spiritus, ambitione ardens, possesque videri
Tu Deus esse meus, rabidamque ardescis in iram
Quod mihi spretus eras, sperans me sub juga sævis
Cogere posse minis : vano indulgere labori
Desine, prævisosque incassum tendere casses.
Ergo furore tumens dæmon sic ore regessit :
Davide nate igitur, generate in virginis alvo,
Aurem adhibe, nam tu divinâ stirpe creatus,
An sis necne, mihi non indubitabile verum est.
Nam de Messiâ vatum prædicta priorum
Audieram, & nemo citius me audiverat ipso
Natalem à Gabriele tuum prædicier, & post
Agmina sydereæ flammis radiantia turbæ
Ore genethliacum sacro tibi dicere carmen :
Teque

Teque hominum generi natam celebrare salutem.
Ex illo, à te oculos vix unquam avertere nostros
Sustinui; teneræ primo te in limine vitæ,
Te puerum, te post juvenem, te deinde virili
Robore fultum avidè intueor, quantumlibet esses
Pauper in angustis laribus, sine nomine, donec
Ad vada Jordanis, populi quo ad lustrica sacra
Undique convenêre simul, quos inter & ipse,
Non tamen ut lustrarer, eram, te ex æthere missa
Voce Dei unigenam vocitari exaudio prolem.
Ex illo mihi visus eras scrutamine dignus,
Perspicere ut possem quâ tu ratione feraris
Filius esse Dei, variè nam sumitur hæc vox.
Filius ipse Dei sum, vel saltem ante fui sic,
Si sic ante fui, sic persto, relatio durat.
Omnis, nata Deo est proles, humana propago,
Te tamen ante alios præclaro hoc nomine dignum
Credideram, ergo tuæ semper vestigia vitæ,
Donec in hæc deserta venis vastissima, lustro.
Hinc argumentis variis ego colligo, per te
Exitium, atque mihi tristes instare ruinas:
Jure hostem ergo meum lustro atque examino, qualis,
Quisque sit ille & quæ prudentia, quæque potestas
Illius, & quo consilio res ille gubernet,
Illum ut colloquio, induciis, vel fœdere vincam,
Illius aut aliquid compilem è robore saltem.
Scrutandi opportuna tui se occasio nobis
Obtulit, atque meis tua sunt impervia telis
Pectora, confiteor, pelagi velut ardua rupes,
Aut Adamas, centrúmve suâ non sede revulsum.
Non tamen ulterior virtus tua; gloria regum,
Et præclarus honos, & opes contempta fuerunt
Antehac, atque iterum fieri quoque vilia possunt.
Ergo alios homines aliquâ virtute stupenda
An superemineas; præque omnibus unus ab alto,
Voce sonante, Dei cur filius esse beati

Dicaris, tentanda nova experientia veri eſt.
Hæc ait, & pennâ ſine remige ſuſtulit illum,
Atque per aërii ſubvexit inania regni,
Trans nemus umbriferū,trans pictos gramine campos,
Donec ſub pedibus ſaxo fundata vetuſto
Urbs Solymæ præclara ſtetit, circumdata muris
Turrigeris, quorum ſuper ardua culmina longè
Altius intumuit, propiuſque admovit Olympo
Ætherio ſublime caput mirabile templum.
Quod procul apparet, niveo quaſi mons alabaſtro,
Culmina cujus erant rutilo radiata metallo.
Hic natum ille Dei, ſacri laquearia templi
Alta ſuper poſuit, verbiſque hæc inſuper addit.
Hic ſta, ſi modo ſtare potes; te hic ſiſtere rectum
Difficilis labor eſt, multamque hoc flagitat artem.
En tectum ad patrium, tectique ad culmina duxi
Te nunc ſumma; animo nam ſumma aptiſſima vaſto:
Da nunc ſigna tui generis: ſi hic ſtare recuſas,
Hinc te præcipita, nam ſacrum hæc verba volumen
Continet; ille ſacris de te Deus ille tuendo
Spiritibus mandata dabit: tolleris in altum
Illorum manibus, ne fortè incautus in ullum
Pes tuus occurrens cæco ruat impete ſaxum.
Cui tum Chriſtus ait, ſacrum quoque verba volumen
Hæc habet; haud tibi fas magnum tentare Tonantem.
Hæc ait, atque ſtetit, ſed rex ſceleratus Averni
Attonitus cecidit, veluti tellure creatus
Antæus (ſic parva licet componere magnis)
Cum Jovis Alcidæ ſoboli contenderat olim,
Sæpe quidem cecidit, vires ſed ſæpe cadendo
Mox recipit, majorque erecto corpore ſurgit;
Quiſquis ineſt terris in feſſos ſpiritus artus
Egeritur, telluſque viro luctante laborat.
Sed tandem aërias altè ſublatus in auras
Deficit atque cadit, ſic &, ſibi nequid in auſum
Aut intentatum ſcelerísve dolíve fuiſſet,

Tentator

Tentator Stygius toties devictus, in illum
Aſſultu ruit uſque novo, ſtruxitque recentes
Inſidias, donec medio in molimine victus
Decidit, unde ſui lapſum victoris, inani
Spe tumidus, palpanſque ſibi, ſpectare putabat.
Atque ut Thebanum cuicunque Ænigmata monſtrum
Propoſuit, ſi non hæc ille reſolvere poſſet,
Deglutitus erat, rabidamque immerſus in alvum.
Aſt ubi qui poſſet tenebroſa recludere dicta
Tandem inventus erat, furiis agitata doloris
Sphinx ſe precipitem ſaxo dejecit ab alto.
Sic cadit attonitus, curiſque ingentibus æger
Spiritus ille malus, ſcelerataque ad agmina, quæ tum
Concilium inferni regni de rebus habebant,
Nuncia mœſta refert, jam ſpem periiſſe priorem,
Interitumque ſibi, miſeramque inſtare ruinam,
Quippe quod auſus erat laqueis circumdare natum
Æterno genitore ſatum molimine vano.
Sic cecidit Satanas ; & mox globus igneus alto
Deſcendêre polo nixi pernicibus alis,
Et Chriſtum plumis durâ à ſtatione receptum
Mollibus attollunt, lætaſque per aëris auras,
Ceu lecto in volitante ferunt, & colle virenti
Deponunt in valle roſis ridente, ciboſque
Ambroſios, fructus vitali ex arbore lectos
Attulerant poſitis dulciſſima fercula menſis,
Et potum ambroſium vitæ de fonte fluentem,
Quæ ſubito vires revocant, & robora nervis
Reſtituunt, lætumque novant per membra vigorem.
Damna ſitis ſic atque famis, jejunia ſi quæ
Atque ſitis damna intulerant, reparata fuerunt.
Angelicique Chori, dapibus dum veſcitur ille
Suaviter ambroſiis, lætos cecinêre triumphos,
Quos hic victor agit de tentatore ſuperbo.
Patris imago tui veriſſima, ſive beato
Illius in gremio poſitus, de lumine lumen

Concipiens, ſeu fortè poli regione remotus
Carnis in hoſpitio latitas, luteique colonus
Fis tugurî, humanâ luſtrans ſub imagine terram,
Seu peragras deſerta, alibi ſeu fortè locorum es,
Tu quocunque moves greſſum, quâcunque figurâ
Appares, quocunque ſtatu motuque videris,
Filius eſſe Dei dignoſcere, robore fultus
Divino adverſus ſtygii molimina regis,
Qui quondam manibus magnum reſcindere Cœlum
Aggreſſus, ſuperiſque tuum detrudere patrem
Sedibus ; ambroſio qui fur erat in Paradiſo.
Hunc debellâſti quondam, cumque agmine diro
Cœlo ejeciſti, deceptumque ultus Adamum es :
Et Satanæ aſſultus ſuperando, tu Paradiſum
Floricomum amiſſum reparas ; victoris Averni
Gloria parta dolis, eſt irrita reddita per te.
Non iterum poſthac Paradiſi in mœnia dulcis
Inferet ille pedem : penitus ſunt retia fracta
Illius. In terris poſitus Paradiſus abivit,
Fundatus tamen eſt melior Paradiſus Adamo,
Atque illo genitis, quos tu nunc, alme redemptor,
Rurſum ut reſtituas, Cœlo deſcendis ab alto.
Curarum expertes ubi ſecurique laborum
Stirps electa hominum, decreta ubi venerit hora,
Perpetuum degent omnes fœliciter ævum.
Tu vero ſtygio veniens à gurgite ſerpens,
Tempus in aërio longum haud dominabere regno,
Autumnale velut ſydus, fulgúrve ſupernum,
Lapſus ab arce poli pedibus calcaberis hujus.
Hoc verum eſſe docent, quæ jam tibi facta fuerunt
Vulnera, ſed graviora tamen,quā hoc tempore,reſtant
Vulnera, mortifero magis inflammata veneno.
Jam tibi geſta vides nullos habitura triumphos
Prælia, Tartarei vulgus miſerabile regni
Auſum immane tuum piceo ſub gurgite deflent.
Poſthac ergo Dei natum reverere perennis.

Sedibus

Sedibus ille tuis vocis terrore ſine armis
Ejiciet, cogetque fugam celerare trementem,
Te ſimul atque tuæ te concomitantia turbæ
Agmina : mox fugient trepido clamore frementes,
Detque ſibi veniam pavido tunc ore rogabunt
Immundos intrare ſues, neu tam cito cogat
In ſtygios properare lacus, & gurgitis atri
Ima, nec ante diem meritas perſolvere pœnas.
Salve O nate Dei, qui regnat in omnia, magni,
O hæres mundi gemini, Satanæque ſubactor.
Eja, age, rumpe moras omnes, & protinus altum
Aggrediaris opus, gentique afferre ſalutem
Humanæ incipias. His hi cecinêre triumphis
Æterno genitore ſati victricia regis
Prælia, qui ſtygii mediis nos faucibus Orci
Hærentes miſeratus erat : dapibuſque refectum
Ambroſiis plauſu ducunt fremituque ſecundo.
Ille viam interea, nullo obſervante, peregit,
Maternamque domum repetit non cognitus ulli.

Finis Libri Quarti.

PARAPHRASIS POETICA IN *JOANNIS MILTONI* Samſonem Agoniſten.

POEMA Dramaticum.

Autore eodem
GULIELMO HOGÆO.

LONDINI,
Anno Domini MDCXC.

PERSONÆ.

Samſon,

Manoa pater Samſonis,

Dalila uxor ejus,

Harapha Gathenſis,

Satelles publicus,

Nuncius,

Chorus Danitarum:

Scena ante carcerem in urbe Gazanâ.

ARGUMENTUM.

SAMSON captivus, cæcus, & jam Gazæ incarceratus, ut illic laboraret tanquam in communi ergastulo, die festo, omnibus à labore cessantibus, prodit in apricum ad locum propinquum, paulò secretiorem, ut illic aliquantisper sedeat & sortem suam delamentetur. Ubi tandem contingit, ut à quibusdam amicis & æqualibus suorum contribulium, qui Chorum efficiunt, invisatur, qui quibuscunque possunt modis illum solari conantur; tum à patre suo annoso Manoà, qui similiter illi consolando diligentem impendit operam, & insuper eum certiorem facit de proposito suo ejus in pristinam libertatem restituendi: & præterea, quod festum hoc edictum fuit a Philistæis in diem gratiarum actionis propter se à manibus Samsonis liberatos, quod adhuc majore ipsum afficit molestiâ. Tum Manoa discedit ad conatum suum prosequendum cum dynastis Philistæis de Samsone redimendo; qui interim ab aliis personis invisitur, & tandem à publico satellite, qui imperet illi ad festum venire coram dynastis & populo, ut in eorum comspectu ludat, aut roboris sui edat specimina. At illi primo quidem haudquaquam persuaderi potuit, ut eorum festo adesset; itaque dimisit satellitem. Postea verò intus in animo persuasus hoc à Deo provenire, unà ire statuit cum satellite, jam secundâ vice, ut eum adduceret, cum minis atrocibus reverso; Choro adhuc eodem loci remanente, Monoa revertitur ingenti spe lætatus filii sui ante longum tempus redimendi: quo adhuc loquente, derepente supervenit Hebræus, primo quidem multum animo turbatus & incompositus, sed postea luculenter narrat catastrophen, quid Samson in Philistæos, & quid per accidens in semetipsum perpetraverit.

Samson

Samſon Agoniſtes.

Sam-ſon. PAulo benignam ulterius extendas manum,
Cæcumque paulò longius greſſum regas,
Nam collis ille ſoli & umbræ accommo-
Illic ſedere ſoleo, cum paulū ocii (dus:
Servilibus me ſubtrahit laboribus,
Quos cogor alias in rigenti ergaſtulo
Totis diebus perpeti, atro ergaſtulo,
Incarceratus auram ubi vix haurio
Incarcerati atque inſalubris aëris.
At hic dolores mitigat noſtros locus,
Ubi aura pura ac dulcis afflat ſuaviter
In Cœlo aperto prima ſub crepuſcula,
Aurora primum luce cum roſeâ polum
Perfundit: ergo hic recreare ſpiritus
Feſſos, & auram haurire dulcem geſtio.
Hodiè recurrit annuum feſtum, Deo
Quod hi marino, quem Dagonem nuncupant,
Celebrant choræis luſibuſque & ocio.
Hinc à labore breviculum ocium gravi
Nunc me reclinat, ſponte non mihi datum,
Sed hoc ab illis quamlibet nolentibus
Extorquet error, qui Deûm ludibria
Sibi ipſe fingeus ritibus vanis colit.
Hunc ergo turbæ ſolus à ſtrepitu procul
Locum remotum inviſo, requiem corpori
Aliquam ut miniſtret, corpori, pars unica
Noſtri quietis quæ capax eſt, nam mea
Mens inquietis uſque cogitatibus
Vexatur, his, ter mille ceu crabronibus

Tinctum

Tinctum veneno spiculum gerentibus,
Invador, in meque irruunt vasto agmine.
Præsentis & peracti imago temporis
Se luctuosa sæpe nobis ingerit,
Quamque ante fœlix, quamque jam nunc sim miser
Subit, dolorque pectus anxium premit.
Bis nostra cur prædixerat natalia
Bis lapsus alto ales minister æthere?
Qui rursus altum in ætherem volaverat,
Et patre simul & matre tum spectantibus,
Sacris ab aris medio in igne victimæ
Mistus sacratæ, flammeo in curru suam
In regna patris subvehens præsentiam.
Atque hoc stupendo mox bonum prædixerat
Instare grande Abramidis miraculo.
De me educando cur sacer tot Angelus
Præscripserat præcepta, ceu Deo forem
Primis dicatus usque ab incunabulis,
Nomenque factis inclytis clarissimum
Habiturus, hic si morior orbus lumine,
Captivus, atque proditus, ludibrium
Linguis, & oculis hosticis opprobrium,
Molamque vinclis ferreis coërcitus
Versare cogor viribus Cœlo datis?
O gloriosum roboris vasti decus
Instar juvenci quod laborem sustinet,
Infraque cuncta mancipia pressum jacet:
Quo nil ubique est vilius: promiserat
Nostris sacratus Angelus parentibus,
Abramidas, me vindice, inimico jugo
Fore liberandos impiæ tyrannidis.
Si quæris ubi sit ille vindex inclytus,
Hunc ad molam inter mancipia vilissima
Gazæ invenire est lumine orbum, hic ipse jam
Vinclis tenetur sub Philistæo jugo.
Sed hic morare paululum, cur cœlitum

Tu

Tu veritatem regis in dubium vocas?
Eventa quod ſi oraculis cœleſtibus
Non diſſonarent, ipſe ni in culpâ forem;
Me præter unum jure quem culpavero?
Qui grande donum hoc roboris mihi datum,
In qua locatum eſt parte quod facile mihi
Raptum eſt, ſacri non vinculis ſilentii
Cohibere poteram, ſed malignæ fæminæ
Illud retexi jurgiis & lachrymis,
Et fæmininis ſubditus clamoribus.
O impotens mens in valenti corpore!
Quid robur autem eſt corporis, ſapientia
Si deſtitutum eſt? pondus immane & grave,
Suique vana turgidum fiducia
Facile dolis quod cedit infirmiſſimis;
Quod non regenda ad regna natum eſt, ſed jugo
Præbere collum, ſceptrum ubi prudentia
Regale vibrat. Mihi parens rerum Deus
Cum robur ingens dederat, hoc ipſum meis
Appendit ille, innexuitque crinibus,
Ut quam levis ſit illa dos oſtenderet.
Sed cur inanes fundo queſtus? non decet
Culpare numen ætheris, mortalibus
Ejus voluntas latitat inſcrutabilis,
Scopumque nobis forſan ignotum petit.
Sed hoc licebit conqueri: robur mei
Fons eſt doloris; & miſerias protulit
Tot atque tantas ſingulis queis non ſatis
Illachrymandis longa vita ſufficit.
Dolor ſed unus omnibus doloribus
Eſt gravior: eheu! lumen amiſſum, tuam
Juſtis dolemus lachrymis abſentiam.
Sum cæcus hoſtes inter: O ſors ferreis
Pejor catenis, tabidâ pejor fame,
Aut carceris ſqualore, vel ſenio gravi.
Lux, quam creavit omnium primam Deus,

Oppressa nobis nocte perpetuâ jacet.
Et quicquid oculos allicit dulcedine,
Aut leniendis utile est doloribus
Procul refugit, periit omne gaudium,
Quodcunque mentem oblectat, & visum capit.
Nec solum hominibus miserior, sed vermibus
Sum, rebus atque vilior vilissimis.
Reptilia serpunt, at vident: ego horridis
Meridianâ in luce tenebris obruor;
Injuriis, fraudi, atque contumeliis
Quotidianis obvius, seu prodeam
Foras, domíve delitescam, ceu parum
Compos fuissem mentis, aliis subditus,
Meique nunquam juris, & media mei
Vix parte vivens, atque semimortuus.
Heu quantis tenebris obruor? has neque
Phœbi fax medium dum peragrat polum
Dispellit: neque spes cernere suppetit
Solis lumen amabile.
O vox ætherii numinis, aurea
Lux exorta micet, quam cito dixeras,
Lux exorta micans protinus undique
Diffudit nitidum jubar.
Primis ergo tuis cur ego dotibus,
Queis Cœli atque soli regna beaveras,
Eheu! Destituor? Sol tenebris mihi
Nigrantique silentio
Horret: Luna velut cum revocat suum
Cæca à nocte pedem: seque recessibus
Includit vacuis, & piceo in specu
Vultum contegit igneum.
Lux quando vitæ commoda est adeo, ut queat
Pœne ipsa vitæ vita dici, si modo
Verum est inesse lumen animæ & singulis
Inesse totam hanc partibus, cur pupulis
Oculi tenellis visus inclusus fuit?

Et

Et tot pateſcit undiquaque injuriis !
Nec ſe per omnes fuderat partes, velut
Contactus, undique poſſet ut diſcernere
Quocunque ſeſe obverteret ? ſic lumine
Non exulâſſem : nec velut circumdatus
Denſis tenebris: luce in ipsâ degerem,
Vitamque ſemimortuam producerem,
Mortemque vivam, & in ſepulchro conditus.
At O ſepulchrum quam miſerabile eſt meum ?
Sepulchrum ego mihi ipſe ſum,
Buſtumque mobile, quamlibet
Sepultus, at non legibus
Fati & ſepulchri, triſtibus
Subtractus à doloribus,
Injuriiſque, ſed magis
Vitæ miſeriis plurimis
Obnoxius vitam trahens
Mœſtam in catenis ferreis
Hoſtilia inter ſcommata.
Sed qui propinquant ? namque junctis greſſibus
Ad me venire huc agmen ingens audio.
Sunt forſan hoſtes, qui miſerias ut meas
Videant, & illas forſan etiam rideant,
(Quales dolores cogor indies pati)
Huc advenire mente ſævâ geſtiunt.
Chor. Hic hic vir ille eſt, ite ſuſpenſo gradu
Pauliſper, & ne temerè nunc irrumpite.
Heu mihi ! Samſon procul hic ab illo
Diſtat, immenſum modo qui per orbem
Fulſit, & Cœli tetigit cacumen
Vertice celſo.
En humi ſtravit generoſa membra
Priſtini cura poſita decoris,
Verticem nullo ſubeunte fulcro in
Graminis herbâ.
Exſpes & cunctis jacet en amicis
Orbus,

Orbus, haud fati melioris ullam
Spem fovens, servili habitu atque trito
Tegmine amictus.
An meos fallax species ocellos
Decipit? talíne habitu videndum
Se dedit Samson, modo tam stupendo
Robore clarus?
Qui feras armis vacuus feroces,
Et manu nudâ domuit Gigantes,
Qui metus expers, rabidi irruentis
Membra leonis
Fregit, imbellem ut leo frangit agnam,
Inque fulgentes galeis phalanges
Irruit nudus: clypeos ahenos,
Ferreas hastas, Chalybum & metallis
Fregit horrentes tunicas, nec ejus
Impetum densæ potuêre turmæ
Ferre ruentis.
Comminus nemo fuit ausus illum
Aggredi, nec se, nisi forsan esset
Eminus, tutum reputavit, atri
Turbinis ritu in medias catervas
Cum ferox ille impavidus ruebat,
Cum catervatim violente dextrâ
Straverat hostes.
Ascalonita illum leonis horridi
Instar ruentem fugit, ac trepidi metu
Vertere terga bellicosi ahenea
Queis institit, pedibusque calcavit ferox,
Solumque mento illos coëgit tangere,
Passimque galeas stravit hirsutas humi;
Tunc fortuitum attollit ensem, mortui
Maxillam aselli, & hac cecîdit roboris
Florem Palæstini, unico incursu necans
Millena gentis impiæ capita in loco,
Hodiéque fama nobili Ramathlechi.

Tunc

Tunc vi revulſit clauſtra ſimul & januam,
Poſteſque Gazæ, & vexit humeris fortibus
Ad montem Hebronis multa paſsûm millia,
Montem gigantes quem colebant priſtini.
Similem huic vetuſtas fabuloſa finxerat
Fulcire celſas orbis ætherii domos.
Heu quid prius nunc lugeam?
An dura ſervitii mala?
An orbitatem luminis?
Qui carcer eſt in carcere,
Carcer tenebris undique
Circumdatus perennibus.
Nunc ipſe tibi tu es factus, ecce, ergaſtulum,
Ergaſtulorum heu peſſimum!
Nunc anima verè in carcere occluſa eſt tua,
(Quod magna pars mortalium
Falſo ſolebat conqueri, Solis jubar
Queis non negatum eſt cernere.)
Nunc in tenebris merſa corporeis jacet,
Externi & expers luminis
Caliginoſa noctis umbra involvitur.
Nam lumen internum ſuos
Radios videndos exterius haud exhibet.
O ſpecimen admirabile!
O ſortis hominum lubricæ exemplum, omnium
Stupore mentes occupans.
Quo clarius non extititve illuſtrius
Primis ab uſque ſæculis.
Tantoque certè es clariuſque & rarius
Quanto altiore à culmine
Tu nunc honoris inclyti dejectus es,
Mortalium fortiſſimè
Ad infimam ſortem, atque contemptiſſimam.
Namque ille non faſtigium
Honoris alti contigit, me judice,
Qui natus alto eſt ſanguine,

Sed tu, ſtupendis viribus qui ſubdere
Telluris omnes incolas
Poteras, comes dum viribus virtus fuit.
Quæ nomen inclytum tibi
Totum per orbem peperit, & capiti tuo
Diadema laudum annexuit.
Samſ. Noſtras per aures pervenit vocum ſonus,
Longinqua vero ſpatia ſenſum diſſipant
Vacuas per auras aëris tam diſſiti.
Chor. Jam loquitur, accedamus. O fortiſſime,
O inclytum antehac gentis Iſacidûm decus,
Sed nunc dolendi juſta cauſa, advenimus
Tui huc amici, cogniti dudum tibi,
Ab Eſtaölis atque Zoræ vallibus
Fœcunditate inſignibus, tecum ſimul
Ut lugeamus pariter & ſalubria
Conſilia ſuggeramus, & ſolatium
Tuis feramus luctibus: dulcedine
Vocum dolores leniuntur aſperi,
Et ægra mens ſanatur, ut cum balſami
Emplaſma diſſecto applicatur vulneri.
Samſ. O cari amici, veſter adventus meum
Lætificat animum; namque jam experientia,
Non fama nobis indicat, quam lubrici,
Quam adulterini ſint amici plurimi;
(De plurimis ſic judico) in rebus bonis
Examen ingens horum ubique confluit.
In rebus arctis colla ſubtrahunt jugo
Inſida, amicos nec vocantes audiunt.
Videte, amici, quot malis nunc opprimar,
Sed quod malorum maximum eſt, minimum mihi
Parit dolorem, cæcitas; ſi lumine
Non orbus eſſem, ſi daretur cernere,
Ut ante, clarum Solis aurati jubar,
Quâ fronte Cœlo attollerem caput? pudor
Confundit ora juſtus: inſtar navitæ

Stolidi,

Stolidi, carinam qui mihi concreditam,
Pulchram carinam & apparatam ſplendidè
Navifrago ſic temerè ſcopulo impegerim,
Et fœmininis lachrymis & vocibus
Victus retexi arcana dona numinis.
Narrate, amici, ſúmne jam proverbium
Sermone tritum, & ebrioſis ludicram
Præbeo tabernis cantionem, & undique
Cunctas per epulas fabula nova ſerpimus?
An non protervi jam loquuntur? debitas
Quam jure pœnas patitur? at me talibus
Quæ proſequendi eſt cauſa contumeliis?
In me videbant robur invictum; at aliis
Præſtare nulla viderant prudentia.
Hæc alterum exæquare ſaltem debuit,
Sed paria quoniam non erant, greſſus meos
Torrentis inſtar abſtulêre devios.
Chor. Noli ſacram culpare providentiam,
Quandoque capti errore prudentiſſimi
Viri fuêre, & impiis à fœminis
Laqueo involuti; ſic fuit, ſic rurſum erit
Utcunque mira polleant prudentia.
Cave ergo nimium temet ipſum torqueas
Satis doloris inſuper tibi incubat,
Sed, veritatem ut fateor, admirarier
Audire memini plurimos, cur exteram
Sociare tædâ conjugali fœminam
Malles tua quam procreatam de tribu
Vel gente ſaltem, pulchra licet æque foret
Vel pulchrior, nec minus honeſto ſanguine.
Samſ. Quæ prima mecum conjugali fœdere
Conjunxerat ſe, viſa mihi Timnæ fuit.
Mihi placebat illa, non parentibus
Meis, profanis editam de gentibus
Quod nempe deſpondere vellem fœminam.
Hos namque regis cœlitum arcana manu

Fieri hoc latebat, sed mihi palam fuit,
Atque intimis hoc senseram præcordiis,
Hinc nuptialem pronus accelero diem,
Ut liberandæ gentis Isacidûm mihi
Occasio hinc assurgeret, cui muneri
Divinitùs sum destinatus : persida
Hæc conjugalis jura rupit fœderis.
Huic proxima uxor tunc data est, (O si data
Nunquam fuisset ! sera vota heu nuncupo)
In valle Sorec educata Dalila,
Immane monstrum fronte speciosa abditum,
Meæ ruinæ causa inexplicabili
Laqueo involutum me tenens : fas ducere
Hanc, ut priorem, judicaveram, scopum
Quod mecum eundem, ac ante, designaveram,
Occasiones quæritans gentem sacram
Abramidarum ut opprimentes opprimam.
At non malorum hæc est meorum fæmina,
Sed ipse sum fons ipse primus, turpiter
Qui fæminino victus à stratagemate
Syrenis, eheu ! vocibus dirissimæ,
Arcem sacrati tradidi silentii.
Chor. Occasiones inferendi hostilibus
Tu damna populis, patriæ imminentibus
(Sum testis ipse) quæritabas undique.
Sed tota soboles orta Abrami sanguine
Adhuc gemiscit sub Philistæo jugo.
Sams. Culpam hanc mihi ipse haud imputo, at malè (fortibus
Abramidarum ducibus & rectoribus,
Qui debuerunt regere bissenas tribus.
Facta intuentes hi stupenda, quæ Deo
Subnixus unus ipse perpetraveram
Non noverant, sin noverant, at serio
Non pensitabant esse apertam januam
Salutis ; interim ipse non, superbiâ
Stimulante, factis gloriabar inclytis,

Tumi-

Tumidóve faſtu inflabar : autorem ſuum
Facta ipſa, quamvis muta, prædicaverant.
Sed tunc marinis ſurdiores cautibus
Perſtant, ſibique diligenti examine
Haud illa digna penſitari judicant,
Dum Satrapæ, urbes qui Palæſtinas regunt,
Intrare regnum inceperant Judaïcum,
Ut me præhendant, rupem in Etam devius
Qui tunc receſſi, non latebras aucupans,
Sed apparandis commodum inſidiis locum
Quærens, inopinis ſternam ut hoſtes cladibus.
At interim Judæa gens, ne patria
Invaderetur terra turmis hoſticis,
Circumdederunt me undique, ipſe fœdere
Certo libenter memet illorum in manus
Dedo : nec hi minus libenter me hoſticæ
Loris ligatum fortibus libidini
Prædæ dederunt impiorum ; at fortia
Tunc lora, tanquam fila contacta ignibus
Mihi fuerunt ; inque totum exercitum
Armatum inermis irruo, armiſque inſtruens
Me fortuitis hoſticæ mox demeto
Florem juventæ : his ſola tum in fuga ſalus.
Judæa ſi gens aut alia tribus integra
Voluiſſet illam proſequi victoriam,
Jam poſſiderent alta Gathæ mœnia &
Servire, queis jam ſerviunt, compellerent.
Sed ſæpe ſic ſe res habent mortalium,
Quos ſervituti vitia fœda mancipant,
Ut ocium ſervile vitæ liberæ,
Ignaviamque præferant induſtriæ.
Spernantque, vel livore vel calumniis
Hunc proſequantur, quem ſalutis vindicem
His excitavit cœlitum regis favor.
Quam ſæpe in ipſo limine illum deſerunt,
Tandemque fœdâ ingratitudine optimè

De se merentem non pudet rependere.
Chor. In mentem revocant meam
Nunc verba hæc tua, sæculis
Quæ sunt acta prioribus.
Cum ingratissima Penuel
Arx, Succothaque vindicem
Spreverunt Gideonem, ubi
Reges Midianiticos
Conversos trepida fuga
Heros ille secutus est.
Cumque ingrata rebellibus
Ephræmi soboles petit
Jepthen agminibus, ducem
Præclarum, eloquii sui
Qui tam viribus æneo
Quam scuto & gladio Isaci
Natos semine Amoniis
Defendebat ab hostibus.
Ast horum ille superbiam
Pressit belligerâ manu,
Cum tot millia, nemini
Parcens, ense ceciderat,
Qui tum prodiderant sati
Quo sint sanguine, Sibboleth
Dicentes vice Shibboleth.
Sams. Exempla me inter computate talia,
Me nempe spernit gens mea, ast illi Deus
Non his salutem legibus spoponderat.
Chor. Justæ regis cœlituum viæ,
Et sunt, homine judice, justæ,
Nisi si quos ita fascinat error,
Ut non credant esse Deum, sed
Si qui tales usquam in mundo
Sunt, in tenebris degunt imis,
Nam non altera schola per orbem
Unquam talia dogmata docuit,

Nisi cor ſtulti, nemo ubi doctor
Alter eundem præter ſolum.
Sed pars hominum magna vias Dei
Injuſtas putat eſſe, ſuæque
Illum contradicere legi
Factis, atque ita fræna libidini
Laxant, legum depoſito metu.
Nec divinæ metuunt gloriæ
Maculas fœda aſpergere vita.
Atque in cæcos nemorum aufractus
Ingreſſis via nulla pateſcit,
Atque incerti huc illuc errant,
Certiſque illum claudere metis,
Qui non ullo limite clauditur,
Certant, legique ſuæ adſtringere,
Queis nos, at non ſe ſimul obligat.
Et communibus eximere unum
Legum juſſis jus habet aliquem
Gente è mediâ ſi forſan libet,
Nullo idcirco crimine tinctus.
Jure etenim leges Deus optimo
Mandat pro libitu, aut revocat ſuo :
Alias ille Deus cui nunquam
Vires deerant, juſta nec aberat
Cauſa atrocibus in inimicis,
Cur populi juga diſcuteret ſui ;
Nazaritam hunc nunquam impelleret
Contra voti jura ſacrati
Nuptam ambire impuram, inceſtam.
Corrupta ergo ratio vanis
Argumentis fulta recedat.
Quanquam nativa inſita menti
Lex hanc ante fuiſſe impuram
Deneget, at poſt illa pudicæ
Laudem amiſit ſine labe viri.
Aſt, ecce, ille tuus reverendus

Accedit pater incessu gravi,
Albos referens tempora cygnos,
Manoa senex, age considera
Quo te hunc deceat accipere modo.
Samſ. Heu mihi! paterni mentione nominis
Novus revixit luctus & recruduit.
Man. Fratres Danitæ, namque Danitæ mihi
Videmini esse, in extero licet solo.
Si fortè caræ jus amicitiæ vetus
Vos nunc amicum pristinum, qui gloria
Quondam atque vobis inclytum decus fuit,
Meum excitavit filium, (proh!) ferreis
Vinctum catenis visere, atque huc patria
Terra relicta ferre juveniles gradus,
[illegible] mihi videtur, dum seniles interim
[illegible] terga vestra languidus lento gradus.
Dicite, ubinam ille est? quo latet nunc angulo?
Chor. Ah fractus, exspes noster ille signifer
Ab arduo dejectus, ecce, culmine,
En hic recumbit, atque humi provolvitur.
Man. Mutatio eheu! misera, an ille nobilis,
Invictus hic an ille Samson, inclytus
Fama per orbem, gentis Isacidûm hostibus
Terror, platæas qui per hostium metu
Trementium altos tulerat impavidus gradus,
Cœlestis instar Angeli, auso nemine
Inferre vim, vel pugnâ eum lacessere.
Natura leges attonita vinci suas
Cum stupuit, hinc virum, inde magnum exercitum
Concurrere, impetumque terribilem viri
Exercitum non ferre, sed rapere fugam.
Nunc ille fortis cuilibet timidissimo
Hastam gerenti haud ausus esset congredi.
O vana spes mortalium, quæ robore
Confidit! O quam vana sunt hominum omnia?
Quin multa votis expetita fervidis,

Plerum-

Plerumque nostræ sunt ruinæ occasio.
Deum rogavi liberos; etenim tori
Mihi visa conjugalis infœcunditas
Turpe esse probrum & dedecus: natum Deus
Mihi precanti indulserat charissimum,
Quo me beatum prædicabant undique.
Quis esse genitor nunc meâ vellet vice?
Heu cur perennis omnium rerum parens
Voti volebat compotem me reddere?
Quo, ceu beatus, gloriabar munere?
Divina cur tam grata nobis dona sunt,
Ut precibus illa optemus ardentissimis,
Quæ cœlitum rex cum, sui ceu pignora
Dedit favoris, scorpionis spiculum
Lethale caudis pestilentibus gerunt.
Cur angelus bis alta liquit astra? Cur
Præcepta de te injunxerat strictissima,
Tanquam tenella planta vento & frigori
Exposita fueris? tu sacratus, nobilis,
Et gloriosus extitisti paululum,
Miraculumque gentis humanæ: attamen
Momento es irretitus eheu! unico,
Bello petitus, victus, atque aheneis
Collo catenis vinctus, & gratum hostibus
Ludibrium, captivus, orbus lumine,
Inops, in atrum nocte perpetuâ specum
Circumdatum detrusus, & servilibus
Noctes diesque, nate mi, laboribus
Oppressus operas inter heu vilissimas.
Ah! quem perennis rector orbis inclytum
Factis futurum splendidis decreverat,
Si forsan illum infirmitas à tramite
Errare recto cogat, haud ideo malis
Tot implicare hunc debet, aut hostilibus
Emancipare turpiter furoribus.
Factis honos nam debitus prioribus.

Samſ.

Samſ. Cave pater, de rege ſancto cœlitum
Querare; mihi nil præter æquum contigit.
Sum ſolus ipſe fons, origo ſola ſum
Meæ ruinæ: vile ſi quid judicas,
At vilius nil eſſe ſtultitia mea
Potuit, profanâ mente qui myſteria
Divina voto obſtrictus inſolubili
De Cananæà gente natæ fæminæ
Venena blandis vocibus quæ miſcuit,
Heu fæmininis prodidi victus dolis.
Hanc eſſe noram perfidam, experientiis
Damno eruditus heu meo prioribus.
Nonne illa Timnæ genita ſic me prodidit,
Extorſit ipſis quæ mihi in ſponſalibus
Arcana noſtra haud alteri concredita,
Moxque indicavit hæc meis rivalibus
Luſtrare lumine qui maligno venerant
Mea facta, quorum precibus atque jurgiis
Obſeſſa fuerat? An meretur altera
Minus vocari perfida, in gremio meo
Quæ poſita, mediis inque conjugalibus
Amplexibus me prodidit, ſpe devorans
Rutili metalli oblata dona, atque hoc lucri
Odore ſolo capta, peperit filiam
Notham, ruinæ ſtructa noſtræ retia?
Ter fæmininis illa me ſuſpiriis,
Et precibus atque jurgiis invaſerat,
Ut indicarem, robur admirabile
In quâ lateret parte noſtri corporis.
Ter fraude fraudes integer vici, dolos
Ter fæmininos in jocum converteram.
Non me latere poterat, illa perfidæ
Quam clara ſigna dederit impudentiæ,
Et (pejus odio quod profeſſo) audacia
Quanta impulit me memet ipſum prodere.
At illa quarta colligit fraudes vice

Omnes

Omnes in unum, blanda dicta jurgiis
Miſcet, querelas temperat conviciis,
Noctes dieſque me novis aſſultibus
Urget, nec ullo me ſinebat tempore
Levare tenta ſpiritu præcordia.
His fraudibus me expugnat, & quo tempore
Quies ſoporque maxime mortalibus
Jucundus eſt, arcana noſtri pectoris
Illi retexi, cujus effugere dolos
Poteram, virilis ulla fortitudinis
Si mica nobis adfuiſſet, verum amor
Uxorius me mancipavit fæminæ.
O dedecus fœdum atque turpe opprobrium!
Honor virilis atque religio ſimul
Hinc hoſticis exponitur ludibriis.
Servilis animus, ecce, præmium accipit
Dignum, atque pœnis plectitur ſervilibus.
Non infima hæc ſors atque contemptiſſima,
Non veſtis hæc detrita, non molæ labor
Tam vilis eſt, quam priſtina illa ſervitus,
Ignobilis, famoſa, dedecens virum,
Quam ſervitutem jure veram nuncupes,
Et pejor iſta hac cæcitate cæcitas,
Servire quod me turpiter non videram.
Man. Fili tuarum electionem conjugum
Laudare nequeo, nec probaveram mea
Conſenſione, tu ſed arcanam manum
Dei perennis dixeras te impellere,
Occaſio hinc tibi ut nocendis hoſtibus
Aſſurgeret, qui nos premunt crudeliter:
Nec hujus argumenti ego vim frangere
Certo: ſed illud conſtat: hac crudelibus
Occaſione es præda factus hoſtibus,
De te ſuperbos qui triumphos concinunt.
Hinc tibi parata concidiſti in retia,
Hinc tu ſacrati impulſus es ſilentii

Violare votum, quod latebat intimo
In corde dudum, quod tua nunc in manu
Servare fuerat: sed satis superque jam
Culpam hanc luisti, & luere porro haud desinis.
Sed pœna pejor instat hoc ipso die
In urbe Gazâ: nunc litare hic imperant
Suo Dagoni victimis & cantibus,
Cujus ope te nunc vinctum & orbum lumine,
Mi nate, Samson, & suas datum in manus,
Tuisque sese è manibus ereptos putant,
Quorum catervas antè tot prostraveras.
Sic iste Dagon efferetur laudibus,
Deusque verus, præter unum quem Deus
Haud alter usquam est, ille blasphemabitur,
Hostilibus patebit ille opprobriis,
Ridebiturque à gente ritus impii
Cultrice, plenis assidente poculis,
Vanaque vanum prosequentur gloria,
Deum, atque vero hunc anteponent numini.
Per te perennis quod Deus nunc gentium
Fit impiæ ludibrio insolentiæ,
Hanc esse Samson omnium gravissimam
Pœnam æstimare te decet, nec turpius
Tibi tuisque opprobrium contingere,
Aut fœdiorem posse contumeliam.
Samf. Venerande genitor, hunc honorem, hanc at-
Pompam Dagoni, interq; gentes impias (tuli
Magnam Dagoni comparavi gloriam,
Magnumque rerum conditori dedecus,
Infamiamque adspergo: & aut nullum Deum,
Aut muta ligna pro Deo colentium
In probra linguas aperio fœdissimas:
Abramidûmque offendo gentem, & pectora
Infirma regi cœlitum diffidere
Compello, dubio facilè quæ trepidant metu,
Deumque verum deserunt, & ludicris

Diis

Diis thura, victimasque vanas immolant.
Hæc mihi doloris & pudoris maxima
Est causa, mentem hæc cura torquet anxiam,
Pectusque prohibet turbidum quiescere,
Nec somnum ocellos patitur ingredi meos.
Hæc sola spes me relevat, esse litibus
Datum meis nunc terminum; en provolvimur
Gentis profanæ ceu scabellum sub pedes.
Io triumphe nunc Dagoni concinunt.
Nunc me, ecce, prostrato, Dagon, rerum patrem,
Abramidarum provocare audet Deum,
Suumque præfert numen illi & jactitat
Præstare vanâ turgidus superbiâ.
At ille rerum rector, autor, arbiter,
Diu silere non potest, conviciis
Tot incitatus, sed rebelles comprimet,
Suamque certè vindicabit gloriam.
Dagon Deo mox fortiori cedere
Cogetur, & prostratus ille concidet
Subita ruina, & mox trophæis omnibus
Queis gloriatur ille nunc, orbabitur,
Vultumque confundet suis cultoribus.
Man. Hæc jure te spes sublevat, prophetico
Has ore voces credo dictas, nam Deus,
Hac provocante injuriâ, dubio procul
Profana contra numinum ludibria
Suam repentè vindicabit gloriam.
Nec ille dubium hoc esse permittet diu,
Sítne ipse vivus, verus, unicus Deus,
Cui nil secundum est uspiam, cui par nihil,
An jure Dagon hunc honorem vendicet.
Sed nunc dolores quo tuos solatio
Lenire fas est, tot malis nunc obrutum?
Non hic oportet te jacere, nemine
Fesso benignam porrigente dexteram.
Mollem ipse proceres ad Philistæos mihi

Aditum

Aditum paravi, & apta fandi tempora,
Ut cum his paciſcar quo velint ſub fœdere
Te ſervitutis è jugo reſolvere.
Jamdudum opinor odia ſatiarunt ſua
Hac ſervitute, his aſperis laboribus,
Quos compulerunt te pati: hos ultra tibi
Lædendi abivit omnis opportunitas.

Samſ. Ne, quæſo, care mi parens, indulgeas
Tali labori, néve ſuppliciter preces
Hoſti ſuperbo funde; quin potius meum
Hic luere pergam crimen, &, ſi quâ licet,
Incontinentis expiem linguæ ſcelus.
Arcana amici ſtirpe mortali editi
Si fors amicus infidelis detegat,
Infame crimen perpetraſſe ab omnibus
Exiſtimatur, omnibuſque riſui
Contemptuique eſt, utque ſcopulus omnibus
Vitatur, illiuſque fronti inuritur
Infame ſtulti nomen, aſt ego Dei
Arcana magni, quæ mihi concredita
Fuêre ſacro haud obrui ſilentio,
Sed hæc ſceleſtus, impiuſque prodidi:
Sin mihi ſceleſti haud ideo nomen competit,
Saltem pudendæ infirmitatis arguor.
Hoc priſca vatum ſæculis prioribus
Crimen pudendum adjudicavit fabula
Fami ſitique, deſuper pendentibus
Pomis & undis corpus obtegentibus
Ad uſque mentum, poma ſed fugiunt manus,
Et unda refugis avolat recurſibus.

Man. Sis pœnitens, ſis corde contritus tuum
Ob crimen, at ne temetipſum affligito,
Dilecte fili; flere culpam te decet:
Vitare pœnam ſi tamen datur, omnium
Inſcripta te lex cordibus animantium,
Jubet: ſui tutela curæ eſt omnibus,

Quod-

Quodcunque tellus, pontus, aër educat.
Aut ſi luenda eſt pœna, regi cœlituum
Committe pœnam hanc, neve violentas manus
Infer tibi ipſi ; forſitan tibi Deus
Remittet omne debitum ac veniam dabit.
Plus eſt probatus, plus & acceptus Deo,
Qui, errore falſo, ſupplices fundit preces,
Vitamque poſcens, propitium rogat Deum,
Quam ſponte gladio qui ſuo ſe confodit,
Sibique mortem accerſit impatiens ſui,
Magiſque ſeſe quam Deum offenſum dolet.
Salutis ergo ſi qua panditur via,
Ne ſperne ; forſan te Deus reducere
Nunc patriam ad tuam, & ſuum ſacrarium
Nos juſſit, ubi tu precibus, atque victimis,
Noviſque votis invocando perlites.

Samſ. Illum oro veniam, at vita longior mihi
Cur expetenda eſt ? omnibus mortalibus
Nuper vigebam fortior, ſpes arduas
Animo fovebam, & obtuli periculis
Caput juventa fervidum, alto pectore
Mecum volutans cœlitus natalia
Noſtra, atque noſtræ clara facta dexteræ
Prænuniata ; jamque ſacro numine
Implebar, actis atque verè heroicis
Anaco creatis clarior gigantibus
Sum factus, atque gloriæ noſtræ jubar
Latè refulſit, arduumque vertice
Pulſans Olympum, in extero licet ſolo,
Terroris expers, terror & ſtupor omnibus
Fui, nec ullus auſus eſt concurrere
Mecum, nec ullâ provocare injuriâ.
Tunc inſolenti turgidus ſuperbia
Blandis ocellis fæminæ in laqueos ego
Pertractus, atque venereæ fractus fui
Vitæ illecebris mollibus ; tandem caput

Meum

Meum reclino, roboris pignus mei,
Eheu doloſum in pellicis blandæ ſinum;
Quæ dormientis vellus auro carius
Meum totondit, tanquam ovis mitiſſimæ.
Tunc me priore deſtitutum robore,
Riſum, atque raſum excludit, & prædæ hoſtibus
Sævis inermem exponit, & crudelibus.
Chor. Non ulla vini te cupido invaſerat,
Quæ bellicoſis ſæpe noxam heröibus
Peperit: refuſi in poculum ardentes meri
Spumas, rubentem quod lapillum provocat,
Aurúmve rutilum, ac dulci odore naribus
Inſinuat, & ſapore nectareo Deos
Hominesque lætos efficit, gelidis aquis
Non prætuliſti fluminis Cryſtallini.
Samſ. Ubicunque ſoli objectus Eöo ſuas
Volvebat undas purus & pellucidus
Fons ſive fluvius, ſpiculo Cœli igneo
Percuſſus, illo recreavi nectare
Cor, & ſitim compeſcui, nec hoſtibus
Muſtum invidebam, capita quorum turbidis
Infecta ſæpe oppreſſerat vaporibus.
Chor. Mera O phreneſis horum & indubius furor.
Uvæ liquorem fervidum qui judicant
Fulcimen eſſe roboris firmiſſimum,
Heröa tantum cum parens rerum Deus
Vini abſtinentia educari juſſerit;
Cui terra nullum viribus geſſit parem
Huic lympha tantum gelida ſedavit ſitim.
Samſ. Sed quid valebat illa temperantia
Non abſoluta parte ab omni? concidit
Quippe illecebris victa fortioribus.
Quid urbis una porta tuta ab hoſtibus
Juvaret, aliam ſi ſinant irrumpere
Cuſtodientum effœminata pectora?
Sic ipſe memet hoſtibus jam prodidi

Cui ergo cæcus, ſpretus, excors, obrutus
Pudore, victus, eſſe poſſum dehinc bono
Idoneus ? num commodare patriæ ?
Operíve, cui me deſtinavit Cœlitum
Rex ante primum lucis hauſtum, incumbere ?
Hic, fuci adinſtar ocioſi, in limine
Sedere cogor, exhibens ſpectaculum
Stuporis aut doloris inviſentibus.
Perfuſus humeris crinis hic ſuperfluus
Fruſtra ſtupendum robur in ſe continet.
Sed robur hoc, & vegetus ætatis vigor
Ignavia frangetur, & ſenio gravi
Hinc derelinquar omnibus ludibrium.
Quin potius hoſtes inter atroces gravi
Labore victum comparem, dum ſordibus
Et inſalubri fruſtulûm ſervilium
Senſim diæta abſumar, & toties mihi
Vocata tantis fata finem dent malis.
Man. Ten' gentibus ſervire nos prementibus
Hac dote, quam tu acceperas, ut hoſtibus
His terror ingens, aſperum & flagrum fores ?
Non ocioſum te domi ſolummodo
Jacere, verum & deſidem atque inglorium
Præſtaret ultimum ad ſenectæ terminum.
Sed ille rerum conditor fontem tibi
Qui ſurgere è tellure juſſit aridâ,
Quo torridam poſt bella ſedâſti ſitim,
Tam facilè rurſus lumen oculos in tuos
Revocare juſſis poterit efficacibus.
Et hoc futurum credo : cur aliter tuis
In crinibus robur ſtupendum permanet.
Non tanta virtus durat incaſſum tibi,
Nec dona devenêre vana cœlitus.
Samſ. Longè alia mens noſtra ominatur, ſcilicet
Horum tenebras orbium non denuo
Ullâ fugandas luce, nec lucis mihi

Vitalis auras esse mansuras diu;
Sed mox premendas esse nocte duplici.
Genialis adeo nunc vigor defloruit,
Omnesque spes elanguerunt, & mihi
Onerosa vita est ipsa tam gravibus malis
Circumvoluta: meta jam novissima
Pudoris atque gloriæ exacta est; brevi
Inter quietos conquiescam suaviter.
Man. Tu talibus ne crede cogitatibus,
Humoribus qui à turbidis & anxio
Dolore oborti mentis aciem obnubilant.
Sed me parentis interim officio decet
Fungi, gravique à servitutis asperæ
Jugo tuum vel ære collum solvere,
Vel alia si qua ratio nobis suppetit.
Tuque interim compone mentem turbidam,
Moderare nimiis luctibus, nec respue
Surdis amicorum auribus solamina.
Samf. Hei mihi, duri quoniam dolores,
Atque morborum innumeræ cohortes
Jus habent ultra luteos vagandi
Corporis artus:
Per cor & renes, caput atque pectus
Non sat est illis penetrare; verum
Mentis in cæcas aditum latebras
Pandere norunt.
Hanc enim sævis cruciant venenis,
Et fugant curis requiem renatis,
Renibus nec corporeis nec æque
Ossibus instant,
Ac solent ipsam cruciare mentem,
Corporis sensu vacuam: dolores
Me mei torquent animi latebris
Intus in imis.
Nec modo est lenti mea cura morbi
Instar, ast illi medicina cum sit

Nulla

Nulla ferveſcit violenter imo
Cordis in antro.
Et velut nullam patiens medelam
Cancer in totas penetrat medullas,
Seque per carnem tacitè propagat
Vulnere cæco:
Haud ſecus mœſti mihi cogitatus,
Aſpidum armati rabido veneno,
Intimas vexant cruciantque partes,
Herba nec noſtros relevat dolores,
Aura nec blandi veniens favonî ab
Alpibus albis.
Me ſopor liquit fugitivus, & me,
(Sola quæ nobis medicina reſtat)
Vertit in letho ſimilem ſtuporem
Languor. Æterni pater ille Cœli
Ardet in ſævas violenter iras,
Meque tantorum medio in malorum
Gurgite liquit.
Ille me quondam bonus educavit
Unicam tanquam ſobolem, ſibique
Ille me ſervum fore deſtinavit
Matris ab alvo:
Atque me factis celebrem futurum
Inclytis, bis deveniens Olympo
Flammifer regni ætherii colonus
Significavit.
Ille me ſpectans oculo irretorto,
Creſcere occulto, velut arbor, ævo
Fecit, & vires cumulavit almæ in
Flore juventæ.
Has mihi vires generoſa nunquam
Vina ſpumanti in patera fovebant,
Pura ſed curvo trepidare rivo
Lympha laborans.
Et (mihi tantum Deus ille robur

Tunc miniſtravit) mea facta vires
Gentis humanæ ſuperevolârunt,
Námque proſtravi validas catervas
Hoſtium ſolus, comitante nullo,
Atque ſcutorum innumeros acervos
Solus incendi per humum triumphans,
Solus & turbas populi profani
Terga cogebam dare, nam juvabat
Me ſua dextra omnipotens ſacrati
Rector Olympi.
Sed tamen nunc me miſerum reliquit,
Haud ſecus, quam ſi ſibi notus ante
Non forem, denſis populi in catervis
Impii, quorum toties furorem,
Ac truces, ipſo ſtimulante, mentes
Dextra tot damnis mea provocavit,
His ego prædæ miſer en reſervor,
Riſus ut fiam, aut ſatiem cruentas
Sanguine dextras.
Sed nec adſcribor populo, dolores
Qui ferunt fati melioris in ſpem,
Nulla nam ſpes, ah! medicina noſtræ eſt
Nulla ruinæ,
Hoc tamen votum mihi reſtat unum;
Auferat duros mihi mors dolores:
Hæc enim noſtris medicina reſtat
Unica morbis.
Chor. Plurima ſunt ſapientum dicta
Antiquis chartiſque modernis
Credita, queis laudant patientes
Illoſque vocant verè fortes,
Utque homines ad mala ferenda,
Caſuſque varios atque vices
Vitæ inſtabilis confirmarent,
Scripſerunt ſolantia verba,
Multiſque ſtudent argumentis

Auxi-

Auxiferos lenire dolores
Verum afflictos talia nequeunt
Relevare animos; quin potius sonos
Illa videntur fundere dissonos
Ipsorum querimoniis;
Ipsi intus nisi sentiant,
Solamen descendere ab alto,
Vique arcana tristes curas
Relevare, & per corda vigorem
Fundere lætum.

Nostrorum Deus O patrum
Æterne, omnipotens, quantulus est homo?
Huic ut tam variâ manu
Sæpe, & tam dubia plurima temperes
Per vitæ spatium brevis.
Nec constans tuus est erga hominem tenor,
Qualis cœlituum in greges
Sanctorum esse solet per superas domos,
Atque in bruta animantia.
Nec tantum in populos talis es impios,
Qui passim pedibus vagis
Errantes, subito crescere, denuo
Dissolvi subito solent,
Æstivis similes papilionibus.
Quorum corpora mors simul,
Et nomen tenebris perpetuis tegit,
Æternique silentii
Longâ nocte premit: verum etiam grege
Tu quos ex hominum seligis, & tuæ
Effulgere jubes lumine gratiæ,
Exornasque tuis dotibus, ut tuam
Latè concelebrent undique gloriam,
Aut servent animæ dimidium tuæ,
Selectum populum, quem tibi dedicas.
Quanquam ex parte aliquâ proposito tuo
Respondent, tamen hos laudibus inclytos,

Ut cum sol medium pervolitat polum,
Diversis iterum vultibus aspicis,
Adversâque manu tu premis immemor,
Quot præclara sui signa tuus favor
His quondam dederit, quot simul in vicem
Hi quondam officiis servierint tibi.
Nec celso modo de culmine dejicis,
Cogisque in tenebris degere, (sic bene
Hos missos faceres,) sed subito impetu
Pulsos inferius præcipites agis
Quam quondam extuleras, lapsus hic est gravis
Humanis ubi sit visibus obviam,
Peccatique gradum vincere creditur.
Tu sæpe hos gladiis objicis hosticis
Variis vana Deis thura cremantium,
Ut fiant canibus præda ferocibus,
Aut ut vulturibus pabula præbeant,
Torpentésve putri in carcere squaleant;
Injustive cadant victima judicis,
Et plebis rabidæ temporibus malis.
Quod si sors tamen hæc omnia fugerint,
Durâ in pauperie sollicitos tenes,
Infestásve feris corpora febribus,
Quæ rugis faciem, quæ macie notant
Pallentis senii in tempore, quamlibet
Nullâ labe suam fortè notaverant
Vitam, supplicium terrificum pati
Hos cogis, veluti perpetuo suos
Fœdâ in nequitiâ transierint dies.
Sons insonsque simul nam miserabilem
Sortitur pariter sæpius exitum.
Sed lenior sis hunc in Athletam tuum,
Tuarum imago virium ille, & servus est
Tibi fidelis, & potens.
Quid posco? quantis hunc premis jam tum malis?
En ille durâ sorte depressus jacet,

Ejus

Ejus dolores & labores proſperum,
Namque hoc potes tu, ſortiantur exitum.
At O quid hoc eſt ? æquore an terra ſatum ?
Sexu videtur fæmina,
Ornata, culta, ſplendida,
Huc illa tendit navigans
Inſtar carinæ nobilis
Tarſi, petentis inſulas
Rubri vel Eöi maris.
Toto apparatu quæ refulget, carbaſis
Decora plenis, & ſuis rudentibus
Inſtructa, cujus arbore in celsâ rotant
Se rubra variis huc & illuc motibus
Vexilla, cunctos atque ventos provocant.
Ambroſius ejus prævenit veſtigia
Odor, puellæ ſunt ei pediſſequæ.
Matrona quædam de palæſtino ſata
Semine videtur, jamque dum propius venit,
Tua hæc videtur uxor eſſe Dalila.
Samſ. Mea uxor, imo proditrix illa eſt mea,
Faceſſat, & ne propius accedat mihi.
Chor. Tamen illa pergit propius huc accedere.
Jam ſtans ocello te irretorto reſpicit,
Parata tecum colloqui ; interdum caput
Inflexa, veluti gemmulis argenteis
Cum flos gravatus languidâ in terram comâ
Propendet, ambas flumine irrorat genas,
Et verba jam parata, verſa in lachrymas
Oras inundant ſerici velaminis.
Sed illa rurſus farier nunc apparat.
Dal. Titubante greſſu & mente titubanti, tibi
Veni, furorem pertimens, Samſon, tuum,
Quem me mereri ſponte fateor heu nocens,
Cui nulla culpæ reſtat excuſatio.
Quod ſi expiari culpa lachrymis poteſt,
(Eventa facti quamlibet noſtri forent

Timore mentis duriora improvidæ.)
His expiare indesinenter ritibus
Noctes diesque sedulo conata sum,
Quanquam expiandi spes pusilla suppetat.
Sed conjugalis cum gravi præponderet
Amor timori, ad te redivi denuo,
Ut denuo oculis intuerer te meis,
Ac ut tuarum noscerem rerum statum.
Si fors quid in me est, quod tuo solatium
Ferat dolori, & fata dura leniat,
Levetque mentis anxiæ molestias,
Fiatque cordi vulnerato pharmacum.
Nam sero quamvis facta jam temeraria,
Temeraria, ast infaustiora, qua licet,
Mollire conor, & beneficiis novis
Si qua offerat se occasio rependere.
Samſ. Hinc hinc, Hyæna, his artibus sueta, artibus
Quas tractat omnis fraudulenta fæmina.
Violare mos est talibus pactam fidem,
Virosque diris fraudibus subvertere.
Tunc pœnitere se fatentur criminis,
Veniamque blandis tunc rogant sermonibus.
Lugere præ se fronte simulata ferunt,
Et conjugalem luctibus fictis student
Redintegrare gratiam, non pœnitens
Verè cor illis est, sed his fretæ dolis
Tentant mariti quanta sit patientia,
Virique virtus pariter atque infirmitas
Quibus domentur fraudibus : mox denuo
Majore peccant cautione callidæ,
Et denuo fictis recurrunt lachrymis,
Et perfida dant verba pœnitentia.
Atque his acuta præditi prudentia
Cessere victi sæpe fraudibus viri ;
Quorum, querelis mollibus clementia
Succumbere, & veniam solet concedere.

Boni-

Bonitasque vafris sæpe præda fit dolis.
Atque hinc mariti mille in ærumnis dies
Trahunt molestos, viperam in sinu suo
Hanc pestilentem dum fovent ; nisi subita
Per hanc ruina mox premantur, qualiter
Ego ipse per te perdor, atque posteris
Exemplar, eheu ! sum tremendum sæculis.

Dal. Attende, Samson ; non ut offensæ meæ
Culpæque velum obtenderem, at nostra trutina
Si fortè justa culpa pensitabitur,
Nec aggravetur fine nullo, candidi
Sed æstimetur judicis sententia,
Veniam mereri faciliorem fas mihi
Sit, vel minori forsan invidiâ premi.
Concedo nostra fuerat hæc infirmitas,
Cui noster omnis sexus est obnoxius,
Arcana vanâ mente perscrutarier,
Dein propalare ; nostro utrumque sexui
Commune crimen : nonne & hæc infirmitas
Fuit impotenti ab impetu rogantium
Vinci, tuique roboris sedem, tuæ
Sedem salutis prodere : ipse tu hanc mihi
Viam præisti ; at ipsa prodidi, impiis
Quod prodidisse non decebat hostibus.
Nec prodidisse te decebat auribus
Hoc impotentis fæminæ, dum nec tibi
Crudelis essem ego, nec ipse tu tibi.
Infirmitati idcirco sese infirmitas
Excuset, excusetur, & veniam invicem
Det postuletque mutuam, ut hominum tibi
Censura fuit mitior, si roboris
Non plus inesse fæminino sexui
Efflagitas, quam in temetipso apparuit.
Quod si furentis vis amoris, qui tibi
Odium videtur esse sævum, fervidis
Stimulata zeli facibus, in mortalia

Quæ corda regnat, meque devinctam tibi
Firma catena detinet, me compulit
In crimen istud? namque te mutabilis
Amoris esse videram, haud aberat metus,
Ne quando tu me linqueres, ut candidam
Timnæ puellam, idcirco te omnibus modis,
Queiscunque possem, demereri, & vinculis
Tenere amoris firmiter conata sum.
Nec ulla nobis expeditior via
Visa est, tui quam cordis in penetralia
Intrare, & animi nosse sensus abditos;
Meique juris facere clavem roboris
Simul & salutis. Ergo tu cur omnibus
Arcana, dicas, nostra propalveras?
Hi nempe, quorum precibus aurem præbui,
Fidem dederunt nil tibi hinc incommodi
Fore afferendum nisi quod in firmissimæ
Sis detinendus vinculis custodiæ.
Mihi ergo visum hoc plurimum conducere.
Si liber esses, noveram periculis
Fore obvium te, dum domi ipsa interim
Onusta curis & metu viduo in toro
Tuam gemisco defleoque absentiam.
Hic ipsa te perfruerer omni tempore
Toto, nec ullis obvio periculis,
Queis offerebas te mea procul domo,
Coëritóque non Palæstini gregis,
Sed blandi amoris & meis in vinculis.
Nec pellicum timore pectus urerer.
Quandoque vires addidit rationibus
His lex amoris, frivolæ quantumlibet
Videantur aliis esse & absque pondere.
Amor miserias sæpe peperit plurimas,
Dum vero aberrat à scopo, at clementiam
Veniamque semper facile consecutus est.
Dissimilis aliis omnibus mortalibus

Ne

Ne sis, nec esto mente sævus, sicuti
Es viribus prævalidus, aut inflexilis
Rigentis instar chalybis, omnes quamlibet
Præcellis alios robore, at præcellere
Truci caveto sævus iracundia.

Samſ. Quam callidè illa sagana flagitia sua
Palam fatetur, ut mihi mea exprobet?
Huc te dolorem sceleris haud ullum tui
Traxisse video, sed odium implacabile.
Ego tibi inquis præbui exemplar, tibi
Viam præivi: probrum acerbum, sed tamen
Verum: ipse namque mî antequam tibi fui
Fallax, & illam idcirco stultitiæ meæ
Quam dono veniam, dono crimini tuo.
Hoc si videres perspicaci lumine
In te severa, justa, inexorabilis,
Veniam rogare absisteres, palam tuam
Fictam fatendo hanc esse pœnitentiam.
Infirmitatem crimini obtendis tuo;
Quinimo, credo, infirmitas, Philistio
Succumbere auro, fuerat: ast infirmitas
Si crimen excusare possit: quis latro
Homicida, parricida, vel quis proditor,
Incestus, aut sacrilegus hoc sceleri suo
Velum nequit prætendere: omne crimen est
Infirmitas; hæc igitur excusatio,
Nec tibi propitium numen ætheris potest
Reddere, nec ullum stirpe mortali satum.
Sed te coëgit amor, at hunc libidinis
Diræ furorem nuncupare te decet.
Amor potiri amore mutuo cupit,
At nostrum amorem quomodo speraveras
Quæ in me studebas odii inexpiabilis
Accendere ignem? quando me à te proditum
Nescire nequeam, vana molita es, tuo
Cum sic pudori tu pudorem obtenderis.

Et culpa falsis plus patet prætextibus.
Dal. Infirmitas, te judice, excusatio
Si non sit ulla vel virilis criminis,
Vel fæminini, utcunque sic, te judice,
Damneris ipse, attende quot sim assultibus
Petita, quotque obsessa laqueis undique,
Nostra antequam consensio expugnata sit.
His artibus vir mente constantissimus
Poterat domari, & cedere absque crimine.
Non auri amor me cæcus, ut mihi imputas,
Seduxit, inque devia errare impulit.
Venêre proceres ipsi, & ipsi principes,
Quotquot ministrant jura patriæ meæ.
Meque ambiunt & imperant, precibus minas
Miscent, & omnes per necessitudines
Eblandiuntur gratiam : & rationibus
Validis probabant quanta nobis gloria
Hinc exoriri posset, & clarum decus,
Communis hostis retibus captus meis
Si forsan esset, dextera cujus meæ
Tot concidêre nationis millia.
Nec interim garrire in aurem desiit
Meam sacerdos, grata quod sit victima
Futura Divis, & sacrum acceptissimum,
Si fortè laqueis ille caperetur meis
Magni Dagonis spretor. Ecquid talibus
Objicere possem fæmina rationibus?
Interea amoris flamma corde in intimo
Incerta secum titubat, & rationibus
His semetipsam opponit, & certamine
Acri profundo pugnat in silentio.
Tandem axioma quod per ora pervolat
Virorum, acuta insignium prudentia,
Privata nempe publico cedere bono
Debere; me subegit, & meum suâ
Autoritate pectus occupaverat.

Virtute,

Vittute, veritate, & officio mihi
(Ut credidi) ipsum hoc pariter imperantibus.
Sams. Vix me latebat, quem tuæ ambages scopum
Petiêre ; falso sanctitatis tegmine
Velare mentis improbæ versutias,
Scelerique cultum numinum prætendere.
Sed tibi si amoris mica sinceri foret,
Qui te decebat, quem tu adhuc nunc impudens
Non erubescis jactitare, talibus
Rationibus contrarias sugesserat,
Produxeratque facta diversissima.
Nam te puellis omnibus tribus meæ,
Et nationis prætuli, te ex hostibus
Elegi, amavi, ut ipsa nimium noveras.
(Nimium ah!) tibique arcana mentis prodidi.
Nec me ulla levitas aut temeritas impulit,
Sed lachrymis precibusque succumbo tuis,
Cui nil negare sustinebam : nunc tamen
Tibi hostis esse judicor : sed conjugem
Cur ante tu me adsciveras, hostem tuæ
Tunc, atque semper turbulentum patriæ.
Mihi nuptiali cum fuisti fœdere
Conjuncta patrem te tuum relinquere,
Patriamque caram debuisti : haud subditus
Ego his, vel horum creditus tutamini
Fueram ; atque nostri, non eorum hoc tempore
Tu juris, uxor nostra facta, vixeras.
Tua ergo siquid patria in me perfida,
Te proditrice, perpetrare intenderat,
Jus illa naturale, jusque gentium
Violavit, atque haud patria amplius tua
Fuit, sed atrox turba conspirantium
Suum actibus servare plusquam hostilibus
Statum, atque leges frangere sacras, patriæ
Quæ nomen esse tam sacrum & venerabile
Faciunt, & ideo obtemperanda non fuit.

Sed

Sed zelus in te ferbuit, nam tu tuis
Placere vanis nempe ſtuduiſti Deis;
Deis, tueri ſemetipſos, aut ſuis
Qui non potuerant hoſtibus, niſi impiis
Obſtare factis, unde patuit non Deos
Illos fuiſſe præditoſque numine.
Atque hinc litandos, aut placendos neutiquam aut
Obediendos: hiſce tu prætextibus
Nudata, nuda in ſcelere deprenſa es tuo.
Quam turpe monſtrum larva detracta exhibet!
Dal. In arguendo mulier obſiſtens viro
Quamcunque cauſam ſuſcipit, devincitur.
Samſ. Fortaſſe vox aut ſpiritus tibi abfuit,
Ut cum ipſe ſuffocabar à pilulis tuis.
Dal. Temeraria atque ſtulta & expers conſilî
Fui, atque vanas ſpes fovebam inaniter.
Remitte culpam hanc, oro, Samſon, & mihi
Occaſionem præbeas oſtendere
Quo crimen erroremque jam officio meum
Penſare vellem, at tu, remedio quod caret,
Perfer modeſtè, nec dolori indulgeas
Nil profuturo. Viſus amiſſus tibi eſt,
Sed multa vitæ ſuppetunt ſolamina
Tibi fruenda, dum ſua oblectamina
Aliis ſuperſunt ſenſibus, domeſticam
Dum tu quietem carpis exemptus malis,
Et caſibus, queis viſus homines objicit
Procul ſuis ab ædibus quotidiè.
Orabo proceres non inexorabiles
Ut carcere ex hoc te reducam ſordido,
Mecumque degas, ubi meus poſthac amor
In te, & laborum læta diligentia
Conduplicata te libenter nutriant,
Tibi miniſtrent, atque ſuppeditent tibi
Quodcunque gratum eſt, aut tibi dulcedinem
Afferre poſſit, ut meo quod crimine

Amiſeras,

Amiſeras, carere te non ſentias.
Samſ. Non, non, meas curare res haud te decet.
Ego tuque dudum copulam dirupimus
Quæ nos in unum junxit, & rurſus duo
Multis diebus fuimus. Haud tam improvidum
Tu me eſſe credas, ut meum in laqueos pedem
Queis involutus antehac ſum retrahi
Sinam, tuarum non ego fraudum inſcius
Sum, retibuſque implicitus antehac tuis,
Tractuſque (magno hæc empta mî prudentia eſt)
Mihi paratos fugere jam didici dolos.
Circæa tua nunc pocula & magici ſoni
Nocere nobis non valent. Hanc reguli
Didici ferocis cautionem callidam,
Magicis ſuſurris januam auris claudere.
Si tu juventæ me in vigore floridæ
Quando omnibus laudabar & quando omnibus
Venerabar ac timebar, una tu virum
Me odiſſe, me contemnere, atque vendere,
Hoſtique prædæ potueras relinquere.
Nunc quomodo tractare me orbum lumine
Velles & aptum decipi, & opis indigum
Infantis inſtar, obvium contemptui,
Et riſui & poſt inſuper neglectui
Heu quam protérve, quamque pervicaciter
Mihi imperares ſi tuo arbitrio forem
Emancipatus? quam facilè me proderes
Iterum, atque dicta & facta noſtra ſatrapis
Examinanda exponeres? atque à tuis
Blandæ interim, torvæ interim eſſem nutibus
Suſpenſus. Atri hæc triſtis umbra ergaſtuli
Collata domui, libera eſt domus, tuæ,
Domui, haud in ævum pedibus intrandæ meis. (tuam.
Dal. Saltem appropinquem, ut dexteram attingam
Samſ. Cave tibi, vitæ cura ſi tibi eſt tuæ.
Ne fors memoria accenſa præteriti mali

Subdat

Subdat furenti mihi faces, & incitet
Divulsa membris membra discerpere tuis.
Veniam remotæ do tibi, hoc contenta abi:
Defle malignos perfidæ mentis dolos,
Unde ora sæcli te futuri scilicet
Inter celebres prædicabunt fæminas
Fide in maritos. Ac toro solatium,
Viduo ministret perduellis in tuum
Cordis ma: itum fulva merces. Sic vale.

Dal. Nunc video mentis esse te implacabilis;
Ventisque & undis surdiorem, sed tamen
Tempestuosas ventus undas incitans,
Quandoque sævam ponit iram, & littori
Placatiore arrepit unda murmure;
Tua ira semper perstat implacabilis:
Et in procellam surgit æternam æstuans.
Cur ergo pacem imploro supplex, dum tuo
Faces furori subdo & odium duplico,
Reduplicatas sic repulsas dum fero?
Facessere procul me jube, & lacera probris,
Notisque nostram adsperge famam turpibus.
Ego tuas curare res jam desino.
Measque nimium haud improbandas sentio.
Si fama vultu duplici non est, tamen
Est ore saltem duplici, & contrariis
Permulta facta prædicat præconiis.
Geminis in alis, alba quarum est altera,
Et altera nigra, nomina celeberrima
Gerit per amplas orbis aërii plagas.
Verpas meum inter nomen in regionibus
Fortasse Danis atque Judæ, & per tribus
Viciniores posterorum in sæculis
Diris probrisque prosequendum est, quod meum
Infida conjux conjugem fefellerim,
Nil verita legem conjugalis fœderis.
Sed in paternâ patriâ, (quod maximè

Cupio)

Cupio) per omnes fama poſteros mea
Gazæ, Ecronis, Gathæ, Aſdodiſq; in urbibus
Inter mulieres optimas numerabitur:
Celebrabiturque cantibus feſtis, mihi
Vivæ perinde ac mortuæ æternum decus
Partum eſt, meam, quæ liberarem ut patriam,
Ab hoſte ſævo, nuptialis fœderis
Fidem fefelli, buſtum & annuis meum
Odoribuſque & floribus decorabitur.
Nec nos minori hic laude nunciabimur,
Quam in monte Ephræmi Jala vafra, quæ dolo
Inhoſpitali Siſaram per tempora
Tranſverberavit, ferreâ placidum premens
Somnum quiete, & nocte perpetuâ obruens.
Sed nec pudebit publicis me præmiis,
Honoribuſque perfrui, quæ in patriam
Pietas mereri noſtra jure creditur.
Quicunque vero his invidet, vel ringitur,
Sorti ſuæ illum adjudico, at probo meam.

Chor. Abiit, patetque ſcorpium eſſe ſpiculo
Tandem retecto, at antehac recondito.

Samſ. Quin abeat: illam miſit omnipotens mihi
Me viliorem ut reddat, atque infamia
Majore ſpargat, tam cruentæ viperæ
Arcana mentis alta qui commiſerim,
Et arbitram vitæ & ſalutis fecerim.

Chor. At pulchritudo, injurioſa quamlibet
Fortaſſe fuerit, eſt ſtupendis viribus,
Culpa peracta cum reverſa denuo
Redintegrare veterem amorem nititur,
Faceſque priſci ventilat cupidinis.
Nec facilè amator pellit illam, at aſpero
Intus dolorum vulneratur ſpiculo.

Samſ. Amantium iræ fervidæ in concordiam
Verſæ fuêre ſæpe, ſed non fæmina
Cum dira, rupto conjugali fœdere

Vitæ mariti perfida insidias parat.
Chor. Non ulla virtus mentis aut prudentia,
Non corporis vis, vividus animi vigor,
Decúsve formæ, aut quicquid aliud gratiam
Sibi atque laudem vendicare cernimus,
Vel parere, vel partum diu tuerier
Possunt amorem fæminæ.
Difficile dictu est, quid sit illud, sed tamen
Conjicere difficilius est,
Quocunque mens humana sese verterit;
Ænigmatis, Samson, tui
Instar, vel una luce vel septem licet
Scrutando sese torserit.
Si forsan ex his una quædam laudibus,
Omnésve conjunctæ simul
Si fortè amorem fæmininum accenderent,
Non sponsa tam cito Timnia
Tuam extulisset concubinam, ut in tuum
Cubile scandat, quæ tibi
Collata multo dignitate inferior est.
Nec conjugalis fœderis
Ambæ sacrata jura sic dissolverent,
Nec altera hæc te perfida
Spoliasset unquam messe fatalis comæ
Ferro antehac imperviæ.
Anne quod harum prodiga largâ
Natura manu, munera sexui
Externa dedit formæ ac vultus,
Interna ideo munera parcius
His contribuit, judicii minus
Unde capaces sunt minus illæ
Eligere optima, sed mala contra
Sæpe insanis mentibus optant?
Anne has ducit cæcus amor sui,
Inconstánsve in amore voluptas,

Ut

Ut nil aut non tempore longo
His adametur.
Verum utcunque est, fœmina primum
Virgineo velamine tecta
Insignes pietate viros, &
Acri mentis acumine, fallit
Sub specia virtutis & umbra:
Ceu Cœlo foret edita mollis,
Mitis, casta, modesta videtur.
Sed cum tæda juncta jugali est,
Veros mores illa resumit,
Intima tanquam spina aut tribulus,
Armis defensa undique tutis,
Imis hærens visceribus malum,
Virtutisque in tramite eunti
Opponit se adversa marito.
Aut lenociniis trahit hunc suis
Cæcatum in transversa & devia,
Atque omni sensu privatum
Illum in stultitiam atque pudenda
Mala præcipitat, datque ruinæ.
Nauclerus ecquis tam peritus ullibi est,
Quin pereat hac clavum tenente dexterâ.
Cœlestis hunc beat favor,
Virtute præditam tori
Quicunque consortem invenit:
Rarum inter homines commodum,
Quæ cum suo viro bonum
Conspirat in domesticum.
O quam beatam reddit hæc uxor domum!
Viroque pacem præstat hæc amabilem.
Sed illa virtus, quæ viam per invia
Sibi parat, atque assultibus nullis cadit,
Regi perenni cœlitum pulcherrima
Videtur & gratissima.
Idcirco sancta lex Dei

In fæminam jus dat viro,
Vetatque jure hoc cedere
Una vel hora, blandulùm
Seu rideat, seu luridis
Pallescat uxor vultibus.
Sic minima vitæ incommoda
Cunctos per annos sentiet,
Dum nec timore vincitur,
Nec cæco amore fallitur,
Sceptrum tenente fæminâ.

Sed an abeundum est? nam procella, en, imminet.
Samʃ. Cœlum serenum sæpe subitis imbribus,
Ventisque mutatum fuit ferocibus.
Chor. Sed alia nunc procella nobis imminet.
Samʃ. Vos verba mihi jam clariora expromite,
Mihi, quo diebus pristinis ænigmatum
Nemo tenebris luserat libentius,
Afflavit aura blanda cum sors prosperâ.
Chor. Nunc ne loquelam subdolam, nec retia
Vocum verere mellearum; atrocior
Vox appropinquat, qui fit, incessu suo
Prodit; Gigas Gathensis ille est Harapha.
Elatus illi vultus & superbus est,
Vasti staturæ accommodans se corporis.
An mente placidâ huc advenit? quo flamine
Huc tractus ille est, difficilius dicere est,
Quam sumptuosam quando vidi Dalilam
Huc fæmininis navigare in carbasis.
Pacem habitus affert, vultus iracundiam.
Samʃ. Seu placidus ille, seu secus nunc advenit
Mihi perinde est, pectus impavidum gero.
Chor. Cur ille veniat, mox sciemus, en adest.
Har. Non ut doloris particeps fiam tui,
Huc venio, Samson, sicut illi forsitan.
Tamen hæc sinistra haud contigisse optaverim,
Utcunque amicæ mentis in te neutiquam.

Ego

Ego ſum Gathenſis, meque nomine Harapham
Vocant, ab altâ ſtirpe deſcendi patrum,
Quorum per orbem fama latè perſonat,
Qualis Ogus, Anacus, atque Emimi priſtini,
Kirjathaïmam qui colebant : jam tibi
Noteſco, niſi tu obſcurus atque ignobilis
Sis ipſe prorſus. De ſtupendo robore
Tuo, tuiſque multa factis inclytis
Loquax ad aures fama noſtras attulit.
Majora nobis illa viſa ſunt fide :
Multumque dolui in talibus congreſſibus
Nunquam adfuiſſe, ubi tui periculum
Ego, meique tu potueras invicem
Camporum in æquo facere comminus ſolo.
Jam venio te ſpectare, cujus undique
Obambulavit fama, & artus ſingulos
Luſtrare, famæ ſi tuæ præſentia
Non derogat forſan tua.
Samſ. Haud illa viſu ſcire ſed guſtu potes.
Har. Mene ergo tecum provocas contendere ?
Mola & catenis te eſſe domitum credidi.
Utinam me in illum ſortis optatæ favor
Duxiſſet agrum, fama ubi te prædicat
Miranda tot feciſſe prenſâ mortui
Maxillâ aſelli, facta quæ tibi obviam eſt.
Optare te mox cogerem aliis inſtrui
Armis, vel, aſinus ubi jacebat mortuus,
Tuum ibi cadaver mortuum relinquerem.
Sic clara laus & fama fortitudinis
Eſſet Palæſtinæ à Palæſtino viro
Reducta, deque proſapia præputio
Carente, quorum es ipſe princeps, inclytâ
Virtute victrix mea triumpharet manus.
Sed hunc honorem perdidi nunc, qui mihi
Certè obtigiſſet, te in duello dexterâ
Cadente noſtrâ. Hoc, ecce, præventum eſt decus

Oculos perennis cum tuos nox occupet.
Samſ. Ne gloriare quod ageres, ſed nunc agas,
Egiſſe quod tum optaveras; en jam vides
Tibi præbet opportuna ſeſe occaſio.
Har. Cum lumine orbo congredi pudet viro,
Tangique ſi vis, te neceſſe eſt ablui
Humore largo, & ſordibus purgarier.
Samſ. Sic nempe veſtris à proceribus inclytis
Tractor, pudendis proditus tandem dolis:
Qui, copiis quanquam omnibus circumdati,
Auſi haud fuêre uni mihi reſiſtere,
Uni atque inermi, nec, catervis undique
Intra domum latentibus,
Somno jacentem invadere.
Donec ſubornâſſent ſceleſtam fæminam,
Fulvi metalli cæcam amore fœderis
Sacrata jura nuptialis rumpere,
Et impiis circumvenire me dolis.
Idcirco fictis abſque jam prætextibus
Locum arctiorem delige, in quo nec fuga,
Nec lux meis te à manibus eripere queat,
Tunc totus armis ardeas fulgentibus,
Aheneamque vertici galeam tuo,
Et pectori loricam adapta aheneam.
Aheneaſque cruribus circumdato
Ocreas, itemque ſume manicas ferreas,
Haſtile ſume par jugo textorio,
Clypeumque læva ſuſtine ſeptemplicem.
Baculo ipſe querno armatus obviam tibi
Prodibo; tanto tum tua arma ferrea
Sonore rumpam, & inde verticem tuum,
Ut ſæpe parvi temporis ſpatio, tibi
Dum ſpiritus vitalis auræ ſuppetit,
Optaveris videre Gatham denuo,
Ut glorieris tutus à periculo,
Virtute quanta obſtare Samſoni velis.

Sed

Sed Gatha poſthac non tibi ſpectabitur.
Har. Speciosa num ſic arma tu contemneres,
Geſtata ducibus maximis in prælio ut
Sibi illa decori pariter & tutamini
Forent, venenis inferorum manium
Magiciſque ni defenderere cantibus?
Tu vero vires cœlitus tibi datas,
Tuiſque jactas inſidere crinibus,
Queis inſidere roboris minimum poteſt,
Utcunque crines ſinguli capitis tui
Setis fuiſſent duriores horridis,
Urſam voracem aut hyſtricem tegentibus.
Samſ. Venena diræ cuncta abominor Stygis,
Et inferorum dæmonum conſortium,
Sed in perenni collocavi ſpem Deo,
Vires valentes primo ab ortu qui meos
Æquè per artus ac tuos diffuderat,
Perque oſſa, venas perque cunctas, dum meis
Ego à capillis arcui novaculam,
Servati ut eſſent certa voti pignora.
Sin fortè dubitas, ſi Dagon tibi eſt Deus
Illius ædem intrato, numen illius
Supplex adora, opemque poſce in tempore,
Oſtende quantum ad gloriam interſit ſuam
Illi meis jam ſi repugnet viribus,
Quas ego potentem gentis Iſaci Deum
Donaſſe nobis aſſero, te provocans
Mecum duelli ut aleam tentes, tuo
Dagone te adjuvante, quantum ludicro
Præſtare numine aut inani nomine
Poſſit. Videbis ſubito, quin & ſenties
Uter duorum ſit potentior Deus.
Har. Cur gloriaris tu tuo fruſtra Deo,
Tui ille curam abjecit ac te negligit,
Numeroque populi exemit ille te ſui.
Et hoſtium te tradidit libidini,

Tuoſque ab illis ſivit oculos erui
Ambos, & atrum in carcerem te conjici
Vinctum catenis, ut molam inter infima
Mancipia verſes, & aſinos comites tuos,
Ceu rebus aliis prorſum ineptus, ceu tuæ
Tam denſa ſylva ſit comæ prorſum ad nihil,
Hanc præter unam ſervitutem accommoda.
Ceu forti athletæ tu fores concurrere
Indignus, enſe aut bellici occumbere viri;
Cui, quamlibet victrice concideres manu,
Victus fuiſſes dedecus: ſed aptior
Tonſoris es tu ſubjici novacula.
Samſ. Has patior omnes facilè contumelias
Quaſcunque gentis ingerit furor tuæ.
Meruique ſanè, fateor, in ſanctum Deum
Peccando pœnas jure reddo debitas.
At penitus omnis ſpes tamen non occidit
Mihi propitium illum fururum, qui auribus
Audit benignis ſupplices, & lumine
Semper benigno ſpectat: hac fiducia
Innixus, iterum provoco te, ut aleam
Tentes duelli mecum, ut hæc ſit arbitra
Uter Deus ſit verus, anne fors tuus,
An ille, ego quem & univerſa ab Iſaco
Prognata puris turba veneratur ſacris.
Har. Hem! quanto honore tu tuum colis Deum!
Defenſionem quem ſuæ cauſæ tibi
Concrediturum ſpem capis,
Homicida cum ſis & rebellis & latro.
Samſ. Gigas ſuperbâ tumidè magniloquentiâ,
Quî me iſta monſtras eſſe, quæ mihi imputas?
Har. Non veſtra noſtris ſubdita eſt gens Satrapis?
Hoc, fræna gentis qui tuæ regunt, palam
Faſſi fuerunt, quando te fœdifragum
Cepere, noſtras atque devinctum in manus
Te tradiderunt. Nonne triginta viros

Tibi

Tibi nil nocentes, Aſcalonis incolas
Jugulaveras latronis inſtar perfidi,
Atque jugulatos veſtibus ſpoliaveras?
Idcirco poſtquam jura ſacri fœderis
Violaveras, tum gens Palæſtinam incolens
Inſtructa turmis te petît fulgentibus,
Te petiit, aliis nec rapinam intenderat,
Aut innocentem ſanguinem profundere.

Samſ. Ego puellis ex Palæſtinis meam
Elegi amicam, haud hoſtis eſſe hinc arguor.
Epuliſque veſtrâ in urbe conjugalibus
Amoris in vos ſigna manifeſta edidi.
Sed mens maligna & fraudulenta, Satrapis
Innata veſtris, hoſpitum ſub nomine
Mihi tricenos juſſit inſidias viros
Parare, noſtram conjugem mortis metu
Qui compulere arcana noſtra prodere;
Mei hinc ſolutus nodus eſt ænigmatis.
Ergo, hos ubi animis eſſe vidi hoſtilibus,
In hos ut hoſtes irrui, quacunque ſe
Occaſio offerebat, & ſpoliis meos
Hoſtes rependi illæſus ipſe hoſtilibus.
Gens noſtra veſtris ſubdita fuit Satrapis,
Hoſtilibus compulſa nempe viribus,
Vim vero victos vi decet repellere
Ubicunque poſſunt. Ipſe privatus, mea
Quem gens ſacrati ob jura rupta fœderis
Vinctum catenis tradiderunt hoſtibus,
Solus rebello pertinaci ſpiritu,
Hoſtilibuſque inſurgo factis ſcilicet.
Privatus ipſe non fui, ſed viribus
Inſtructus atque autoritate cœlitus
Ad liberandam patriam: ſervilibus
Si mentibus me liberatorem ſuum
Hi reſpuerunt, & tyrannis impiis
Me tradiderunt innocentem, numinis

Benig-

Benignitate indigniores hoc erant,
Hinc ſervitute adhuc laborant ſub gravi.
Munus ego, magnus cœlitum rex quod mihi
Injunxerat, præſtare certè debui.
Ac præſtitiſſem culpa niſi noſtra omnibus
Manifeſta tantis me exuiſſet viribus,
Non multitudo copiarum hoſtilium :
Jam nudus his prætextibus reſpondeas
Te provocanti, cæcitate quamlibet
Factis inepto heroïcis, qui tertia
Vice ad duellum ſingulare te jubet
Prodire, lætam prævidens victoriam.
Har. Tibi ſervituti mancipato, vah ! tibi,
Quem jura pœnis devovent capitalibus,
Conſerere dextram ſtantem in armis dedecet.
Samſ. Huc ergo, vane gloriator, veneras,
Ut curioſo me pererres lumine,
Tuoque vires metiaris ut meas
Modulo ? huc adeſto propius, haud referas pedem
Hinc, me antequam luſtraris accuratius,
Sed noſtra fors te mox manus luſtraverit.
Har. Noſtras an aures talibus conviciis
Præbeo, & acerbam inferre mortem protinus
Convitianti differo ?
Samſ. Nemo moratur te, tua nullum à manu
Ego tremiſco vulnus incurabile.
Accede totis viribus, pedes mei
Ferro ligantur, ſed manus ſunt liberæ.
Har. Tam faſtuoſæ jam quidem inſolentiæ
Reſponſa decuit alia certè reddere.
Samſ. Abi repulſus, timide, vel tibi irruam,
Quanquam catenis ferreis coërceor,
O grande corpus deſtitutum ſpiritu,
Unaque molem fabricæ vaſtam tuæ
Statim ruina diruam, aut te in aëre
Librabo, libratamque dejiciens humi,

Cerebrum

Cerebrum atque latera in frusta comminuam tua.
Har. Hanc contumacem tu lues superbiam
Posthac onustus vinculis aheneis.
Chor. Gigas superbus abiit, at crista tamen
Paulum remissâ : graditur incessu minus
Jam fastuoso, & vultus est dejectior,
Sed os protervâ spumat iracundiâ.
Samf. Non vereor illum, nec Gigantinâ sati
Quicunque fuerant stirpe, fama quamlibet
Illum parentem quinque natorum, quibus
Statura cunctis est Gigantina, edidit
Esse, & Goliam cæteris præcellere.
Chor. Adibit ille, timeo, recta Satrapas,
Faces furori subdet horum, concitans
Aliqua novis vexare te doloribus.
Samf. Aliquam necesse est causam ei prætendere,
Datamque pugnæ copiam faterier :
Pudet hoc fateríne insuperi necesse sit
Sese fateri in aleam certaminis
Ausum haud fuisse tam gravis demittere.
Ausumque non fuisse manifestè patet.
Majoribus doloribus me affligere,
Quam passus ante quos fui, vix jam valent,
Majoribusque vix ferendis suppeto.
Si fortè manuum destinant acquirere
Lucrum ex mearum sedulis laboribus,
Unde mihi victum mereor, ac dominis meis
Multum lucelli confero quotidiè.
Quodcunque vero obtingat, infensissimus
Hostis pro amico se geret carissimo,
Subitâ auferendo morte ab ærumnis meis.
Quod pessimum ille dare potest, mihi optimum est,
Sed evenire sic tamen poterit, meam
Cum non opem, sed lethum & exitium expetant,
Ut inferentes mihi necem, simul mea
Mecum ruina semetipsi involverint.

Chor.

Chor. Corda quam dulci saliunt piorum
Gaudio longis cruciata curis,
Cum Deus rerum genitor perennis;
Vindicis armat
Viribus, dextram, domat & rebelles,
Qui per humanum dominantur orbem,
Vis quibus cordi est resoluta sacræ
Compede legis;
Regna qui per vim stabilire tentant,
Ac truci vexant animo innocentes,
Atque sacrarum pia jura legum
Quotquot honorant.
Ille bellorum simul apparatus,
Et manus fortes populi profani,
Intimum pectus stimulante flammâ
Æthere missa,
Vincit, ac enses clypeosque ridet
Hostium sævâ furibundus irâ,
Hostium quorum in medias catervas
Fulguris instar
Involat, regis peragens perennis
Jussa sacrata, & domitat scelestos,
Queis pavor vires subitusque terror
Subtrahit omnes,
Sed tamen virtus patiens malorum,
Sæpe sanctorum variis probavit
Casibus turbam, & superare sese
Mentibus firmis docuit ferendo
Quicquid adversi ferat aura fati, aut
Ira tyranni.
Te sed, en, vires pariter stupendæ
Samson ac virtus patiens malorum
Fecit humano superare cunctos
Semine natos.
Dulce sed Solis jubar, ac diei
Alma cum sit lux tibi rapta, forsan

Restat

Reſtat his ut tu annumerere, ſummam
Alma queis virtus patientiæ dat
Ferre coronam.

Hæc dies vano celebrata cultu
Numinis, vita vacui, quietem
Attulit nullam tibi; mens dolore o-
nuſta laborat.

Mens tibi longè gravius laborat,
Quam manus queisvis aliis diebus,
Plura ſed damnis tamen anteactis
Fortè ſuperſunt.

Namque huc venire conſpicor
Alium, manu ſceptrum ſuâ
Qui geſtat, aut pulcherrimum
Baculum, impetu celeri ruit,
Viamque vultibus vorat.
Habitu videtur publicus
Satelles, en præſens adeſt,
Cauſamque mox viæ ſuæ
Linguâ efferet volubili.

Satel. Incarceratum quæro Samſonem, Iſaci
Vos gente, nati, dicite, quo ſe contulit.

Chor. Ejus catenas reſpice, en illic ſedet.

Satel. His alloqui te vocibus me Satrapæ
Juſsêre noſtri, Samſon, hic feſtus dies
Deo Dagoni dedicatus, luſibus,
Pompis, triumphis & ſacris colendus eſt.
Te viribus præſtare norunt omnibus
Mortalium de ſtirpe prognatis virûm,
Nunc ſpecimen ejus publicum te oſtendere
Poſcunt, ut hoc vaſtum ſimul convivium,
Vaſtumque cœtum proſequare honoribus.
Surge ergo properè, meque jam ſequere comes,
Ubi tui agetur cura digna & commodo
Potu ciboque pectus hilarabo tuum.
Novaſque veſtes induêre, ut Satrapis

Appa-

Appareas qua te decet præsentia.
Samſ. Hebræus ego ſum (ſcis) & ideo dicito
Sacris eorum me intereſſe Hebraïcam
Vetare legem ; ergo ire tecum non licet.
Satel. Reſponſio hæc, ſum certus haud ſuffecerit.
Samſ. Nonne gladiator, & palæſtrâ in gymnicâ
Quicunque ſeſe exercet Athletes, eques,
Et circulator, hiſtrio, funambulo
Adeſſe poſſunt ſcenico in ſpectaculo ?
Cur ergo feſſum me catenis ferreis,
Et publicæ labore ſervili molæ
Vocant, ut orbis luce dulci viribus
Dum ludo fiam riſui & ludibrio.
Contentionis nonne jam cauſas novæ
Quærunt, ſibi ut parere ſi nolim, novis
Majoribuſque me premant doloribus,
Aut ut calamitas noſtra ſit ludibrio.
Qua veneras redi, ire tecum non volo.
Satel. Tibi tui ſit cura : ſic offenderes.
Samſ. Mei, imo pacis conſcientiæ meæ.
Adeóne fractum me atque dejectum æſtimant
Hac ſervitute corporali, ut mens quoque
Malè feriatis juſſibus ſuccumberet ?
Illiſque fierem riſus, intimo meum
Dolore pectus exedente, ludicris
Dum oſtento factis robur admirabile ;
Præſenſque eorum honoro luſibus Deum,
Quod majus eſſet anteactis omnibus
Opprobrium atque dedecus fœdiſſimum,
Ac morte pejus ? ire tecum non volo.
Satel. Ire & redire ſubito ſum juſſus, mora
Conceſſa nulla eſt, ſic ne propoſitum tibi eſt ?
Samſ. Sic eſt, redito, quam citò te res vocat.
Satel. Prævisa doleo pervicaciæ tuæ
Eventa dura ac triſtia.
Samſ. Fors tibi dolendi cauſa juſta ſuppetet.

Chor.

Chor. Adverte mentem, Samſon, huc res jam tuæ
Venere, ut aut te ſit neceſſe vivere
Vitam beatam, aut triſte fatum perpeti.
Abiit. Quis autem verba ſcit quomodo tua
Sit repetiturus, fomitem flammæ admovens?
Alium redire nuncium expecta tibi
Ferociori voce, qui conviciis
Gravioribus, quam ferre poſſis, te petet.

Samſ. An conſecrato virium ſic munere,
Cum crine pariter quod redire ſentio,
Poſt ſceleris atri admiſſionem abuterer?
Redintegratam an ſic rependam gratiam?
Addamque ſceleri priſtino ſcelus novum,
Idola rebus dum ſacratis percolo,
Dum Nazarites in loco fœdiſſimo
Laudem in Dagonis robur oſtento meum?
Quid vilius, quid ſpurcius, contemptius,
Impurius, ſacratius, profanius?

Chor. Hoc robore tamen tu Palæſtinæ incolis
Servire fœdis & profanis cogeris,
Circumdatis præputio.

Samſ. Idola eorum abominanda non colo,
Sed victum honeſtus atque legitimus labor
Mihi parat inter hos, quibus ſum ſubditus,
Autoritati non rebellis civicæ.

Chor. Externa facta haud polluunt, ubi cor abeſt.

Samſ. Externa cum vis urget, hæc ſententia
Vera eſt. Quis autem in templa me jam vi trahit
Muti Dagonis? mihi Palæſtini imperant
Proceres, at imperare non eſt cogere.
Si pareo, ſponte atque liber pareo,
Deumque ſanctum præ metu mortalium
Irrito, mortaleſque præfero, Deum
Poſtpono, cujus ira formidabilis,
Niſi reſipiſcam, non erit placabilis:
At interim non dubito quin poſſit pati,

Meam in profanis cultibus præsentiam,
Sacrariisque numinum gentilium
Idololatras inter impios, gravis
Si fortè causa postulat.

Chor. Non video quem res hæc habebit exitum.

Sams. Gaudete, stimulos sentio novos meum
Animum excitare ad aliquid admirabile
Facinus patrandum, nuncio huic ibo comes,
Hæc fixa stat sententia.
Non ad patrandum turpe quidquam aut impium,
Legémve nostram infamia quod spargeret,
Votóve Nazaritico est contrarium.
Si fortè quid mens de futuris prospicit,
Hæc ipsa nostrâ morte vel vitâ dies
Erit per ingens aliquid admirabilis.

Chor. In tempore animo sedit hæc sententia
Tuo, ille de quo loqueris, en, revertitur.

Satel. Samson secunda ad te reversus sum vice
A Satrapis, & jussus hæc sum dicere:
Tun' mancipatus atque captivus, molâ
Tun' qui labores fers graves in publicâ,
Parere nobis imperantibus tibi
Venire, dubitas? mox veni posita mora.
Veni, vel aliquam reperiemus machinam,
Quæ te implicatum vi trahet, quamvis tua
In sede rupe firmior fixus fores.

Sams. Hujus libenter ego rei periculum
Facerem, unde eorum haud parva pars subita simul
Involveretur strage: sed cum plurimæ
Occasiones mihi nocendi his suppetant,
Ne per platæas me trahant vinctum suas
Ferocis instar belluæ, ibo quo vocant.
Jussa dominorum vis ineluctabilis
Perfert ad ipsis mancipatos, quis sui est
Tam consilî tenax, quin ut vitam suam
Redimat, novo det facilè proposito locum.

Res

Res adeo ſunt mortalium mutabiles.
At interim hoc prædico ; quocunque ivero
Nil impium, nil, jura noſtra quod vetant,
Me poſſe cogi facere vel vi vel minis.
Satel. Mentem tenacem laudo propoſiti tuam.
Exue catenas has : tuo obſequio favor
Fors Satraparum exinde comparabitur.
Et fortè duris te reſolvent vinculis,
Et luctuoſis è tenebris extrahent.
Samſ. Valete fratres, ire jam comites mihi
Vos nolo, ne iram provocetis hoſtium,
Si me benignis viderint ſodalibus
Hinc inde cinctum : viſus ipſe forſitan,
Communis hoſtis, atque terror omnibus
Quondam, furorem exaſperabo languidum.
Largis tyranni inebriati poculis
Sunt maximè tyrannici.
Epuliſque ſaturi cum ſedent antiſtites,
Zelo repentè concitantur flammeo :
Si ritus horum exponitur ludibrio.
Et ipſa feſtis plebs diebus præferox
Eſt, impetuque abrepta turbineo ruit.
Quemcunque vero hæc res habebit exitum,
Nil indecorum, aut impium, indignum nihil
Me, lege, gente, vel Deo meo feret
Veſtras ad aures fama ; ſed nunc an mihi
Fatum paretur, nec ne, certo non ſcio.
Chor. I fœlix pede fauſto,
Et rex Iſacidarum
Te ducat & reducat, ejus gloria
Latè ut per populos fulgeat impios.
Nataliſque tuo nunc lateri Angelus
Adſtet, ſydereas qui remeaverat
In ſedes patris ex tui
Agro in turbine flammeo

 Præcepta

Præcepta poſtquam de tuis natalibus
Mandaverat: clypeus, precor,
Sit ille nunc tibi igneus.
Nunc efficax in te ſit ille ſpiritus,
In danis agro qui tibi
Quondam potenter irruit.
Nam nemini de ſtirpe mortali ſato
Tam robur ingens indidit Cœli favor,
Quantum in tuæ factis refulſit dexteræ.
Cur vero properè huc greſſibus juvenilibus
Senex Manoa tendit, atque vividus
Magis videtur, quam fuit paulo antehac?
Suum invenire ſperat ille filium,
Lætúmve de illo forſan affert nuncium.
Man. Salvete fratres, cauſa veniendi mihi
Non eſt, videre filium, qui abiit modo
Hinc Satraparum juſſu, uti ſpectaculis
Celebret eorum ſacra feſta ludicris.
Cuncta audiebam tranſiens; urbs perſonat,
Ingenſque in illam multitudo confluit:
Sed ipſe comitem his nolui me adjungere,
Ne fortè cogi indigna facere cernerem.
Sed illa mihi nunc cauſa veniendi fuit
Præcipua, vobiſcum ut meam communicem
Spem, noſtra non incœpta caſura irrita
Hunc liberandi à vinculis ſervilibus.
Chor. Hujus ſpei nos eſſe participes juvat
Tecum, verende vir, libido nos trahit
Hæc audiendi, & incitat vehemens ſitis.
Man. Aggreſſus ipſe ſingulos proceres fui
Domi ſedentes, vel platæam altiſſimam
Perambulantes, atque ſupplex, lachrymis
Madens paternis, oro, filium meum
Vinctum ut catenis liberent aheneis,
Pretio ſoluto: partem eorum tetrico

Horrore torvos vidi & implacabiles,
Et faſtuosâ turgidos ſuperbiâ,
Odiiſque ſævis efferatos: hi Deum
Vanum Dagonem, antiſtites & illius
Coluêre vana præ omnibus reverentia.
Moderatior ſed pars ſecunda apparuit,
Mercedis autem hos ſic amor cæcaverat,
Suam ut parati pariter & patriam & Deum
Eſſent ob amplum præmium venundare.
Pars vero multo apparuit generoſior
Tertia, furorem quæ fatebatur ſuum
Sautrari abundè, quando ſic proſtraverant
Hoſtem, ut timeri deſinat: remittere
Iras reſiduas, & odium compeſcere
Ingentis animi munus eſſe judicant,
Si fortè pretium ſolveretur commodum..
Quiſnam ille ſtrepitus horridus? rupit polum.
Chor. Populi profectò eſt læta vociferatio
Videntis illum, quem timebant antea,
Capite minutum, & lumine orbum, aut forſitan
Spectantis ejus robur admirabile,
Ac tam ſtupendæ facta mira dexteræ.
Man. Si tota noſtra hæreditas acquirere
Redemptionem poſſet ejus, protinus
Hæreditatem ſponte totam impenderem.
Malo in meis pauperrimus tribulibus.
Vitam agere, quam ditiſſimns longè omnium,
Dum luctuoſo ſquallet ille in carcere.
Quinimo natus nî mihi redeat comes
Hinc non redibo; fixa ſtat ſententia:
Redemptionem ob illius patrimonium,
Si fors neceſſe eſt, ſum paratus integrum
Donare; natus niſi deeſt, nihil deeſt.
Chor. Natis parentes pro ſuis reponere
Solent, at omnes ipſe opes paratus es

Amore nati expendere: obſeſſos malis
Longæ ſenectæ filii patres ſolent
Nutrire, natum tu tuum, longis licet
Confectus annis ipſe nutris; luminum
Quippe orbitate patris ævo major eſt.
Man. Mihi voluptas hæc erit gratiſſima
Illius obſervare nutus, & domi
Illum ſedentem contueri, nobilem
Factis per orbem illuſtribus, latis tenus
Humeris capillos ventilantem pendulos.
In queis ſtupendi roboris tantum latet,
Quantum univerſa gens habet ferro minax,
Et cincta ſquamis undiquaque aheneis.
Certoque ſum perſuaſus haud fruſtra Deum
Robur ſtupendum reddidiſſe denuo
Cum crinibus circum caput fluentibus,
Ceu turba circumfuſa cum duci ſuo
Stat militum fidelium.
Sed ad labores inclytos rurſum parat,
Non ut pigro torpeſcat ille in ocio,
Fruſtráve longis ut capillis floreat,
Aut riſui & contemptui ſit omnibus.
Et quando vires non ſimul cum lumine
Amiſit, illi lumen almum cernere
Rurſus dabit rerum parens.
Chor. Non ſpes inanes liberandi filii
Nobis videris paſcere, atque gaudium
Quod læta ſpes hæc protulit, patrem decet:
Quorum utriuſque nos propinqui ſanguine
Tibi, libenter, ecce, conſortes ſumus.
Man. Vos novi amicos eſſe, &—O quantus fragor!
Rex cœlitum, quam ſtrepitus horrendus tonat,
Multum priori diſſonus!
Chor. Strepitúmne vocitas hunc? an omnium ſimul
Terram per omnem graviter ingementium
Triſtem

Triſtem ejulatum? ſonitus hic ſecum trahit
Mortes, ruinas, ſanguinem, cædem, necem.
Man. Equidem ruinæ audire terribilem ſonum
Videbar; ecce, durat. Ah! natum meum,
Niſi fallor, occidêre jam.
Chor. Quin potius illos natus occidit tuus,
Ab unius non cæde tam horribilis ſonus,
Fragorque vaſtus ſe poteſt diffundere.
Aliquid neceſſe eſt, triſte ſit; quid nunc decet
Agere? manere, an ad videndum currere?
Chor. Simul manere præſtat hic, ne forſitan
Periculum incurramus incauti. Hoc malum
Genti Palæſtinæ accidit. Unde aſcenderet
Vox ejulantis vaſta multitudinis?
Ergo timendi cauſa non eſt, ne in ſuo
Qui ſe volutant ſanguine,
Ullam afferant moleſtiam.
Aliunde vero nullus exoritur timor.
Fortaſſe lumen Solis illi denuo
(Abramidarum difficile nihil eſt Deo)
Jam reſtitutum eſt, atque plagas dividit
Inter catervas hoſtium, & cadaverum
Denſos acervos calcat, & perambulat.
Man. Vix ominandi hæc læta jam ſupereſt locus.
Chor. Tamen perennis omnium rerum parens
Adeo ſtupenda fecit ante pro ſuo
Populo diebus priſtinis, nil impedit
Quin tanta noſtro faciat ille ſæculo.
Man. Nunc poſſe novi facere, ſed dubito an velit.
Sed blanda ſpes his gaudet adſtipularier
Votis, meamque ad ſe fidem per vim trahit,
Sed certiora poſt brevi ventura ſunt.
Chor. Cum res agatur tanta, nunc inſtat boni
Aliquid, malíve nuncii, at citius mali.
Malum citato nuncium properat gradu,

Bonumque lentâ sæpe tardatur morâ.
Jamque aliquis, ecce, missus huc ex vota adest,
Ni fallor, est Hebræus, ac nostræ tribus.
Nunc. Quo conferam me? quo celerem rapiam fu-
Ut me à tremendo subtraham spectaculo, (gam,
Quod intuebar ante, quod adhuc intuor?
Imago tanti lurida infortunii
Oberrat oculis, pectus horrificat timor,
Sed numinis jam arcana providentia
Videtur, instinctúsve natura insitus,
Aut ipsa forsan ratio, quamvis turbida
Viam mihi præisse, reverendum ut virum
Ego Manoam, & contribules hos meos
Hic invenirem, quos manere hic noveram,
Quanquam à tremendo dissitos spectaculo,
Tamen futuri signa trepidantes mali.
Man. Vasto fragore casus ille contigit,
Et horridis admistus ejulatibus
Pervenit ante tempus adventus tui
Nostras ad aures: sed tamen hic vastus fragor,
Et ejulatus lugubris quid sibi velint
Nondum expedire possumus, præfarier
Te non necesse est, scire cupidos, en, vides.
Nunc. Vox egredi obluctatur, atque spiritum
Anhelum, & animi dissipatos turbidi
Sensus, disertè ut eloquar, recolligo:
Man. Rem, quæso, narra, ut gesta vero est, differas.
Nunc. Stat Gaza, Gazæ at occidêre filii
Cuncti, atque cunctos una strages obruit,
Unum universos pariter exitium trahit.
Man. Triste illud est, sed non tamen tristissimum
De stirpe natis Isaci,
Hostilis urbs eversa funditus & latens
Suæ in ruinæ molibus.
Nunc. Primum hoc dolori præbeat alimentum tuo,
Nimii

Nimii doloris eſſe nam ingluvies poteſt.
Man. Quis autor hujus ſtragis eſt, quæſo, refer.
Nunc. Samſon. *Man.* Dolorem mitigat hic autor (meum,
Pœne & dolorem in dulce mutat gaudium.
Nunc. Eheu! Manôa, differo nimium cito
Efferre, ad aures quod cito nimium tuas
Quocunque veniet tempore, irrumpens dolor
Violenter aures in ſeniles, te nimis
Gravi feriret vulnere.
Man. Dilata torquent nuncia, effer, quicquid eſt.
Nunc. Audi ergo peſſimum, ipſe Samſon occidit.
Man. Heu omnium hoc eſt peſſimum
O ſpes inanes liberandi hunc ſqualidi
A vinculis aheneis ergaſtuli;
Sed fata cunctos ſqualido ex ergaſtulo
Vinctos manu mittentia
Pretio ſoluto hunc liberant.
Quam vana ſpes heu! corda noſtra inanibus
Hodiè occupavit gaudiis, quæ nunc mihi
Ante ortus periêre ſuos velut
Cum flos verè novo arboreus cadit
Brumæ relliquiis tabifico & gelu.
Sed antequam frænos doloribus meis
Tradam ſolutos, effer, oro, ſi placet,
Qua mente mortem tulerit, eſſe nam ſolet
Vitæ peractæ mors decus vel dedecus,
Cunctos ab ipſo deditos neci refers:
Per quem ipſe vero cecidit, & qua dextera
Mortifera forti plaga Samſoni data eſt?
Nunc. Nullo ille corpus ſauciatus vulnere
Mediis cadebat in catervis hoſtium.
Man. An cæde feſſus hoſtium, aut quomodo refer.
Nunc. Sua ipſe dextra concidit.
Man. Sibi ipſe violentas manus
Ergo intulit? quæ moverat cauſa ut ſibi

Pugnaret inter tot catervas hoſtium?
Nunc. Cauſa erat ineluctabilis,
Ut perderetur pariter atque perderet.
Tectum, univerſi quo ſimul convenerant,
In univerſos ſeque pariter traxerat.
Man. In temetipſum fortis heu ultra modum!
Sed vindicandi triſtis hæc ratio fuit,
Æquoque multo ſævior. Sed omnia
Cæco tumultu dum feruntur, ſi potes,
Teſtis oculatus cladis hujus ultima,
Et prima clarè, & ſingulatim ediſſere.
Nunc. Me traxit hanc in civitatem occaſio,
Aurora primum luce cum roſeâ polum
Perfudit, intro januam: feſtum tubis
Solenne Eöis per platæas ſingulas
Edicitur, vix minima ſucceſſit mora,
Cum fama paſſim prædicavit carcere
Fore exiturum hac luce Samſonem, ut palam
Præſente populo roboris ſpecimen ſui
Factis ſtupendis exhibeat & luſibus.
Emancipatum hunc hoſtium libidini
Dolui, at abeſſe huic nolui ſpectaculo.
Fabrica Theatrum fuerat auguſtiſſimum,
Media rotundum parte, celſum in phornicem
Surgens, gemellis & columnis inſidens.
Hic pariter omnes Satrapæ ſedes ſuo
Habuêre fixas ordine, ut ſpectaculum
Poſſent futurum commodè intuerier.
Plebs vero tota fabricæ in parte alterâ
Subſelliis innixa ſub Dio ſtetit,
Quos inter ipſe obſcurus aſtiti procul.
Solenne feſtum pergit, & medium diem
Jam Sol tenebat: atque opimæ victimæ,
Epulæque lautæ cum lyæo pectora
Repleta gaudio in jocos effuderant,

Tunc

Tunc publicum de jure mancipium jubent
Elucido mox evocari ergaſtulo
Servili amictum veſtem Samſonem ; & cavæ
Illum antecedunt tibiæ cum tympanis
Altùm ſonoris, à ſiniſtra & dexterâ
Armata peditum cingit atque equitum ſeges,
Ante atque retro armata pennâ miſſili,
Fundâque turba, & fulgidis haſtilibus
It tecta ſquamis undiquaque aheneis.
Ut ille primum apparuit, ſubito polum
Clamore rumpunt, & ſuum laudant Deum,
Quo nempe ſeſe liberatos vindice
A tam tremendi prædicant hoſtis metu,
Atque hunc tremendo ex hoſte ſervum redditam,
Tunc ille patiens mente & impavidus locum
Quo ducitur, petivit, atque lumine
Quodcunque caſſis experiri fas erat,
Seu trahere, ſive attollere, ſeu frangere jubent,
Omnia ſtupendis peragit ille viribus ;
Dum nemo ſeſe huic auſus eſt opponere.
Sed tandem ut illi exigua reſpiratio
Detur, columnas ad gemellas ducitur,
Ducem ille (nam ſic ex propius aſtantibus
Audivimus) rogavit ut geminâ manu
Geminam liceret in columnam incumbere.
Huc ergo minimè ſuſpicax hunc duxerat.
Samſon lacertis has ubi apprendit ſuis ;
Caput reclinat paululùm, & fixis ſtetit
Oculis, precantis inſtar, aut ſub pectore
Volventis aliquid magnum & admirabile,
Tandem levavit verticem, & vaſto polum
Clamore rumpens, inquit, ecce juſſibus
Huc uſque veſtris (ut decebat) obſequi
Me non pigebat, Satrapæ, atque viſibus
Jucunda veſtris atque miranda obtuli,

Ac se voluptas cum stupore miscuit.
Jam sponte specimen roboris aliud mei
Præbere vobis gestio; ast illustrius,
Stupore cunctos quod tuentes obruet.
His ille dictis, ecce, strictis incubat
Nervis, velut cum venti & auræ montium
Clausæ in cavernis horridos motus cient,
Sic has columnas huc & huc agitat duas,
Urgetque, donec pariter impulsæ ruant
Vi subitâ in omnes vertices sedentium,
Dominosque pariter atque dominas obruit
Una ruina, cumque consiliariis
Duces, sacerdotesque & omnem nobilis
Florem juventæ, civitatis non modo
Hujus, sed omnes, quotquot hunc festum diem
Celebrare ab aliis urbibus convenerant.
Samson remistus his inevitabili
Sese ruina involvit, atque de suis
In morte victor hic triumphat hostibus,
Sed turba tantum exterior evasit necem.
Chor. O magno empta tibi gloria vindicis!
Vivens & moriens officium tibi,
Injunctum peragis, quod sacer Angelus
Facturum Isacidis te fore dixerat.
Jam victor mediis tu gregibus jaces
Immistus simul hostium,
Quos tu magnificæ robore dexteræ
Stravisti, his eadem te comitem dedit
Dextra, haud sponte tamen, sed laqueis suis
Traxit te implicitum dira necessitas.
Hæc te lex mediis stravit in hostibus,
Quorum turba tibi tum numerosior
Cæsa in morte tuâ, quam fuit integro
Vitæ curriculo tuæ.

Semi-

Semichor. En dum lætitiâ pectora palpitant
Vanâ, ridiculis ebria ritibus,
Et vino gravidis ebria poculis,
Hircorumque ſimul carnibus & boum,
Vanum dum celebrant carminibus Deum,
Viventique Deo hunc anteferunt, thronum
In Silone ſui ſede ſacrarii
Qui fixit. Deus hic corda furoribus
Illorum ac rabie impulit
Accerſire ſibi perniciem ſuam,
Autoremque ſui protinus exitî.
Intentique novis luſibus & jocis
Animis futuri improvidis
Interitum petiêre ſuum, ſubitamque ruinam.
En ſic gens hominum mali
Venturi inſcia, numinis
Irati tacitus dum trahit impetus,
Exoptant cupidè perniciem ſuam,
Queis nullus penitus, vel ſequior quoque
Nullo ſenſus ineſt reprobus, intimum
Quorum occupat cor cæcitas.
Semichor. Verum ille quanquam lumine
Orbatus, extinctæque adinſtar lampadis
Ab omnibus contemnitur.
Illuminatus lumine interno ſuam
Vim concitavit igneam,
Veſpertinus uti draco
Perluſtrans volucrum rura colentium
Nidos, mox avidis unguibus involat.
Atque ut fulminis ales,
Per purum ſubito fulmina depluit
Illorum in capita omnium.
Sic virtus quaſi perdita
Quæ viſa eſt modo, ſicuti
In Sylvis Arabûm aureis

Seſe

Sese ex se generans avis,
Cui non altera in orbe
Secunda est neque tertia,
Quæ prunis modo in igneis,
Ceu sacratum holocaustum
Tota obtecta cubaverat,
Mox donata novâ luce refloruit.
Et quanquam moritur corpore, sæcula
Vivit laude per omnia.

Man. Non non querelas tempus hoc efflagitat,
Se namque Samson digna facta præstitit,
Et morte vitam finiit heröicam
Heröicâ, hostes graviter ultus est suos,
Tristemque multos luctum in annos prorogat
Caphtore natis per Palæstini soli
Urbes superbas, perque rura florea.
At stirpe natis Isaci laudem, decus
Peperit, jugumque triste collo depulit,
Si fortè non è manibus elabi sinant
Occasionem hanc: nomen æternum sibi,
Suisque peperit ille cuncta in sæcula,
Quodque omnium faustissimum est ac optimum,
Non hunc reliquit omnium rerum parens,
Sed mortis ipsâ in fauce divinus favor
Signis se apertis prodidit.
Non ergo res hæc lachrymare aut tristibus
Pectus ferire planctibus nos provocat:
Non ulla in illo infirmitas apparuit,
Opprobrium, contemptus, aut ludibrium.
Sed cuncta rectè, proque voto cesserant:
Patienter ergo hanc ferre mortem nos decet,
Mortem decoram gloriâ.
Quæramus, agedum, corpus ejus flumine
Mersum cruoris hostici,
Purisque lymphis, & simul purgantibus

Herbis

Herbis cruorem diluamus sordidum.
Ego interim omnes protinus posita mora
Accersam amicos, & propinquos sanguine,
(Jam Gaza nostro obsistere incœpto nequit)
Ut hunc paternam funere silenti domum
Comitentur. Illic ei sepulchrum nobile,
Et extruam, extructumque nemore laureo
Semper virenti, & brachiis ingentibus
Palmæ decoræ conseram, atque insignia
Trophæa laudum, perque gentes cognita
Suspendam ibidem, & vel soluta oratio,
Lyræve carmen dulce suaviloquæ inclytos
Illius actus exhibebit propalam.
Illuc juventus magnanima se conferet,
Altâque tanti mente dum volvit viri
Præclara facta pectus inflammabitur
Amore fortitudinis, nec arduis
Offerre sese differet periculis.
Festis diebus virginum intacti greges
Sepulchra vernis illius spargent rosis,
Nihilque in illo triste lugebunt, nisi
Tædam jugalis omine infausto tori
Junctam, unde fluxit cæcitas & servitus.

Chor. Omnia rectè quanquam dubiâ
Mente labamus succedunt, quæ
Æterni sapientia regis
Inscrutabilis efficit, atque
Optima tandem hæc esse patebit.
Sæpe videtur condere vultum,
Sed rursum redit insperatus,
Atque fidelis laudem Athletæ
Clara celebrat undique fama.
Atque hinc mœstas Gaza querelas
Fundit, & omnes proposito ejus
Quotquot sese opponere tentant.

Sic

Sic jam servos omnipotens suos,
Verâ doctos experientiâ,
Cum vero solamine, cumque
Animi fida pace sereni
Lætos ad sua tecta remittit.

FINIS.

Benevoli Lectores.

SI quibusdam in locis hujus libri aliquot commata, aut puncta abesse deprehenditis, aut alia quædam errata non valde absurda irrepserunt, vos culpas hasce leviculas pro humanitate vestrâ excusetis.